T. LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

LIBRI SEX.

T. LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

[illegible]

T. LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

LIBRI SEX;

AD EXEMPLAR GILBERTI WAKEFIELD, A. B.

CUM EJUSDEM

NOTIS, COMMENTARIIS, INDICIBUS,

FIDELITER EXCUSI.

ADJECTÆ SUNT

EDITIONUM QUINQUE, IN QUIBUS PRINCIPIS, FERRANDI,

LECTIONES VARIANTES OMNES;

UT ET INTEGRÆ RICARDI BENTLEII

ANNOTATIONES, ILLUSTRATIONES, CONJECTURÆ,

EX IPSIUS AUTOGRAPHO,

IN MUSÆO BRITANNICO CONSERVATO.

VOLUMEN SECUNDUM.

GLASGUÆ:

Excudebat Andreas Duncan, Academiæ Typographus.

VENEUNT APUD BELL & BRADFUTE; GUL. LAING;
DOIG & STIRLING; ET ARCH. CONSTABLE & SOCIOS, EDINBURGI:
ET ANDREAM DUNCAN, GLASGUÆ.

1813.

M. S.

CAII CILNII MÆCENATIS:

ΣΧΕΤΛΙΑΣΤΙΚΟΝ.

Salve! doctorum turbæ venerabile nomen;
  Queis tenuem præbet laurea morsa cibum.
Ter felix olim, te vatum præside, quisquis
  Castalio ruptas fonte bibebat aquas!
Musa, tenens dudum tacitos inhonora recessus,
  Digna putabatur regibus ire comes:
Pieridum, Furiis quos dissociarat Enyo,
  Vinxit amicitiæ fœdere castus amor.
Virgilii sonuit tum pastoralis arundo,
  Tegmine quâ gelidam fagus obivit humum.
Mox, Dryasi linquens templum nemorale, poëta
  Terribili increpuit bella virosque tubâ.
Quæ gravis Alcæus numeroso pectine lusit,
  Quæ Mitylenæâ docta puella lyrâ;
Ausoniis Calabri ruris sociavit alumnus
  Arte pari nervis, ingenioque pari:

Carmine vel verso, nec-opini corda legentis
Subridens tenui cuspide fixit acûs:
Reclusitve sacros latices, præcepta canendi
Pura poëtarum duceret unde chorus.
Si tibi, MÆCENAS! si lex æterna refigi
Posset, ut a Stygiis regredereris aquis;
Quæ magnos olim refoveret cura poëtas,
Qui FLACCUM adspiceret VIRGILIUMque favor,
Scribarum hos ipsos polientem ærugine tinctos
Exciperent hodie cura favorque pares.
Donassetque utinam cœli indulgentia sole
Tam fausto vitæ limen inire mihi!
Nulla fatigarat noctemque diemque miselli
Pectoris in surdos jacta querela notos.
Non tritum studiis doctisque laboribus annum
Frigida lactarat laus, et inanis honor.
Cum quibus interea sceleratæ convenit aulæ,
Quos belli rabies sanguinolenta juvat;
Quos immane nefas, furor et lymphaticus, egit;—
Præmia servili conditione manent.
Feda Superstitio, sincerique inscia cultûs,
Cui pariunt dubiam pœnaque merxque fidem,
Quæ subicit Christi, solidis adamante, columnis
Ridiculâ fragilem sedulitate trabem;
Asseclis pingues inhiantibus ingerit offas,
Queis facile est hominem præposuisse DEO.

Spes tamen usque bonas, sint nubila tempora quamvis,
  Sic jubet Ogygii carmen oloris, *alo*.
Nunc mare vexatur, nunc turbine personat æther:
  Mox venti ponent, mox requiescet aqua.
Ut, viden? annorum procedit pulchrior ordo!
  Excutitur somno Musa, levatque caput.
Fida laborantem excipiet tutela carinam,
  Ac MÆCENATIS provehet aura novi.
Quin, gelidæ! cœlo deceditis ocyus, umbræ?
  Quin aperis nitidum, Lucifer alme! diem?
Anglia! lethargo tandem expergiscere nobis:
  Tu vel in æternum, Patria chara! vale.

G. W.

AD LECTOREM.

PAUCULA sunt tantummodo, nec ea quidem magni momenti, candide Lector et intelligens! quibus in voluminis secundi limine te demoratum atque interpellatum velim.

Codicem B. quem prius memoraverim, propriis oculis usurpandi nuper mihi oblata est occasio, dum Oxonium inviserem, atque bibliothecam Bodleianam perlustrarem, favore meritissimi custodis fructus, JOANNIS PRICE. Nobis sane et melioris notæ liber iste videbatur, et ævi remotioris opera, quam GULIELMI JACKSON, prælectoris Græci, sententia ferebat; adeo ut membranarum diligentius excutiendarum non leve desiderium nos incesseret: viri tamen eruditi in hac re judicium meo esse anteponendum libenter equidem concesserim, et antepositum non ægre tulerim. Sed enim perdolitum est, si quid gravius et acerbius, æquorum saltem de judicum sententiâ, in leges Oxoniensis bibliothecæ morosas dixerim: citra tamen bibliothecarii offensionem, ac cæterorum Musæi Bodleiani curatorum, optare saltem liceat, eos velle obtrectatores suos refutari collationibus diligenter elaborandis atque publicandis earum membranarum, quibus propria egredi pomœria tali religione non permissum sit.

Interea, ne hoc quidem lectores meos celatum volo, nihil mihi diu antiquius fuisse et exoptatius, propter propensissimos affectus meos, quibus me nemo antecesserit, in Gallicam rempublicam;

(——— σεβας μ' εχει εισορωντα·
Δηλῳ δη ποτε τοιον Απολλωνος παρα βωμῳ
Φοινικος νεον ερνος ανερχομενον ενοησα)

ut Lucretium meum, nobilissimis bibliothecæ Parisiensis thesauris, sanctum quoddam κειμηλιον, mihi liceret propriis manibus honorifice offerre: quod, postquam per legatum Americanum frustra sim aggressus rem, eorum permissu, qui se patriamque pessum dant, conficere volebam; sed exitu tali, qualem ab hominibus, ανευ Χαριτων ac Μουσων natis, prius exspectavisses. Saltem vero non absterrendus sum, quin cum lectoribus epigramma gratulabundum jam nunc communicem, munusculo meo serius ocyus, ut spero, præscribendum:

ΧΕΡΣΙ τε συν καθαραις, καθαρῳ και στηθει, μυρτῳ
  Παρθενιας πεταλοις κρατ' αναδησαμενος,
Τουτῳ σε προσαγω, ΛΟΥΚΡΗΤΙΕ πανσοφε, βωμῳ·
  Ὁν παλαμαις ιδιαις δειματ' ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ·
Πραξεσιν αἱς αγαναις μεγ' αγαλλομενη, ὁτι ληισταν
  Ουλαμον ωμοβορων θηρων απεσκεδασε.
Τοισδ' ἡρωσ' εἰξον, γαι' Αυσονις· εἰξατ', Αθηναι·
  Δοξα νεων φρευδη, δοξα παλαιγενεων·
Τῃ τε θαλασσοκρατειν μαλα περ μεγαλαυχος εουσα,
  Μη Γαλαταις ερισῃς και συ, Βρεττανι, πατρη·
Σπινθηρσι ψεκασι παυροισιν Εωσφορος ὑμας·
  Των δε κατ' ΗΛΙΟΣ λαμπαδα χευει ὁλην.

Vale, Lector! et postremum volumen hoc anno proditurum speres; paullo grandius prioribus, haud tamen minus improbis laboribus confectum: neque hominem quemvis interea pigebit,

——— ὁστ' ολιγον περ επιψαυει πραπιδεσσιν,

hujusce operis mihi finem prosperum precari: quale profecto, prout nullus dubitem confidenter affirmare, nemo omnium doc-

torum, hac ætate, οἱοι νυν βροτοι εισι, tam modico censu, in tali saltem rerum cardine, suo periculo, atque animo bonis literis sacratissimo potissimum impulsus, cujus libet tandem nationis, ad hunc usque diem, sit ausus aggredi, ac perduxerit ad umbilicum:

Αλλα μοι εκ Μακαρων ανταξιος ειη αμοιβη!

E Musæo meo
prope Londinum,
Julii die viii.

TITI LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

LIBER TERTIUS.

T. LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

LIBER TERTIUS.

O! Tenebris tantis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuisti, inlustrans conmoda vitæ,
Te sequor, o Graiæ gentis decus! inque tuis nunc

VER. 1. *E:* Vind. L. Q. dant *O;* non male: imo, vere; et ad propensissimos poëtæ in præceptorem suum affectus convenientissime: itaque scriptum volui.— B. M. Ω. exhibent *A.*

Ibid. Epicurum fingit Lucretius, mortalibus in tenebricoso rerum humanarum mari fluctuantibus, de speculâ suâ sapientiæ φρυκτωρουντα· uti Lambinus metaphoram explicuit: vel de magistro, quasi de *sole*, loquitur, aut etiam de λυχνῳ quovis φαινοντι εν αυχμηρῳ τοπῳ· quæ verba sunt D. Petri elegantia, 2 epist. i. 19. Silius, vii. 477.

——— dum *sol* Indo *se* litore *tollet*.

Adde Tullium in Arato, ver. 416.

——— *se* toto *lumine* Cancer
Extulit—.

Confer nostrum, ad iv. 406. vi. 699.

Ver. 2. *inlustrans.* Horatius, od. iv. 14. 5.

——— *O!* quâ *sol* habitabiles
Inlustrat oras, maxime principum:

ut *sol* utique *maximus* est *siderum.* Et locus iste tam lectioni nostræ, quam interpretationi, quas in versum præcedentem dedimus, pulcherrime suffragatur. Utriusque scriptoris par omnino est, ex imo pectore erumpens, *επιφανεις.* Demiror interea, eo nomine Epicurum prædicari, quod *primus* lumen philosophiæ mortalibus extulerit; quum in confesso sit apud omnes auctores, præcipuas doctrinas ejus ad ingenium Democriti referendas esse. Sed de hoc ipse poëta viderit. Nos in aliis occupamur.

Ver. 3. *sequor:* B. *sequar.*—*nunc:* Δ. *met*, in rasurâ.

Ibid. *o Graiæ gentis decus!* Non aliter Virgilius, Æn. xi. 508.

O! decus Italiæ, virgo!———

Ver. 4. Ordo est: "Ponoque vestigia "pedum (i. e. sola pedum) ficta. (i. e. se "fingentia, effigiata, deformata) in tuis "signis," *vel* signis tuorum pedum. Edi-

Ficta pedum pono pressis vestigia signis;
Non ita certandi cupidus, quam propter amorem,

tores de suo nobis dederunt *Fixa*, pro *Ficta;* inscitissime, et librorum omnium fidei contemptim insultantes. Sed non novum est illis ita lascivire in Lucretium.

Ibid. *pedum vestigia.* Sic Mantuanus ille, Æn. vii. 689.

——————— *vestigia* nuda sinistri
Instituere *pedis*—.

Ibid. *pono vestigia.* Idem Maro, geo. iii. 195.

———— summâ *vestigia ponat* arenâ.

Porro, quum *ficta* valeat alio sensu *falsa*, hunc versum quasi παρῳδὴν Ovidius videri potest, met. ii. 871.

Falsa pedum primis *vestigia ponit* in undis.

Et locutiones *Ficta, pressis signis*, ille Virgilius, interpres optimus, declarabit, ex Æn. vi. 80.

——— fera corda domans, *fingit*que *premendo*.

Suum *fixa* editores illustrare saltem potuissent Prudentio, perist. xi. 193.

Oscula perspicuo *figunt impressa* metallo.

Ver. 5. *quam:* V. ed. *que;* volens, ni fallor, *qua;* quod verissimum foret, et in vulgatam lectionem *quam* facillime detortum, ob exquisitius dicendi genus. *Ita* nempe, ad morem istiusmodi omnium vocularum, nihil est nisi vox *istâ* in compendium redacta. Sic igitur implenda est atque resolvenda constructio sententiæ: "Istâ *viâ*, quâ vestigia pedum pono "propter amorem, non cupidus certan-"di." Quin age, simile specimen resolutæ constructionis admoveamus etiam ex M. Tullio, in Verr. iv. 22. "Neque e-"nim *ita* se gessit in his rebus, tamquam "rationem aliquando esset redditurus; "sed prorsus *ita, quasi* aut reus numquam "esset futurus, aut, quo plura abstulisset, "eo minore periculo in judicium esset "venturus." Nempe, "*istâ viâ* se ges-"sit, *quâ* se gessisset, *si* numquam esset "rationem redditurus." Sed satis sit hæc in transcursu tetigisse.—Cæterum, pro *amorem*, Π. *honorem*.

Ver. 6. *te:* Δ. Ω. *de.*—*imitare:* sic V. ed. quamvis editum sit mendose, *invitare*, elementorum lineamentis vix discrepantibus: ἀρχαϊκῶς, pro *imitari*, quod suo more in reliquis exemplaribus insulsi scribæ, ad proprium gustum et eruditionem omnia exigentes, substituere. Glossarium vetus: "*Imitat*, μιμοῦνται." Nonius Marcellus, xvii. 46. "*Imitat.* Varro, episto-"lâ Latinâ, lib. ii. Tuum opus nemo "*imitare* potest.—Livius Achille:

"Si malos *imitabo*, tum tu pretium pro noxâ
"dabis."

—*aveo:* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. *habeo;* solenni diversitate: vide ii. 265. Hinc scribarum eximendus est error Q. Curtio, ad iv. 1. 25.—"Hæ manus suffecere de-"siderio meo: nihil *habenti* nihil defuit." Lege, *aventi;* cui contrarium est illud Horatianum:

——————————— multa petentibus
Desunt multa.

Et animadvertas mecum, lector, quantopere prima istius ἀντισπάσματος Paulinis illis congruant, in actt. apost. xx. 34.—ταῖς χρείαις μου—ὑπηρέτησαν 'ΑΙ ΧΕΙΡΕΣ 'ΑΥΤΑΙ.—*hirundo:* V. ed. *herendo;* Δ. *hirondo;* quam scripturam vetustiorem hinc Lucretio restituendam censui.

Ibid. *contendat:* nempe, *cantu;* ut affine sit illud Virgilianum, ecl. viii. 55.

Certent et *cycnis ululæ:*

haustum ex Theocrito, id. i. 136.

Κἠξ ὀρέων τοὶ σκῶπες ἀηδόσι γαρύσαιντο.

Hæc scilicet interpretatio editoribus ad unum placuit; et facilior re verâ simpliciorque existimari potest: sed cogitabam equidem, an de *volatu* hirundinis et cycni diversissimo Lucretius intelligi voluerit; ut Epicurus utique ad cœlum usque, per flammantia mundi mœnia, pennâ solvi metuente nixus, evolaverit; dum Carus ipse circa tellurem nictantes alas humilis exerceret. Virgilius, geo. i. 377.

Aut arguta *lacus circum* volitavit *hirundo*.

Idem, ecl. ix. 29.

Cantantes *sublime* ferent *ad sidera cycni*.

Quod te imitare aveo. Quid enim contendat hirondo
Cycnis? aut quid nam tremulis facere artubus hædei

Loci innumerabiles persimiles obversantur; sed ero contentus sic breviter tractatam rem judicio lectoris reliquisse, et, quæ supersunt, persequi. Confer sis autem interea Virg. Æn. vii. 699.

Hic autem alter Mantuani locus, non intempestivus huic disceptationi sane, sed perquam difficilis, memoriæ incursat, qui sic legitur in editis, ad ecl. ix. 36.

—— sed *argutos* inter strepere anser *olores*.

Jam vero stridulis sibilisque *anserum* gingritibus nihil omnium melius quadret, quam vox *argutus*. Et quidem Latinorum *argutus*, ut Græcorum λιγυς, si non semper adhibeatur de sonis insuavioribus, *tenues* saltem atque *imbecillos* indicat; adeo ut de *canoro* et absoluto cycni *carmine* vix commode satis usurpari videatur. Serenus Samonicus, de med. 176. *ansere rauco:* unde non dubitem nunc ex abundanti accedere jam dictis de Maronis versu ad ii. 410.

Ver. 7. *Cycnis:* V. ed. Π. *Cygnus.*

Ibid. *tremulis artubus:* ut i. 261. *Artubus infirmis*, itidem de novâ prole pecudum. Et divisas volui dictiones *quid nam*, quum sæpe inverso ordine legantur. Virgilius, geo. iv. 445.

Nam quis te, juvenum confidentissime! nostras
Jussit adire domos?

Vide Servium: hanc enim rem nos olim perperam accepimus ad locum, quamvis probe ex Græcis illustratam dederimus. Hæc proprietas hujus formulæ ignorata locum Livii luxavit, i. 45. 6. ita vulgo exhibitum: "*Quidnam* tu, hospes, paras? inquit, inceste sacrificium Dianæ facere?" Quæ sunt uno spiritu ad hanc normam perlegenda: "*Quid nam* tu, hospes, paras (inquit) inceste sacrificium Dianæ facere?" i. e. Quianam paras—? Plautus, Amph. ii. 1. 2.

Am. Scelestissimum te arbitror. So. *Nam* quam ob rem?

Idem, Curc. i. 1. 13. et conferas Terentium, Phorm. v. 1. 5. cum Donato ad locum:

Nam quo te dicam ego ire?

Tantilla res, minime intellecta, Brunckium impulit, ut Aristophanem contra libros corrumpere nihil reformidaret, in Nub. 191.

Τι ΓΑΡ οιδε δρωσιν, οι σφοδρ' εγκεκυφοτες;

Quemadmodum centies Homerus: vir tamen, alioquin doctissimus et laudatissimus, temere δ' αρ ineptissimum reposuit; nec audaciâ pari sese gerere erubuit ibid. ver. 351. iterum contextui suum δ' αρ fedissimum, pro γαρ, genuino fetu Comici, inferciens. Sed accuratius scripseris divisim, γ' αρ: unde, quoties oratio continuetur, et respiciantur præcedentia, τι in locum γε venire solet; ut in Homero, Il. A. 8.

Τις Τ' ΑΡ σφωε θεων εριδι ξυνεηκε μαχεσθαι;

Videas etiam Il. Σ. 188. His impulsus, glossam Hesychianam εν παροδῳ recte constituam: Τι δαι· τι γαρ, ΑΛΛΑ ΔΗ. τι γαρ, Κρητες· Βοιωτοι δε, ΕΝΘΑ ΔΗ· Αττικοι, δια τι δη. Hinc etiam Homerum ipsum, et certissime quidem, corrigam, ad Il. M. 409.

Ω Λυκιοι, τι ΓΑΡ ωδε μεθιετε θουριδος αλκης;

Vulgo, δ' αρ. Scholiastes: Τι δη: et Hesychius: Τις γαρ· τις δη. Fructuosissimum lexicographum iterum emendabo: Αλλ' εκ του ερεω· (Il. A. 204.) ΑΛΛΑ δη σοι τι ερεω. Libri, αλλο: sed redeundum est in viam; hæc enim, arenarum instar, sunt plane innumerabilia, et alterius argumenti. Eleganter sane, ut adsolet scriptor castigatissimus, S. Lucas, act. apost. xix. 35. Ανδρες Εφεσιοι, ΤΙΣ ΓΑΡ εστιν ανθρωπος, ὁς ου γινωσκει—κτλ.

Et ibi, ut alias sæpissime, formula est subitaneæ orationis, ad quam perficiendam quædam præcessisse tacite sunt intelligenda. Neque in quæstionibus proferendis tantummodo adhibetur; ut in epist. D. Joannis, iii. 3. Εχαρην ΓΑΡ λιαν, εφ-

Consimile in cursu possint, et fortis equi vis?
Tu, Pater! es rerum inventor; tu patria nobis
Subpeditas præcepta: tuis ex, inclute, chartis,

χομινων αδιλφων—: ubi confestim, et de improviso quasi, in medias res lectorem rapit. Quod exspectes autem ab inscitiâ librariorum, illud γαρ nonnulla exemplaria omittunt. Tacitus etiam, annal. ii. 63. ab importunis emendatorum emendandorum manibus vindicandus: "*Nam*, mul-"tis nationibus clarissimum quondam re-"gem ad se vocantibus, Romanam ami-"citiam prætulisse." Denique, ad eundem modum Tyrtæus animose carmen exorditur:

Τεθναμεναι ΓΑΡ καλον επι προμαχοισι πεσοντα
Ανδρ' αγαθον, περι ἡ πατριδι μαρναμενον.

Et exempla quam plurima hujusce formulæ obversantur, liquido probantia, frustra esse illos, qui hinc mancum Tyrtæi carmen ad nos devenisse suspicantur; sed longi sumus, et Klotzius in locum utiliter potest consuli: itaque cum Plauto finem faciamus, Truc. i. 2. 83.

——————— As. Ut exspectatus
Peregre advenisti! Di. *Nam*, obsecro?—As.
Cupiebat te hera videre.

Ver. 8. *et:* P. Vind. Q. *ac;* male, atque haud dubie ex correctoribus. Sensus est, et constructio: "Quid enim consi-"mile in cursu possint facere hædus *et* "equus?"

Ibid. *fortis vis:* μενος ηυ· Homerus, Il. P. 456. neç imitari Mantuanus noluit, ad Æn. iv. 132.

Massylique ruunt equites, et *odora* canum *vis:*

i. e. *canes odorisequæ*, ut est in Livii Andronici fragmentis. *Fortis* autem Nonio Marcello, hunc versum laudanti ad iv. 195. est *celer:* minus accuratè. Rectius per *robusta* interpreteris, ut quod convenienter præ illâ voce *tremulis* artubus hædorum, seu *infirmis*, sit oppositum.

Ver. 9. *es:* M. *o*, sed a secundâ manu; deest L. Editores, libris universis reclamantibus, solitâ cum impudentiâ rem administrantes, suo *et* intruso, deturpavere versum. Aliter elegans fuisset locutio, *pater rerum*, uti Pindarus, Pyth. iv. 314. mellitissimo carmine, atque, ut pro rei veritate loquar, pene divino:

Εξ Απολλωνος δε, φορ-
-μικτας, ΑΟΙΔΑΝ ΠΑΤΗΡ,
Εμολεν ευαινητος Ορφευς.

Porro, Davisius, ad Ciceronem de finn. i. 10. legendum proposuit:

Tu pater et *veri* inventor.

Sane, quamvis non ita sit cum Lucretio agendum, operæ pretium fuerit animadversiones viri doctissimi consuluisse.

Ibid. *Pater.* Sensu undequaque gemello S. Matthæus, xxiii. 9. Και ΠΑΤΕΡΑ μη καλεσητε ΥΜΙΝ επι της γης: quemadmodum clausula ad exquisitissimam nonnullorum librorum lectionem scribi debet: vide nos, ad v. 261. Vulgo, ὑμων. Statius, silv. i. 2. 220. Pindari vestigia ingressus:

Latoüs, *vatum pater*, et Semeleïus Euan.

Vulgata bibliorum versio, Gen. iv. 21. "Et nomen fratris ejus Jubal: ipse fuit "*pater* canentium citharâ et organo."

Ibid. *rerum inventor.* Mox, ad v. 1112.

Posterius, *res inventa* est, aurumque repertum.

Ver. 10. *que* abest Δ.—*ex:* Π. *est;* omittit Σ. Quid autem? secundis cogitationibus, quæ solent esse sapientiores, obsecuti, delevimus τὸ *que* post *tuis*, ad edictum membranarum Δ. quum locus integer, sine copulis decurrens, immane quantum erectior evadat, vividior, et elegantior. Pares Virgilii gratiæ Lucretianis, ut dignæ sunt, committantur, Æn. i. 78.

Tu mihi, quodcumque hoc regni, *tu* sceptra Jovemque
Concilias: *tu* das epulis adcumbere divôm.

Ver. 11. *limant:* P. *libant;* contra suos priscos codices, et, opinor, omnes aliorum, cum vetustis editionibus. Placuit tamen hæc lectio recentioribus; sed im-

Floriferis ut apes in saltibus omnia limant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta;
Aurea, perpetuâ semper dignissima vitâ.

merito plane, ac præter fas et æquum, si nostra præ illâ sordescere putetur. Nihil magis ad Lucretii verbum faciat, quam unum Diodori Zonæ, in epigrammate super eodem argumento; quod emendatius, transeuntes, exhibebimus:

Αι δ' αγετε, ξυθαι σιμβληΐδες ακρα, μελισσαι,
Φερβεσθ'· ης θυμων ρικνα περικνιδια,
Η ΠΕΤΑΛ' ΑΝ *μακωνας, η αστεφιδιτιδα ραγα,*
Η *ιον, η μαλων χνυν* ΕΠΙΚΑΡΦΙΔΙΟΝ·
Παντα ΠΕΡΙΚΝΙΞΑΣΘΕ, *και αγγεα κηρωσασθε,*
Οφρα μελισσευσοος Παν Επικυψελιος
Γευσηται, το μεν αυτος, ὁ δε βλιστηριδι χειρι
ΚΑΡΠΩΣΑΣ *βαιην χύμμιν λειπη μεριδα.*

Πεταλ' αν μακωνας· folia, quæ sunt *per papavera:* vulgo, *πεταλας*. *Επικαρφιδιον χνυν· lanuginem in cute;* ut *καρφη μηλεινης*, Nicander, Alexiph. 230. *καρφη· δερματα:* scholiastes. Libri, frigide satis, *επικαρπιδιον*. Pro *καρπωσας*, vulgo legitur, *καπνωσας:* sed vereor, ut *fumigans* apiarius paucas reliquisset, qui vel illam exiguam mellis portionem depasci possent. Jam vero *περικνιξασθε, circum radite,* vel *delimate;* nam varia lectio *deliniant*, Havercampo recensita, merum est *delimant*. Plutarchus, de educat. libb. p. 43. edit. Edwards:—*αλλ' ουδεν ἡττον—ταυτα μιμεισθαι και* ΠΕΡΙΚΝΙΖΕΙΝ *επιχειρουμεν:* quæ lectio nequaquam solicitanda est. Dionysius Halicarnassensis, antiqq. Rom. ix. 32.—*αλλα* ΠΕΡΙΚΝΙΖΕΤΕ *αυτην*, (*την πολιν*) *και κατα μικρα διαλυετε.* Non aliter Maronem intelligam, ad geo. iv. 54.

Purpureosque *metunt* flores, et flumina libant
Summa leves:

quasi uno versiculo utramque lectionem, de quibus ambigitur, exprimere voluerit. Aut Horatium, od. iv. 2. 29. de *ape:*

Grata *carpentis* thyma:

i. e. *deterentis*, *εξανθιζουσης*, *attenuantis*, *delimantis*. Vide Nonium in *Carpere*, iv. 54. qui sic legendus: "Carpere, attenuare, *operari*." Vulgo, *aperire*. Ita Seneca, epist. 84. "*Apes*, ut aiunt, debemus imitari; quæ vagantur, et *flores*, "ad mel faciendum idoneos, *carpunt*." Nec tamen inficias iverim, elegantem esse in hoc usu dictionem *libant*, si libri meliores addixissent. Varro in exquisitissimo loco apud Nonium, i. 112. voce *Putus:*—"ceram Tarentinam, quam *apes* "Milesiæ coëgerint, ex omnibus floribus "*libantes*—." Nescio quis apud Marium Victorinum, art. gramm. lib. ii. p. 2538.

O! mel, quod *apes* omnibus e floribus *libant*.

Hinc intelligendus est, ni fallor, Ennii versiculus notissimus, et scriptus sincerissime:

Flos delibatus popolei, Suadæque medulla.

i. e. "*mel* et medulla reipublicæ." Lector dijudicet; nam sero reminiscor, me aliter statuisse ad i. 231. Contra tamen videtur stare, et qui vir! Marcus Tullius Avienus utramque venustatem pulchre consociavit in Arati prognosticis, ver. 1765.

Cecropias si pastus *apes* vicinus ad ipsa
Castra inhibet; *florum*que simul *libamina* mœstæ
Proxima *decerpunt*—.

Verbum nostrum, pro *libavit*, restituendum fortassis est Anthol. Lat. Burm. iii. 290. 4.

Hortus erat Veneris, roseis *circumsatus* herbis,
Gratus ager dominæ; quem, qui vidisset, amaret.
Dum puer heic passim properat decerpere flores,
Et velare comas, spinâ *limavit* acutâ
Marmoreos digitos.

Fidenter autem nihil velim affirmare. Libri dant in primo versu *circumdatus*. Denique, forte an Carus noster Isocratem respexerit ad finem adhortationis:—*ὡσπερ γαρ την μελιτταν ὁρωμεν εφ' ἁπαντα μεν τα βλαστηματα καθιζανουσαν, αφ' ἑκαστου δε τα χρησιμα* ΛΑΜΒΑΝΟΥΣΑΝ· *οὑτω χρη και τους παιδειας ορεγομενους, μηδενος μεν απειρως εχειν, πανταχοθεν δε τα χρησιμα συλλεγειν.* Hinc autem lux glossis Hesychianis: *Κνιζει·* ΛΑΜΒΑΝΕΙ, ΚΝΙΖΕΙ.

Nam, simul ac ratio tua cœpit vociferari
Naturam rerum, divinâ mente coortam,
Diffugiunt animi terrores; mœnia mundi

Et, Κνίζεται (ad mediæ vocis potestatem) ΠΕΡΙΚΝΙΖΕΤΑΙ, (*sibi decerpit*) ΛΑΜΒΑΝΕΙ.—Atque hæc hactenus.

Ver. 12. *depascimur:* φερβόμεθα, ut modo Zonas. Scilicet in *apium* translatione pulchre noster perseverat. Virgilius, ecl. i. 55.

————— vicino ab limite sæpes,
Hyblæis *apibus* florem *depasta* salicti—.

Valerius Maximus, i. 6. finem:—"*apes*, "non montem Hymettum, sed Musarum "Heliconios colles,—*depastæ*." Calpurnius, ecl. iii. 80.

————— vix dum bene florem
Degustabat apis—.

Idem Virgilius, geo. iv. 180. de suis *apibus:*

————— *pascuntur* et arbuta passim.

Ver. 13. *Aurea.* Dulcissimâ repetitione: vide superius, ii. 954. Nulla elegantia hujuscemodi discurrentes oculos Virgilii potuit effugere. Ita ille, Æn. vi. 495.

————— lacerum crudeliter *ora;*
Ora, manusque ambas.

Sed nemo in exhibendâ quacumque demum poëticâ venustate Peligni ruris vatem post se reliquisse temere glorietur. Felicissimus ille est hujusce formulæ ad art. am. ii. 93. locum alio etiam nomine longe suavissimum:

At pater infelix, nec jam pater, *Icare, clamat,*
Icare, clamat, ubi es? quove sub axe volas?

Cum his compara Virg. geo. iv. 498. Sic idem Naso in Nuce etiam, ver. 108.

Ver. 15. Benigni editores, cerebellorum suorum fetus Lucretio nihil invidentes, negationem *haud* post *rerum* intruserunt; locum fedissime contaminantes contra librorum omnium auctoritatem, atque manifestissimam poëtæ mentem. Jam vero, ut id obiter præstringam, quum nupera editio Viennensis, ad membranas Vindobonenses exacta, illud *haud*, interpolatum criticis, præ se ferat, satis constat non esse, in re lubricâ et ancipiti saltem, testimoniis codicum Vind. ac Q. quemadmodum recensita accepimus, ullo pacto innitendum. Ordo sane verborum et loci sententia sic se habent: "Nam "simul ac tua ratio (i. e. tuæ mentis sagacitas) cœpit vociferari (i. e. proferre "et promulgare) Naturam rerum, (i. e. "tuam philosophiam, in hoc opere de"claratam) coortam divinâ mente, (i. e. "fetum tui ingenii cœlestis;) superstitio"sæ fugiunt solicitudines—." Nihil expeditius et sincerius hac interpretatione: sed jucundius erat editoribus, emendatores agere, quam enarratores.

Ibid. *Naturam rerum vociferari:* i. e. "alte hominibus inclamare et pronun"ciare doctrinas tuas divinas:" in activo sensu. Sic Virgilius, Æn. ii. 679.

Talia vociferans, gemitu tectum omne replebat.

Cicero, in Verr. ii. 2. 21.—"si *hoc* nunc "*vociferari* velim—." Q. Curtius, iii. 2. fin. "*Hæc vociferantem*, quibus est im"peratum, jugulant." Statius insuper, Theb. ii. 467.

——— *hæc* audax, etiamnum in limine, retro
Vociferans—.

Ita passim Græci. Euripides exemplo sit, Med. 21.

Μήδεια δ' ἡ δύστηνος, ἠτιμασμένη,
ΒΟΑ͂ μὲν ΟΡΚΟΥΣ, ἀνακαλεῖ δὲ δεξιάν.

Neque Ammianus Marcellinus accedet intempestivus, ad xxi. 14. "In hoc re"rum adversarum tumultu hærens ejus "fortuna jam, et subsistens, adventare "casum vitæ difficilem modo non *lo*"*quentibus signis* aperte monstrabat."

Ibid. *Naturam rerum.* Sic vocitat breviore nomine libros ejus de naturâ rerum: vide quæ dicta sunt Bentleio, ante animadversiones meas in i. 1. Aliter tamen Sosipater Charisius, instt. gramm. lib. ii. p. 185. "Lucretius quoque *de rebus na*"*turalibus* tertio."

Discedunt, totum video per inane geri res:
Adparet divôm numen, sedesque quietæ;
Quas neque concutiunt ventei, nec nubila nimbis

Ibid. *coortam:* M. *coartam;* unde Lambinus tentabat, *coactam;* probante, ut videtur, Preigero. Male; sed hoc illis condonemus, rationes veras loci non tenentibus.

Ibid. *divinâ mente.* Nec minore præconio Empedoclem noster cohonestavit, ad i. 732. nec multum diversis verbis:

> Carmina quin etiam *divini pectoris* ejus
> *Vociferantur*—.

Similiter autem de Epicuro rursus, eandem materiam ingressus, ad v. 8.

> ——— *deus* ille fuit, *deus*, inclute Memmi,
> Qui princeps vitæ rationem invenit eam, quæ
> Nunc adpellatur sapientia.

Ver. 15. *Diffugiunt:* i. e. "diversi "fugiunt; se, alius alio, divertentes in "quamcunque partem; quasi Terrores "essent ipsi summopere conterriti, atque "consternati, Stentoris hujus philosophici "vociferatione." Credas nostrum intendisse oculos in Homerum, Il. Σ. 222.

> Οἱ δ', ὡς ουν αϊον οπα χαλκεον Αιακιδαο,
> Πασιν ορινθη θυμος· αταρ καλλιτριχες ἱπποι
> Αψ οχεα τροπεον, οσσοντο γαρ αλγεα θυμῳ.—

Ibid. *mœnia mundi Discedunt:* i. e. *Dispartiuntur*, διϊστασιν· aperturam lucentem ostendentia, quâ viam perrupit Epicurus, et ea longe post se reliquit, omne immensum peragrans: i. 74. 75. Ad hæc Dionysius, episcopus Alexandrinus, alludit, apud Eusebium, præp. evang. xiv. 27. —η του κοσμου προκυψας Επικουρος, και τον ουρανιον ὑπερβας περιβολον, η δια τινων κρυφιων, ἁς μονος ΟΙΔΕΝ, εξελθων πυλων, οὓς εν τῳ κενῳ κατειδε θεους, και την πολλην αυτων εμακαρισε τρυφην; Sic legendum: et οὓς θεους potest *suos deos;* quod editor minime perceptum habens, scribendum proposuit τους θεους. Virgilius, Æn. ix. 20.

> ——— medium video *discedere cœlum:*

divisis nempe *cœli partibus*, uti Carus loquitur, in vi. 85. Omnium sunt vivorum invenustissimi, qui Maronem aliter legi volunt. Julius Obsequens, bis depravatus, de prodigg. cap. 112. ita castigandus est: "*Cœlum* visum *discedere; e* cujus "hiatu vertices flammæ apparuerunt:" quæ vidit etiam Schefferus. Porro, de voce *discedo*, ad hunc locum et Virgilium, consulas interpretes; omnia nam vulgata. Versus elegantissimi leguntur apud Ciceronis Arat. 492. ex quibus Virgilius ad Æn. viii. 241—247. profecit, sic emendatius scribendi:

> At vero, pedibus subito *percussa* Dianæ,
> Insula *discessit*, disjectaque saxa revellens,
> Perculit et cæcas lustravit luce lacunas.

Ordo est: "Perculit luce et lustravit lu"ce." Vulgo, *perculsa;* de quâ permutatione egimus ad i. 13. Claudianus, rapt. Pros. ii. 187. non nihil nostro debet:

> Post, quam victa manu, duros Trinacria nexus
> Solvit, et immenso late *discessit* hiatu,
> *Apparet* subitus cœlo timor.

Vide Nonium, ii. 232. in *Discedere.* Aliter Sedulius, carm. iv. 284. sed non cum nullâ venustate variationis:

> Ergo, ubi clamantis Domini sonuit tuba, dicens,
> "Lazare, perge foras!" magno concussa pavore,
> Tartara *dissiliunt;* Erebi patuere recessus,
> Et tremuit letale Chaos.

Hæc vel primarium ingenium non dedecorassent.

Ver. 17. *totum inane:* vel omne immensum; ita ut oculis rationis meæ nihil abscondatur, sed vel penitissimi Naturæ secessus retegantur.—Porro, hoc *inane* aliquando nominat *inane vacuum*, vel simpliciter *vacuum*. Paullo audaciorem se dedit Ammianus Marcellinus, xxi. 6. —"diffractis cancellis, quibus unâ cum "pluribus incumbebat, cunctis cum eo *in* "*vanum* excussis,—efflasse spiritum re"pertus est solus—:" i. e. *in inanem aëra.* Hinc autem doctorum virorum tumultus ad Propertium, ii. 13. 45. nullo negotio sedabuntur:

> Hæc videam rapidas *in vanum* ferre procellas:

Adspargunt; neque nix, acri concreta pruinâ,
Cana cadens, violat: semper sine nubibus æther
Integer, et large diffuso lumine, ridit.
Omnia subpeditat porro natura, neque ulla

i. e. *in vacuum altra*, manifestissime. Committas autem velim Stat. Theb. ix. 660.

Ver. 18. *sedes quietæ.* Virgilius, Æn. i. 205.

> Tendimus in Latium, *sedes* ubi fata *quietas*
> Ostendunt.

Pedo Albinovanus, Anth. Lat. ii. 121. 22.

> ———————— aliena quid æquora remis,
> Et sacras violamus aquas, *divûmque quietas*
> Turbamus *sedes*?

Et latebit neminem, in veterum scriptis vel mediocriter exercitatum, hos Lucretii versus nobilissimos adumbrationem esse, sed elegantem tamen, Homericorum quorundam, nobiliorum dicam? in Od. Z. 42.

> 'Η μεν αρ', ὡς ειπουσ', απεβη γλαυκωπις Αθηνη
> Ουλυμπονδ', ὁθι φασι θεων ἑδος, ασφαλες αιει,
> Εμμεναι· ουτ' ανεμοισι τινασσεται, ουτε ποτ' ομβρῳ
> Δευεται· ουτε χιων επιπιλναται· αλλα μαλ' αιθρη
> Πεπταται ανεφελος, λευκη δ' επιδεδρομεν αιγλη.

Hinc autem rectam, facilem, legitimam constructionem expedire; si doctus sis, et de tuâ existimatione solicitus, cave in te suscipias: idem eâdem operâ scaturigines ex pumicibus elicias. Ita fortasse non inepte corrigam, nec laboriose:

> ———————— ὁθι, φασι, θεων ἑδος, ασφαλες αιει,
> ΕΜΜΕΝΕΙ· ουτ' ανεμοισι τινασσεται—.

Veri esse simillimam hanc emendationem efficaciter contendit Pindarica imitatio, ad Nem. vi. 6.

> 'Ο δε χαλκεος, ασφαλες αιει ἑδος,
> ΜΕΝΕΙ ουρανος.

Obstat tamen, fateor, hæc solitaria interjectio verbi φασιν, Homero non usitata: nam frequens illi est formula φασιν ειναι, vel εμμεναι. Igitur επεχω, et aliis trado lampada. Vide sis autem Stat. Theb. vi. 907.

Ver. 19. *neque concutiunt ventei, nec nubila nimbis Adspargunt.* Certe huc respexit Lucius Ampelius, cap. 8. "Argyro est fanum Veneris super mare: ibi est lucerna, super candelabrum posita, lucens ad mare, sub divo cœlo; quam *neque ventus aspergit*, *nec pluvia exstinguit.*" Sed haud dubie sedes dictionum hoc modo transmutari vicissim debet:—"neque *pluvia* aspergit, nec *ventus* exstinguit:" vel saltem sic: "neque ventus *exstinguit*, nec pluvia *aspergit*."

Ibid. *nec:* editoribus *neque* placuit; sed vanis auribus contra veros codices consuluerunt. In sequente versu, L. M. *acre.*

Ver. 20. *nix concreta pruinâ Cana cadens.* Mantuanus hinc sua mutuatus est, ad geo. ii. 376.

> Frigora nec tantum, *canâ concreta pruinâ*—.

Ver. 21. Quemadmodum edidi, ex variarum lectionum perpensatione prius legendum esse perspexeram, quam sic clare scriptum offenderim in editione Pii Bononiensi, atque var. lectt. Juntinæ. Vulgares editiones ita locum exhibent:

> ———————— semper*que innubilus* æther
> *Integit:*

sed illud *que* editorum erat interpositio, ut metro suffultum irent, ne uno quidem libro præter Ω. addicente. Unde actum est de *innubilus;* ea enim licentia in pedis quarti cæsurâ, decurrente versu, moris Lucretiani non castitatem sapit. Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. habent *in nubibus:* nihil autem ex τῳ *in* melius aut facilius feceris, quam *sine.* Porro, *Integer* invenitur in P. V. ed. O. Δ. Π. Σ. at margine postremi vulgatum *Integit* locatur. Et ordo est: "Æther, sine nubibus integer, et *cum* lumine large diffuso, semper ridit." Eadem prorsus constructio Maronis loco persimili contingit, cujus vulgata lectio hinc multum confirmatur, quamvis alibi

Res animi pacem delibat tempore in ullo.
At contra nusquam adparent Acherusia templa;
Nec tellus obstat, quin omnia despiciantur,
Sub pedibus quæquomque infra per inane geruntur,

nos, ut leviter depravatam, conjecturâ tentaverimus. Exstat in Æn. vi. 640.

> Largior heic campos æther, et lumine vestit
> Purpureo—:

" æther largior, et *cum* lumine purpureo, " vestit campos." Post inveni *sine* in var. lectt. Juntinæ.

Ibid. *violat*. Elegantiæ hoc est exquisitissimæ vocabulum; et miror ad usus similes Virgilio non arreptum. Nullus in toto corpore Æneïdos propius attingit locus, quam xii. 67. Noster iterum, iv. 135. pari cum solertiâ ac venustate:

> Ut nubeis facile interdum concrescere in alto
> Vidimus, et mundi speciem *violare* serenam.

Nec minus pulchre de *integro fonte* (vide i. 926.) Prudentius, hamartig. 355. quam de *integro cœlo* noster Carus:

> Nil luteum de fonte fluit, nec turbidus humor
> Nascitur, aut primæ *violatur* origine venæ.

Comparari merentur etiam, quæ notavimus non ita pridem ad Moschum, id. iv. 59. et Juvenal. iii. 20.—Cæterum, τῷ *innubilus* hoc aliquatenus adversatur ex abundanti, quod nusquam in Virgilio compareat.

Ibid. *æther diffuso lumine ridit*. Hinc probe intelligenda est phrasis Euripidea, in Ion. 1466.

> ——— λαμπτῆρας ΑΙΘΕΡΟΣ ΑΝΑΠΤΥΧΑΙ·

ubi nos videndi. Sic Hippol. 606. ἡλίου ἀναπτυχαὶ sunt *explicatus* diei *fulgor*.

Ibid. et 22. *æther diffuso lumine ridit*. De solito Sophocles Homerum, quem apposuimus, imitatus est, ad Antig. 610.

> κατέχεις Ὀλύμπου
> μαρμαρόεσσαν αἴγλαν.

Ver. 22. *ridit:* ita V. ed. et accipiendum putavi, licet alii omnes libri dent commune *ridet*; quia formulis his vetustioribus scribæ semper fuerint infensissimi. Diomedes, de orat. lib. 1. p. 378. " Item, " *rident* procul dubio cuncti dictitant; " apud veteres *ridunt* reperimus dictum; " ut M. Brutus de patientiâ: *Inridunt* " bonum lacrumas." Cæterum, Jacobus Harrisius nostras, Sarisburiensis, vir et subtiliter et eleganter inter primos literatus, hunc et quatuor, qui præcesserint, versus, ut exemplum figuræ, quam *Alliterationem* vocant, pulcherrimum suppeditantes, merito laudavit in philologicis ejus Inquisitionibus, part. ii. cap. 4.

Ibid. *ridit:* i. e. splendet; nam exprimere vult Homereum αἴγλη. Horatius, od. iv. 11. 6.

> *Ridet* argento domus.

Eleganter etiam atque magnifice Statius, Theb. x. 119.

> ——— *effulgent* sylvæ, tenebrosaque Tempe
> *Adrisere* deæ; et, zonis *lucentibus* icta,
> Evigilat domus.

Aliam, sed geminissimam, dictionem Catullus maluit, lxiii. 46.

> Tota domus *gaudet*, regali splendida gazâ.

Nostras pariter Chaucerus in loco pereleganti, *Knight's Tale*, ver. 1495.

> And firie Phebus rysith up so *bright*,
> That all the Orient *laughith* at the sight.

Vide ii. 501. et illic nobis notata. Eleganter autem, et huic loco apposite, Mamertinus, geneth. Maxim. sect. 2.—" id " scilicet animo contemplatus, quamquam " ipse Jupiter summum cœli verticem " teneat, supra nubila supraque ventos se" dens in luce perpetuâ, numen tamen " ejus ac mentem toto infusam esse mun" do—."

Ver. 24. *delibat*. Elegantissime dictum est. " Nulla res, ne quidem de primori " felicitatis suæ superficie, *degustat* ali" quid, et *decerpit*." Hanc potestatem

Hiis ibi me rebus quædam divina voluptas
Percipit, atque horror; quod sic natura, tuâ vi
Tam manifesta patens, ex omni parte retecta est.
Et, quoniam docui, cunctarum exordia rerum
Qualia sint, et quam, variis distantia formis,

vocabuli locus Virgilii egregie declarabit, geo. iv. 54. celerrimum transcursum describens apium, aquæ superficiem præstringentium:

——————— flumina *libant*
Summa leves.

Huc faciunt nonnulla nuper ad ver. 11. observata. Cicero, pro P. Sextio, sect. 56.—" ut—omnes undique flosculos carpam atque *delibem*:" summitatibus nempe decerpendis. A. Gellius, in operis præfatione:——" primitias quasdam, et quasi " *libamenta*, ingenuarum artium dedi- " mus." Sed inutiliter lectorem demoror; nam exemplis verbi hujusce pervenusti appositissimis scripta veterum abundant: unde procul dubio editores emirabitur, qui per facinus detestandum conjecturam Lambini, *delibrat* utique, in textum admiserunt. Vide vi. 621. Eandem dictionem nonnulli obtrusum ivere, per inscitiam summam, periodo Ciceronis longe speciosissimæ, in senect. 21. " Audiebam " Pythagoram, Pythagoreosque,—num- " quam dubitasse, quin ex universâ mente " divinâ *delibatos* animos haberemus:" i. e. decerptos, haustos: committe Virg. geo. iv. 220. Porro, Arntzenius, ad Plin. paneg. sect. xxxviii. 1. hunc locum Lucretii non neglexit, et consulendus est. *Delibrat* suo loco bonum; sed addicentibus membranis: adi nos ad v. 569.—Cæterum, pro *ullo*, V. ed. O. *illo*.—Statim Π. *Aut*, vice *At*.

Ver. 26. *quin:* V. ed. Σ. *quando*.—*despiciantur:* sic omnes tam MSS. quam editi, præter Π. qui *dispiciantur* suppeditat, ad loci proprietatem minus apte, ut cuivis liqueat; quamvis editores aliter censuerint. Silet de L. M. Havercampus; sed quovis pignore contendere non dubitem, nostram lectionem in illis etiam codicibus inveniri. Lector meminerit, poëtam loqui de adspectu *deorsum* spectatoris, in terrâ siti, sub pedibus jacentia contemplantis: quod et Preigero prudenter monitum est. Tempestivus aderit vates Mantuanus, Lucretio illustrando omnium utilissime inserviens, ad Æn. i. 223.

——————— quum Jupiter, *æthere* summo,
Despiciens mare velivolum, terrasque jacentis.

" *Despiciens*, deorsum adspiciens; sicut " *suspiciens*, sursum adspiciens. Notan- " dum sane; quia, si *dispiciens* dixerimus, " *diligenter inquirens* significamus." Servius ibidem. Ad istum nempe locum libri similiter turbant. Vide nos, ad ii. 741.

Ver. 28. *ibi:* ut passim Græci *ἔνθα*, *tum*. Homerus, Il. Ε. 1. ΕΝΘ' *αυ Τυδειδῃ*——. Scholiasta: Ενθ' *αυ· τοτε δη*. Nos: *Upon this*. Omnes libri dant *ubi:* unde editores extuderunt *tibi;* eleganter sane, et codices addixissent utinam! Quum vero *ubi* et *ibi* passim confundantur, (vide Drakenborchium ad Liv. ii. 7. 8. xxvii. 5. 2.) tutius visum est, modestiusque, quod exhibuimus ex ingenii proprii divinatione, et postmodo intelleximus Gronovio prius arrisisse; quem consulas ad Livium, vii. 26. 8.

Ibid. *voluptas atque horror*. " Nimi- " rum *voluptas* ob *inventa*, tam utilia et " præclara; *horror* ob *inventorem*, ne in " principiis rerum ruinas faciat, et exci- " dat magnis ausis, cum tantâ animi mag- " nitudine tam nobiliter periclitatus." Hos animi diffidentis, et sibi colluctantis tamen, affectus fluctuantes optime depinxit Naso, epist. i. 45.

Sponte suâ volitent, æterno percita motu;
Quoque modo possint res ex hiis quæque creari:
Hasce secundum res animi natura videtur,
Atque animæ, claranda meis jam versibus esse;
Et metus ille foras præceps Acheruntis agundus,

> Usque metu micuere sinus, dum victor amicum
> Dictus es Ismariis isse per agmen equis.

S. Matthæus, xxviii. 8.—εξελθυσαι ταχυ απο τυ μνημειυ μετα ΦΟΒΟΥ και ΧΑΡΑΣ μεγαλης. Olim Mæonides, Od. T. 471. ut qui humanæ mentis penetralia reseraverit, ope clavis Naturâ traditæ, posteris præluxit:

> Την δ' άμα ΧΑΡΜΑ και ΑΛΓΟΣ ἑλε φρενα.

Consulas ibi scholiasten. Similiter etiam Statius, ad Theb. i. 493.

> ———————— *lætus*que per artus
> *Horror* iit.

Horrorem similem Lucretius innuit ad i. 13. ubi nos ubertim. Adeas insuper Æschyl. Agam. 278. Stat. silv. v. 2. 10. Theb. vii. 493. Martial. x. 79. Valer. Flacc. vii. 215. Rutil. itin. i. 578. Prudent. apoth. 600. et quæ nos congessimus ad Eurip. Herc. fur. 744.

Ver. 29. *atque:* V. ed. *at.*—*sic:* Ω. ut Δ. in margine, *si.*—*sic natura:* Vind. B. L. M. Q. *signatura;* V. ed. Δ. Π. Σ. —*signatur a.* Hic autem error procul dubio originem habet in crassiore literæ *c* pronunciatione; unde *b* et *v* sæpissime confundi solent.

Ibid. *Percipit horror:* i. e. pertentat, percellit: vide ad i. 13. Hanc dictionis potestatem noster adamat: ita mox, ver. 80. iv. 733. v. 604. vi. 804. Plautus, Amph. 5. 1. 65.

> Nam mihi *horror* membra misero *percipit* dictis
> tuis:

quem locum Lambinus occupavit. Pacuvius in Medeâ, apud Macrob. Sat. vi. 1.

> Divorsei circumspicimus: *horror percipit*.

Ver. 30. *retecta:* V. ed. L. M. *recta.*—*est:* P. *es.* Reliqui omnes libri, quemadmodum nos edidimus, exhibent: critici tamen eo audaciæ processerunt, ut bellulum hunc versiculum, qui per vulgaria exemplaria grassatus est, ex officinâ proprâ nobis deprompserint:

> Tam manifesta *patet* ex omni parte retecta.

Quousque tandem erat corpus honestissimum Lucretii hac spurcitie emendatorum nihil erubescentium coinquinandum?

Ibid. *manifesta patens.* Arnobius, lib. iii. p. 124.—"est operosum nimis concervare in unum multa, cum ex uno et ex altero *manifestum* fiat et *pateat*, hæsitare, labare, nec quidquam vos certi de his rebus, quas asseritis, scire."

Ibid. *retecta:* velamento nempe tuâ manu retracto, quod erat arcanis Naturæ obductum.

Ver. 31. *quoniam:* V. ed. *quom;* Π. *cum.*

Ver. 33. *æterno:* omnes libri *alterno*, præter B. M. qui *alterna:* sed illis universis Lucretium unum fortiter opposuerim: vide ii. 1054. i. 768.—*percita:* V. ed. *partita.*

Ver. 34. *Quoque:* P. V. ed. M. O. Σ. Ω. *Quove.*—*modo:* M. *motu.*—*res ex hiis:* suæ voluntati perperam editores obsecuti voces transpositas nobis dedere, *ex his res:*

Ver. 35. *Hasce secundum res:* i. e. his rebus proxime. Virgilius, geo. iii. 143.

> Saltibus in vacuis pascant, et plena *secundum*
> *Flumina.*

Adde Plautum, Stich. iii. 1. 45.

> Ite hac *secundum* vos *me;* ego hunc lacero diem.

Ver. 36. *claranda.* Verbum Cicero adhibuit in Arateis, ver. 232. sic, ut puto, castigandus:

> Has autem, quæ sunt parvo sub *lumine* fusæ,
> Consimili specie stellas, parilique nitore,
> Non potuit nobis notâ *clarare* figurâ:

Funditus humanam qui vitam turbat ab imo,
Omnia subfuscans mortis nigrore; neque ullam
Esse voluptatem liquidam, puramque, relinquit.
Nam, quod sæpe homines morbos magis esse timendos
Infamemque ferunt vitam, quam Tartara leti;
Et se scire animæ naturam, sanguinis esse,
Aut etiam venti, si fert ita forte voluntas,

i. e. *subfusæ lumine;* quasi *caligo* magis fuerit, quam *lumen*. Vulgo, *culmine*. De permutatione autem horum nominum, adeas Burmannum, in Ovid. ad Liv. 347. et Drakenborchium, ad Sil. Ital. v. 513. Jam pessime Grotius *clarare* mutavit in *clarere;* quod nullo modo tolerandum est in hoc loco. Idem togatæ gentis primus, de divin. i. 12.

> Jupiter excelsâ *clarabat* sceptra columnâ.

Hoc vocabulum Anthol. Lat. Burm. iii. 70. 7. videtur restituendum:

> Ædibus in totis gemmæ licet omnia *clarant*,
> Turpe est, nil domino turpius esse suo.

Vulgo, *claudant*. Sit autem, si mavis, *clarent;* sed, uti dedimus, solent recentiores. Apuleius, de deo Socratis:—"nu-"tantia fulcire, obscura *clarare*." Alia exempla quæras in lexicis.

Ver. 37. *metus Acheruntis*. Credibile est, uti jamdudum aliis observatum est, Virgilium huc respexisse, ad geo. ii. 491.

> Atque *metus* omnis, et inexorabile fatum,
> Subjecit pedibus, strepitumque *Acherontis* avari.

In hanc autem sententiam M. Tullius, de senect. 20. "Mortem igitur, omnibus "horis impendentem, timens, quî poterit "animo consistere?" Quibus gemella sunt, quæ dedit scriptor gravissimus ad Hebræos, ii. 14. 15. sic ad finem interpungenda:—*και απαλλαξῃ τουτους, ὁσοι φοβῳ θανατου δια παντος του ζῃν ενοχοι ησαν, δουλειας.*

Ibid. *præceps agundus*. Prior vox rariore exemplo ponitur adverbialiter quodammodo. Ita Aurelius Victor, de Cæs. xxxiii. 31. "At Senatus, comperto tali "exitio, satellites propinquosque per scalas "Gemonias *præceps agendos* decrevit." Dictys Cretensis, iv. 9.—"cæsique eorum "plurimi, aut in flumen *præceps dati*—." Et Ausonius, Mosell. 272.

> —— subjectum *præceps dare* corpora in amnem.

Nempe *præceps agundus* elliptice dicitur pro "*in* præceps;" quasi *in præcipitium:* ut *in altum*, vel *in profundum*, sonat, *in altitudinem*, vel *in profunditatem*. Sic Apuleius, met. iv. p. 246. ed. Oudend. "per altissimum *præceps*." Hinc Juvenalis pendet, sat. x. 107.

> —————————— unde altior esset
> Casus, et impulsæ *præceps* immane ruinæ:

i. e. "*præcipitium* ruinæ." Vide me, ad vi. 588.

Ver. 38. *Funditus ab imo*. Hæc erant consocianda. Vulgo distinguitur post *Funditus*, ut referatur illa vox ad *agundus foras:* perperam. Noster, ad. i. 992.

> —————— quia nihil est *funditus imum*.

Similiter Virgilius, Æn. ii. 419.

> ———— *imo* Nereus ciet æquora *fundo*.

Ita Persius, et alii plures.—Cæterum, totus hic Lucretii locus pulcherrimâ translatione, a fonte lutulato ductâ, suaviter expolitus est, et egregium artificem gratiarum poëticarum, re verâ nemini secundum, vociferatur.

Ver. 39. *subfuscans*. In editis, *suffundens:* sed nullus dubitem, me ad germanam Lucretii scripturam pervenisse. Cum vulgatis quidem conspirant P. Π. Ω. sed Vind. V. ed. L. M. O. Δ. Σ. habent *suffundans;* Q. *subffundans*. Sentis, opinor, exquisitiorem vocem gradatim librariis stipitibus in vulgarem detortam esse, et insulso gustui inscitorum homunculorum

Nec prorsum quidquam nostræ rationis egere;
Hinc licet advortas animum, magis omnia laudis,
Jactari caussam, quam quod res ipsa probetur:
Extorres iidem patriâ, longeque fugatei
Conspectu ex hominum, fedatei crimine turpi,
Omnibus ærumnis adfectei denique, vivunt;
Et, quoquomque tamen miserei venere, parentant,

magis accommodatam. Sed nullam meo animo inhærere dubitationem Arnobius patitur, qui Lucretianam orationem studiosissime sectatur, exprimitque. Sic ille, lib. vii. p. 222. "Quod est honoris genus, "lignorum struicibus incensis, cœlum "fumo subtexere," (ut Virg. Æn. iii. 582.) "et effigies numinum *nigrore offuscare* "ferali?" Non exstare arbitror veræ si"miliorem conjecturam. Manilius, iv. 530.

——————— multâ *fucat* caligine sidus.

Sed verbi simplicis multa sunt apposita exempla, quibus afferendis supersedere malim.

Ibid. *nigrore.* Pacuvius, in Cic. de div. i. 14.

——— noctisque et nimbûm obcæcat *nigror*.

Sic Lucilius etiam, apud Nonium, voce *Algu*, ii. 28. Arnobius, lib. ii. p. 47.— "quibus ex caussis pili *nigrorem* ingeni"tum ponant?"

Ver. 40. *liquidam puramque.* Sic Arnobius, lib. ii. p. 81. "Quamvis illud, "quod infirmare moliuntur, sit *purum*, et "*liquidum*, et veritatis obsignatione muni"tum." Neque aliter sane Suetonius, ii. 95.—"repente, *liquido* ac *puro* sereno, "circulus ad speciem cœlestis arcûs or"bem solis ambiit."

Ver. 41. *Nam quod:* V. ed. *Namque.* —*homines:* Δ. *omnes;* solenni multum librariis aberratione.

Ver. 42. *Tartara leti.* Sic Maro, geo. iv. 481.

Quin ipsæ stupuere domus, atque intima *leti*
Tartara—.

Ver. 43. *animi:* i. e. animæ; nam nominibus indifferenter passim utitur Lucretius: vide ipsum mox, ad verr. 423. 424. Quum vero hæ voces facillime commisceantur, et nullo modo credibile sit, poëtam nostrum prius illas, contra linguæ constantissimam consuetudinem, confundere voluisse, quam de hac re vel hilum monuerit, contra libros hic scribendum *animæ* malui: neque ambigo, quin optimo consilio, et ipsâ veritate suffragante, sic fecerim. Videas autem dicta ad ver. 118. infra.

Ibid. *naturam sanguinis:* de hac re consulas meam Silv. Crit. ii. p. 111. Pariter Virgilius, Æn. ix. 349.

Purpuream vomit ille *animam;* et, cum *sanguine* mixta,
Vina refert moriens.

Huc faciens, exstat Empedoclis versus:

Αἱμα γαρ ανθρωποις περικαρδιον εστι νοημα:

vide Ciceronem, Tusc. dispp. i. 9. et doctas animadversiones Davisii. Stobæus, ecl. phys. lib. 1. p. 131. ubi versus Empedoclis quoque conservantur: Ουτω γαρ και Ὁμηρος, καλα και πλειστα των μετ' αυτον ὑπελαβεν, εν τῳ αἱματι ειναι ανθρωποις την περι τα θνητα φρονησιν. Plinius, nat. hist. xi. 90. "Magna et in eo (*sanguine*) "vitalitatis portio. Emissus spiritum se"cum trahit." Clemens Alexandrinus, pæd. i. 6. p. 21. Πρωτογονον γαρ το αἱμα εὑρισκεται εν ανθρωπῳ· ὁ δη τινες ουσιαν ειπειν ψυχης τετολμηκασι. Vide Potterum ibidem, et Servium, ad Virg. Æn. x. 908.

Ibid. *animi naturam sanguinis esse.* Arnobius, lib. vii. p. 213.—"animas cum "*cruore* fugientes:" Maronem imitatus, Æn. x. 908.

Et nigras mactant pecudes, et manibus divis
Inferias mittunt; multoque in rebus acerbis
Acrius advortunt animos ad religionem.
Quo magis in dubiis hominem spectare periclis
Convenit, advorsisque in rebus noscere, quid sit:
Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Eliciuntur; et eripitur persona, manet res.

Ibid. *animæ naturam sanguinis esse.* Conveniunt, quæ Etymologicon magnum exhibet in voce *Αιμα: Τινες δε και Ὁμηρον οιονται ταυτης ειναι της δοξης*, (nempe, *την ψυχην ειναι αἱμα*) *εν τῳ λεγειν·*

——— *ψυχη δε κατ' ουταμενην ωτειλην*
Εσσυτ' επειγομενη —.

Ver. 44. Hujusce egregiæ transpositionis excogitatio, quæ nimii sane æstimari nequit, sagacitati Bentleianæ soli debetur; et eâ sagacitate digna est. Quantum salutis hinc Lucretio! Quam feliciter ineptissima commenta priorum interpretum puncto temporis caligini traduntur, et oblivioni! Versus scilicet, qui nobis est quadragesimus quartus, olim stationem quadragesimi septimi occupabat. Laboriosæ confirmationis non eget hæc restitutio nobilissima; quum propriâ luce satis commendetur. *Animam* enim meras esse auras, aut vitalem *ventum*, indoctissimus sit necesse est, qui non exploratum habeat. Conferas velim mox venientes verr. 123. 127. 129. 576. ne longus sim, et lectoribus scitis nimietatis in re pervulgatâ postuler. Hinc insuper nemo, vel levissime harum rerum sapore contactus, non statim confitebitur, nos vere statuisse rescribendum esse *animæ*, in versu præcedente. Anaxagoram et Stoïcos poëta noster, ni fallor, innuit: adi sis Plutarchum, de plac. phil. iv. 3. Valerius Flaccus utramque sententiam haud illepide sociavit, Argon. iii. 107. ubi consulas interpretes:

————————subit ilia cuspis
Olenii: dedit ille sonum; compressaque mandens
Æquora, *purpuream* singultibus exspuit *auram*.

—*venti voluntas:* P. *vetiti voluptas.*

Ver. 45. *prorsum:* Δ. Π. *prorsus.*

Ibid. *Nec rationis egere:* i. e. "animam rationibus philosophiæ et gubernationi mentis non subjici; ideoque eos de re, cum sanguine evomendâ, vel cum spiritu efflandâ, neque unquam ad vitæ officia resuscitandâ, minime cruciari, nec omnino cogitatione mortis perterreri, præ se ferunt."

Ver. 46. *Hinc:* "ex illo nempe, quod dicturus sum," ver. 48—55. quatenus iidem gloriosi, quoties ab illorum conspectu, quibus viri fortes videri volunt, absint longissime, et infortuniis premantur, antiquas religiones studio acerrimo solent exercere. Adeo verum esse Lucretius contendisset Horatii effatum:

Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret.

Ibid. *caussam:* i. e. ut caussam, vel prætextum; regimine legitimo, atque alias usitato: unde non erat, quare *caussâ* reponeretur editoribus, ex auctoritate P. cui consentiunt Δ. Ω. optimis et pluribus codicibus contra stantibus.

Ver. 48. *Extorres patriâ.* Sallustius, Jug. xiv. 11.—"*extorrem patriâ, domo;* inopem, et coopertum miseriis:" ubi plura Cortius largitur, prudenter itidem atque erudite somnia Scaligeri etymologica convellens. Videas etiam Isidorum, origg. x. in literâ *E.* cum Servio, ad Virg. Æn. iv. 616.

Ver. 50. *adfectei:* V. ed. *aflecti;* operarum errore mero: hinc autem in promptu est illud *adflicti* procudere, quod se Lambino perperam probavit. Arnobius, in ipso operis doctissimi limine:—" post-

Denique, avarities, et honorum cæca cupido,
Quæ miseros homines cogunt transscendere fineis
Juris; et interdum, socios scelerum atque ministros,
Nocteis atque dies niti præstante labore
Ad summas emergere opes: hæc volnera vitæ
Non minumam partem mortis formidine aluntur.
Turpis enim ferme contemptus, et acris egestas,

" quam esse in mundo Christiana gens " cœpit, terrarum orbem periisse, multi" formibus *malis affectum* esse genus hu" manum." Et sic alibi Carus noster adsolet.

Ver. 51. *tamen:* i. e. " quamvis glori" entur, se nihil curare mortem:" vel, " quamvis ob has miserias minore cultu " erant numina illis deveneranda." Et per *ærumnis* videtur velle, eas animi ægritudines, quæ superstitiosis terroribus generantur.

Ver. 52. *Et:* Ω. *Quas.—et manibus divis:* Nonius, iv. 291. *et ignibus divi;* Vind. V. ed. B. O. Δ. *manibusque divisque;* similiter cum *et*, Π. Σ. *et* abest L. —Fungi scilicet librarii nihil de *manibus* callebant, ultra illas, quibus corporeis homines utimur. Quid mirum igitur tot, omne genus, venustates tali pecore passim corrumpi?

Ibid. *Et nigras mactant pecudes—Inferias.* Virgilius, geo. iv. 545. huc respexit:

Inferias Orphei Lethæa papavera *mittes*,—
Et nigram mactabis ovem.

Vide Servium, ibid. ii. 380. sed hæc omnia trita sunt atque pervulgata: ideoque desinam.

Ver. 54. *advortunt:* O. *avertunt;* Δ. *advertant.*

Ver. 55. *hominem:* sic soli L. M. Q. reliqui, *homines.* Nempe adhæsit *s* ex vocabulo sequente scripturæ breviatæ *hominẽ:* et verissimam esse hanc lectionem varietas ver. 56. quam avidissime arripimus, tibi ex abundanti luculentissime demonstrabit.

Ver. 56. *quid:* ita Pii codices quidam, cum V. ed. et Ω. sed reliqui omnes, *qui sit*, præter P. in quo est *qui sint.* Sed utrâ libet lectio nostra longe longeque doctior est et exquisitior: de hac autem elegante formulâ ubertim atque ex professo dudum nosmet egimus in Silv. Crit. ii. p. 22. iv. p. 19. v. 21.

Ver. 57. *veræ:* V. ed. Π. *vere.*

Ibid. *veræ voces.* Virgilius, Æn. i. 409.

——— *veras* audire, et reddere, *voces.*

Ibid. *voces pectore ab imo.* Idem, ibid. 371.

Subspirans, *imo*que trahens *a pectore vocem.*

Ver. 58. *et* abest M.—*manet res:* Vind. V. ed. L. M. Q. Δ. Σ. *manare;* B. Π. *manere;* procul dubio vitiosissime.

Ibid. *Eliciuntur voces.* Naso, fast. i. 256.

Voce meâ *voces eliciente* deo.

Nec non similiter ex Pont. ii. 5. 46.

Te dicente prius, fit protinus impetus illi;
Teque habet, *elicias* qui sua *verba* tuis.

Primo intuitu quivis judex harum literarum lautior intelligat, non probam esse tantummodo, sed elegantem etiam in primis, locutionem. *Elicere* laxe potest, " quid reconditum, et quod non temere " attingas, per solertiam quandam pro" trahere in lucem." Livius, xl. 23. 1.— " fide datâ, *arcana* ejus *elicuit.*" Q. Curtius, iv. 6. 5. " Non *metus*, non spes, " *elicit vocem*, quâ *prodantur occulta.*" Horatius, sat. i. 8. 29.

——— Cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent animas, responsa daturas.

Ita locus est interpungendus. *Manes*

Semota ab dulci vitâ, stabilique, videtur;
Et quasi jam leti portas contarier ante.
Unde homines, dum se, falso terrore coactei,
Ecfugisse volunt longe, longeque remosse;
Sanguine civili rem conflant, divitiasque
Conduplicant avidei, cædem cæde adcumulantes:

animæ sunt *animæ* in *inferis;* ut modo Lucretius, ver. 52. *manibus divis*, pro *infernis divis.* Falluntur, qui minus speciose per επεξηγησιν accipiunt, cum enarratore vetere Cruquiano. At enim vis est exemplorum, in propatulo jacentium, dictionis *elicio* in significatu ad nostram expositionem faciente; adeo ut huic rei laboris infructuosi sit solicitius insudare. Non sunt igitur audiendi, qui suum *Ejiciuntur* Lucretio dant operam infligere, fidem codicum pedibus audacter subjicientes. Vide Plaut. Trin. ii. 2. 12. et nos, v. 568.

Ibid. *eripitur persona.* Hic loci *persona* est "tota externa species hominis, "quam præ se quis fert, et unde χαρακ-"τηριζεται:" et translatio est a veste totum corpus ambiente. Commodissimam huic rei operam Venusinus dabit, ex epist. i. 17. 30.

Quidlibet *indutus*, celeberrima per loca vadet;
*Personam*que *feret* non inconcinnus utramque.

Nam Lucretius noster procul dubio tangit apologum veterem asini leoninâ pelle vestiti; ad quem sane Flaccus idem allusisse accipiendus est, in sat. ii. 1. 64.

Detrahere et *pellem*, nitidus quâ quisque per ora
Cederet, introrsum turpis.

Hinc, ut id moneam εν παροδῳ, in fabularum Æsopicarum collectione, quæ prodiit prelo Oxoniensi, anno 1718. fab. 258. simplice versu mancum est αποσπασμαπιον secundum; reliquiæ autem sic nullo negotio in suos iambos cadunt, ope levissimarum castigationum:

Φερων λεοντος δερμα τοις ωμοις, ονος
Ηυχει λεων ΩΝ· αιπολος ΔΕ τις βλεπων——.
Επει δε γυμνος της λεοντης ώρεθη,
Τετον μολων εμνησε της αταξιας.

Ver. 61. *scelerum:* V. ed. B. *sterilis;* unde non male legitur in Π.

—————— socios *scelerisque* ministros.

Ver. 62. *præstante:* quidam codices Pii, *perstante;* quod videtur rectius: quum vero *præstans* sit *præcellens*, vel eximius, et inde *magnus;* contra plures et meliores libros nihil esse novandum existimavi: vide ad ii. 12. Plinius, nat. hist. xi. 19. "Apes sunt—opere ac *labore præstan-*"*tes.*"

Ver. 63. *volnera aluntur.* Virgilius, Æn. iv. 2.

Volnus alit venis—:

ad Græcorum morem. Sophocles, Phil. 795.

—————————— πως αν αντ' εμε
Τον ισον χρονον ΤΡΕΦΟΙΤΕ τηνδε την ΝΟΣΟΝ;

Ver. 65. *ferme:* sic L. M. Q. Ω. vulgares editi, *fama et;* Vind. V. ed. O. Δ. Σ. *formæ;* Π. *forme;* P. *famæ.* Sed de veritate lectionis *ferme*, vix est dubitandi locus. Ita passim loqui solent, quoties rem tantum non universalem diffidentius velint affirmare. Juvenalis, xiii. 236.

Mobilis et varia est *ferme* natura malorum.

Et doctior formula post scribarum inscitorum manus in varietates, quas exposuimus, facillime abiret. Non aliud fuisse judicium editorum, valde miror. Jam respondent optime locutiones, *turpis contemptus*, et, formâ simili, *acris egestas.* Vide v. 831. *Acris* autem pro *acerbus*, *asper*, *tristis*, adeoque *gravis*, passim usurpatur. A Varronis Parmenone, apud Nonium, iv. 17. *το que* fortassis elidendum est, et sic scribendus versus:

Dimitte acreis pectore *curas*, cantu castâque poësi.

Crudeles gaudent in tristi funere fratris;
Et consanguineûm mensas odere, timentque.
Consimili ratione, ab eodem sæpe timore
Macerat invidia: ante oculos illum esse potentem,
Illum adspectari, claro qui incedit honore;
Ipsei se in tenebris volvi, cœnoque, queruntur.

Vulgo, *Dimittisque;* verum, nisi species versuum me fallat, αμετρως.

Ver. 66. *ab dulci:* Δ. Σ. *aduci;* pro *a dulci.*—*videtur:* Q. Π. Σ. *videntur.*

Ver. 67. *contarier:* sic, antiquius, Δ. Π. Ω. et redeas ad ii. 392. Nonius Marcellus, iv. 55. non aliter scriptum reliquit Virgilium, ad geo. iv. 107. Æn. viii. 388. *Contari* autem est *dubitare, hæsitare:* itaque *ante portas leti contarier* pulchre describit hominem, " manentem in dubio, " an fortiter, necne, limen mortis semel " irrumpat, et se proripiat e vitâ."

Ibid. *leti portas.* Virgilius, Æn. vi. 661.

———— patet isti *janua leto.*

Ver. 69. *remosse:* Vind. V. ed. B. Π. Σ. Ω. *remote;* O. Δ. *remoti.* Passim vero hujus familiæ verba, apud utriusque linguæ scriptores, sensum absolutum nanciscuntur; et ita multum solet loqui Lucretius. Florus, ii. 8. 8. " Et maximus " regum,—quum ingenti strepitu ac tu- " multu *movisset* ex Asiâ,—otia et luxus, " tamquam victor, agitabat." Suetonius, iv. 15. " Itaque, ut a Miseno *movit*—." Plautus, mil. glor. iii. 1. 166.

Remove, abi, aufer—.

Adeo trita ventilare piget, et puduisset sane, nisi scripturam sinceram vitiatum ivissent critici; *recesse,* atque etiam *remasse,* ineptissime lectoribus suis proponentes.

Ver. 70. *rem conflant.* Cicero, pro P. Sextio, cap. 30. " Quod genus imperii, " aut quæ provincia, quæ ratio auferendæ " aut *conflandæ pecuniæ,* non reperieba- " tur?" Atque alii sensu consimili, non raro: per translationem a *ventis* conspirantibus derivatam, et inde ad metalla colliquefacta ductam, ob anhelantium utique fornacum flatus.

Ver. 71. *cæde:* Π. *cædi;* ut in communibus editis legitur, contra Macrobii etiam exemplaria, Saturn. vi. 2.

Ibid. *Conduplicant divitias;* uti Juvenalis locutus est, sat. xiv. 229.

———— per fraudes *patrimonia conduplicare.*

Ver. 72. *fratris:* P. Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. *fratres;* sed obstat etiam Virgiliana imitatio, in geo. ii. 510.

———— *gaudent* perfusi sanguine *fratrum.*

Ille locus integer a ver. 503. ad ver. 512. de Lucretiano liberius exprimitur, et ei multum debet. Macrobius ex parte comparationem instituit, l. c. quod Havercampus etiam admonuit.

Ibid. *tristi funere.* Ita Maro, geo. iv. 256.

———— et *tristia funera* ducunt.

Ver. 73. Hesiodum videtur ob oculos habuisse Carus, in opp. et dd. 181.

Ουδε πατηρ παιδεσσιν ὁμοιϊος, ὐδε τι παιδες·
Ουδε ξεινος ξεινοδοκῳ, και ἑταιρος ἑταιρῳ,
Ουδε κασιγνητος φιλος εσσεται, ὡς το παρος περ·
Αιψα δε γηρασκοντας ατιμησουσι τοκηας·
Μεμψονται δ' αρα τυς, χαλεποις BAZONTE ΕΠΕΣΣΙ,
Σχετλιοι.

Ita locus iste certissime legendus est. Vulgo, *βαζοντ' επεεσσι·* perperam, nullâ τε digamma habitâ ratione.

Ver. 74. *ratione:* M. *rationi;* vix sincere, ob κακοφωνιαν. Versus integer abest Δ. me saltem impensissime probante: eo enim sublato, locus fit erectior, nec orationis cursus levi ac jejunâ interpellatione frangitur. Videas modo, et locum uno spiritûs tenore perlegas:

Intereunt partim statuarum, et nominis, ergo;
Et sæpe usque adeo, mortis formidine, vitæ
Percipit humanos odium, lucisque videndæ,
Ut sibi consciscant mœrenti pectore letum;
Oblitei fontem curarum, hunc esse timorem;
Hunc, vexare pudorem; hunc, vincula amicitiaï
Rumpere; et, in summâ, pietatem evortere suadet:
Nam jam sæpe homines patriam, carosque parenteis,
Prodiderunt, vitare Acherusia templa petentes.

Crudeles gaudent in tristi funere fratris;
Et consanguineûm mensas odere, timentque:
Macerat invidia, ante oculos illum esse potentem,
Illum adspectari——.

Ver. 75. *Macerat:* M. *Macerati;* ar-reptâ vocis sequentis literâ. Pro *potentem*, Pius monet, esse qui scribant *potentum:* male.

Ibid. *Macerat:* i. e. macrum facit, κατατηκειν ποιει: unde opportune Lambinus contulit Horatium, epist. i. 2. 57.

Invidus alterius rebus *macrescit* opimis.

Qui versus nobismetipsis pariter in memoriam redierat. Glossator vetus: "*Maceratum*, τετηγμενον.—*Macero*, λεπτυνω. "—*Maceror*, μαραινομαι." Probe et accurate omnia. De invidis etiam Lucilius:

Μακροτερῳ σταυρῳ σταυρουμενον αλλον ἑαυτου
'Ο ΦΘΟΝΕΡΟΣ Διοφαν εγγυς ιδων ΕΤΑΚΗ.

Et auctor incertus de iisdem:

'Ο ΦΘΟΝΟΣ εστι κακιστον, εχει δε τι καλον εν αυτῳ·
ΤΗΚΕΙ γαρ φθονερων ομματα, και κραδιην.

Addam Nasonis de *Invidiâ*, met. ii. 775. 780.

Pallor in ore sedet, *macies* in corpore toto:—
———————— *intabescit*que videndo
Successus hominum:

et Hyginum, in poët. ast. ii. 4. turpi mendâ liberabo: "Quod filia simul ac "vidit, desperatâ spe, solitudine ac pau-"perie oppressa, multis *macerata* lacry-"mis, in eâdem arbore, quâ parens "sepultus videbatur, suspendio sibi mor-"tem conscivit." Vulgo, *miserata*.

Ver. 76. Editores Lucretii, quibus æs triplex erat circa faciem, ita nobis hunc versum recoxere, libris, quotquot sunt vel editi vetustiores vel impressi, graviter reclamantibus:

Illum adspectari, claroque *incedere* honore.

Quemquamne autem hominum eo audaciæ processisse, ut scriptorem nobilissimum ex arbitrio sic demutare non expaverit!

Ibid. *claro honore:* i. e. vestis purpureæ splendore, viris propriæ *honorabilibus*. Hinc Virgilius, Æn. vii. fin.

———————— ut *regius* ostro
Velet *honos* læves humeros—.

Etiam Prudentius, psych. 856.

Hinc sibi sapphirum sociaverat, inde beryllum;
Distantesque *nitor* medius variabat *honores:*

fulgores scilicet. Male capies Horatium, ad od. iii. 2. 18. nisi intelligas metaphoram respicere *vestem*, μη εχουσαν σπιλον, η ῥυτιδα, η τι των τοιουτων· uti loquitur apostolus, Ephes. v. 27.

Virtus, repulsæ nescia *sordidæ*,
Intaminatis fulget *honoribus*.

Conferas eundem, ibid. ii. 11. 9. et nobis cumulata ad Silv. Crit. sect. xciii.

Ver. 77. *Ipsei se:* Π. *Ipsique*.

Ibid. *in tenebris:* "ignoti nempe, non "in luce civium; ab hominum conspectu "remoti, et absconditi." Virgilius, Æn. ii. 92.

Nam, velutei puerei trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt; sic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quam
Quæ puerei in tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi tenebrasque, necesse est,
Non radiei solis, neque lucida tela diei,
Discutiant; sed Naturæ species, Ratioque.
  Primum, animum dico, mentem quem sæpe vocamus,
In quo consilium vitæ, regimenque, locatum est,

Adflictus, vitam *in tenebris*, luctuque, trahebam.

Ibid. *volvi cœno:* i. e. vulgus *suillum*, se luto volutantes. D. Petrus, epist. ii. 2. 22. *Ὑς λυσαμενη εις κυλισμα βορβορου.* M. Tullius, in Verr. iv. 24. "Nam nos qui- "dem quid facimus in Verre, quem *in* "*luto volutatum* totius corporis vestigiis "invenimus?" Hanc autem metaphoram et alii sæpius attigere.

Ver. 78. *statuarum:* sic O. Δ. et Pii codices prisci; reliqui omnes, *statim*, vel *statum;* procul dubio mendose; et nihil ultra equidem disquirendum autumo.

Ibid. *Intereunt partim.* Plautus, Pseud. v. 1. 30.

—— *plaudunt partim; clamitant* me, ut revortar.

Cicero, de orat. ii. 23. fin.—"eorum *par*- "*tim* in pompâ, *partim* in acie, *illustres* "esse *voluerunt.*"

Ibid. *nominis ergo.* Nonius Marcellus, ii. 300. "*Ergo* positum pro *eâ caussâ.* Virgilius, lib. vi. ver. 670.

———————— "*Illius ergo*
"Venimus, et magnos Erebi transnavimus am-
"nes.

"Sisenna, hist. lib. iv. Milites, ut lex "Calpurnia concesserat, *virtutis ergo* civi- "tate donati."

Ver. 79. Hanc sententiam Lucretii multum illustrabunt, invicem collati, Ovidius, epist. x. 82. Claudianus, in Rufin. ii. 140. Plinius, epist. vi. 20. 14. Cæsar, bell. Gall. vii. 77. Dio Cassius, frag. cxxxvi. 4. quos latius non exhibebimus, brevitati consulentes, in quantum Lucretius ipse patietur, ne prolixitate commentariorum nostrorum lectores succumbant defatigati.

Ver. 80. *odium:* Π. *hodie.*

Ibid. *Percipit odium.* Sic loquuntur et alii boni scriptores. Terentius, Eun. v. 6. 2.

Neque agri, neque urbis, *odium* me umquam
percipit.

Plautus, Truculento, ii. 5. 14.

Si bene facere incepit, ejus eum cito *odium*
percipit.

Ibid. *humanos:* i. e. *homines.* Sic Justinus, xlii. 3. "Primus—*humanorum* post "Herculem et Liberum—:" ad quem locum vix parallela sunt interprete corrasa: vide nostrum, ad v. 1155. et Gronovium, ad Liv. viii. 9. 10. Faber in Lexico ex Varrone auream sententiam protulit, huc apprime facientem:

Naturâ *humanis* omnia sunt paria.

Ver. 81. *mœrenti:* V. ed. *morienti:* et, in versu sequente, *habent*, pro *hunc;* neque aliter bis in ver. 83. *c* cum *t* mutato; *hc̄.*

Ver. 83. *hunc* secundum: Π. *huc;* unde mihi probabile admodum videtur Lucretium scripsisse:

———————— *hic* vincula amicitiaï
Rumpere, et, in summâ, pietatem evortere,
suadet.

Ver. 84. *pietatem:* Vind. V. ed. B. O. Q. *pietate;* facili errore.—*evortere:* Q. *vertere.*

Ibid. *suadet:* nempe *hic timor;* mutatâ

Nunc animam quoque ut in membris cognoscere possis
Esse, neque harmoniâ corpus retinere solere;
Principio, fit utei, detracto corpore multo,
Sæpe tamen nobis in membris vita moretur;
Atque eadem rursum, quom corpora pauca caloris
Diffugere, forasque per os est editus aër,
Deserit ex templo venas, atque ossa relinquit;
Noscere ut hinc possis, non æquas omnia parteis

At Thetis, undisonis per noctem in rupibus adstans,
Quæ nato secreta velit, quibus abdere terris
Destinet, huc illuc *diversâ*, mente volutat:

i. e. mente se undique vertente. Mirum est, quot errores ex omni genere hujusce proprietatis ignoratio pepererit. Hinc autem exorsus, venustates plurimorum locorum, minime perceptas, gustu accuratiore tu percipias. Periculum facias velim in Sallustii Catilinâ, ii. 1. et iis, quæ congessit Cortius. Novi neminem, qui hanc rem in Latinis tenuerit, nisi quos ipse verbo deprecor invidiam) certiores fecerim, quamvis in Græcis vel pueri recte calleant. Cæterum, pro *diversi errare*, aliquando dicunt *in diversum errare*, cum præpositione: de quâ varietate Drakenborchius agit, ad Liv. xxvi. 5. 1.

Ver. 107. Ad librorum omnium integerrimum consensum versus scribitur, quem sic ausi sunt refingere, et impressum exhibere, editores audaculi quidam:

Sæpe *utique* in promptu corpus, quod cernitur, *ægrit:*

quasi novum esset omitti verbum substantivum.

Ver. 108. *aliâ parte latenti:* nimirum, *animo.* Hoc autem fieri non potuit, si animus esset mera corporis harmonia: aliter enim, eadem res doleret ac lætaretur uno atque eodem tempore; quod absurdum.

Ver. 109. *retro fit:* Π. *recto fuit.*—*uti:* P. Vind. V. ed. B. O. Σ. *ubi;* et, opinor, vere. Nempe *fit ubi;* "est illud tempus, "in quo—." Et sic tandem volui, ad tenorem generalem loci. Perlege sequentes versus.

Ver. 110. *Quom lætatur:* Δ. *Tum lætare.* Sane *lætaris* non improbavissem, varietatis ergo.

Ver. 112. *sit:* V. ed. *si;* Π. *sic.*

Ver. 113. *quom somno.* Editores ordinem verborum invertere, ad suum arbitrium omnia disponentes, et insultantes libris vetustis.

Ver. 114. *onustum:* Vind. V. ed. B. L. M. Q. Π. Σ. *honestum;* errore ex aspiratione, mediis seculis solitâ, exorto: quando scribebatur nomen, *honustum;* ut in quibusdam codicibus superscriptum est.

Ver. 115. *aliud:* ideoque non illud *corpus*, quod somno degravatum jacet, et expers sensûs.

Ver. 117. *ac:* ita Δ. cum suavi varietate: cæteri retinent *et.*

Ibid. *curas inaneis.* Virgilius, geo. iv. 345.

Inter quas *curam* Clymene narrabat *inanem*
Volcani, Martisque dolos—:

ubi legitur etiam, *curas inanis*, ad Lucretii morem: sed mendose, ut putem; siquidem credibile est, Maroni in animo fuisse ambigui vel levissimam speciem evitare.

Ver. 118. *ut* abest Π. Σ.—*cognoscere:* Ω. *agnoscere.*

Ibid. *animam quoque:* i. e. *principium vitale;* "τὸ ψυχικὸν non minus, quam τὸ "ἡγεμονικὸν," ver. 95.—"tam illud, quo "spiramus et movemur; quam illud, quo

Corpora habere, neque ex æquo fulcire salutem:
Sed magis hæc, venti quæ sunt calidique vaporis
Semina, curare in membris ut vita moretur.
Est igitur calor, ac ventus vitalis, in ipso
Corpore, qui nobis moribundos deserit artus.
Quapropter, quoniam est animi natura reperta,
Atque animæ, quasi pars hominis; redde harmoniaï
Nomen ad organicos saltu delatum Heliconis;

"cogitamus et gubernamur." Interpretes demiror, qui opinati sint, adhuc Lucretium de *animo* loqui. Jam probavit scilicet, *animum* non esse corporis harmoniam; ac pergit idem de *animâ* probare: et ita capienda est argumenti vis: "Satis etiam "liquido patet, *animam* quoque in cor"pore contineri, neque inter omnes partes "per harmoniam quandam æqualiter dif"fundi. Nam, si hoc foret, membro re"ciso, vita aliquatenus afficeretur; quod "experientiæ repugnat: et rursus, inte"gro corpore, et concentu membrorum "nihil turbato, sæpissime diffugere solet "anima; unde ea harmonia itidem non "minus premitur. Restat igitur, ut *ani"ma* sit particula quædam auræ, vel va"poris, a membris ipsis prorsus aliena, "et diversæ conformationis ac naturæ, "alicubi corpore comprehensa."

Ver. 119. *neque:* Δ. *nec.—harmoniam retinere:* Vind. V. ed. L. M. *harmonia interire;* O. etiam, cum Δ. Π. Σ. Ω. habet, *interire:* unde vix dubitari potest, quin error quidam locum obsideat. Interea, me non egregie falsum conjecturæ dixerim, si rescribendum esse proponam, ad hunc modum denique:

—— neque *harmoniâ* corpus *sentire* solere.

Evanuerat nempe elementum *s*, fine vocabuli præeuntis abstractum; et ex *entire*, effectum est *interire*. Nihil tamen citra necessitatem ex conjecturâ mutandum statui: nisi quod vulgatum *harmoniam* repudiandum tandem duxerim. Emendationi meæ ipsa Epicuri verba multum suffragantur, apud Diog. Laërt. x. 66. Ου γαρ οἰοντε ΝΟΕΙΝ αυτην (την ψυχην) ΑΙΣΘΑΝΟΜΕΝΗΗΝ, μη εν τουτῳ τῳ συστηματι ταις κινησεσι ταυταις χρωμενην, ὁτ' αν τα στεγαζοντα και περιεχοντα μη τοιαυτα ῃ, οἱα εν οἱς νυν ουσα εχει ταυτας τας κινησεις.

Ibid. *harmoniâ corpus retinere:* i. e. "non esse harmoniam istam, quam com"menti sunt, per quam anima solet reti"nere corpus in vitâ." Nulla alia apparet, sine meâ divinatione, interpretandi via. *Sentire* autem, *sensum vitalem habere;* quod facillimum fuisset, atque longe simplicissimum: sed lectores proprio judicio fruantur.

Ibid. *harmoniam.* Lactantius, vii. 13. "Quid Aristoxenus? qui negavit om"nino ullam esse animam, etiam cum vi"vit in corpore; sed, sicut in fidibus *ex"tensione* nervorum effici concordem "sonum, atque cantum, quem musici "harmoniam vocant; ita in corporibus ex "compage viscerum ac vigore (forte, *ri"gore*) membrorum vim sentiendi exsis"tere: quo nihil dici delirius potest." Ita scribendum: vulgo, *ex intentione;* sed tres libri MSS. *extensione.*

Ver. 122. *rursum:* sic P. Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. vulgo, *rursus.—caloris:* V. ed. *calore;* B. *colore;* usitatissimâ permutatione.

Ver. 123. *per os editus aër.* Homeri noster videtur non oblitus, ad Il. I. 408. locum longe nobilissimum:

Ανδρος δε ΨΥΧΗ παλιν ελθειν ουτε λῃϊστη,
Ουθ' ἑλετη, επει αρ κεν ΑΜΕΙΨΕΤΑΙ ἙΡΚΟΣ
ΟΔΟΝΤΩΝ.

Sive aliunde ipsei porro traxere, et in illam
Transtulerunt, proprio quæ tum res nomine egebat:
Quidquid id est, habeant; tu cætera percipe dicta.
Nunc animum atque animam dico conjuncta teneri
Inter se, atque unam naturam conficere ex se;
Sed caput esse quasi, et dominari in corpore toto,

Ovidius pariter accedat, epist. ix. 61.

Nempe, sub his *animam* pestis Nemeæa lacertis
Edidit.

Item Cicero, Philip. xii. 9.—" cujus in " complexu libenter extremum *vitæ spiri-* " *tum ediderim.*" Sic alii etiam, nec raro quidem. Cæterum, Virgilius utrumque, *caloris corpora* et *aëra*, sic conjunxit, ad Æn. iv. fin.

———————— omnis et unà
Dilapsus *calor*, atque in *ventos* vita recessit.

" *Dilabsus calor.* Secundum eos, qui di- " cunt animam *calorem* esse. Et dicendo " *in ventos*,—eos sequitur, qui animam " *aërem* dicunt." Servius in commentariis ibidem.

Ver. 124. *relinquit:* V. ed. Π. *reliquit;* eleganter, ut res perfecta tempore præterito efficacius significetur: de quâ venustate nos egimus in Silv. Crit. sect. viii. et alicubi, nisi fallimur, in his animadversionibus.

Ibid. *ossa relinquit:* Virgilius, Æn. iii. 301.

Deriguit visu in medio: *calor ossa reliquit:*

i. e. *vitalis vigor*, quasi mortis frigora accessissent. Viam Mæonides monstraverat, Il. M. 386.

Κάππεσ' ἀφ' ὑψηλοῦ πύργου· ΛΙΠΕ Δ' ΟΣΤΕΑ
ΘΥΜΟΣ.

Ver. 125. *omnia Corpora;* " quæ scili- " cet" (uti vere vidit Creechius) " per " artus distribuuntur, non æquis muneri- " bus fungi; sed majoribus esse virtutibus, " atque efficaciora, venti et vaporis corpora, " præ-aliis omnibus quibuslibet."—Cæterum, pro *neque*, Δ. *nec:* et statim Vind. *vapores.*

Ver. 128. *Semina curare.* De hac elegantiâ dicendi, vide nos ad iv. 246. et locos ibi citatos.

Ver. 129. *Est igitur:* i. e. " Anima, " quæ moribundos artus deserit, nihil est " aliud, quam ventus et calor." Rectum fuerat, " *quod* deserit:" *ea* scilicet *res*, quæ deserit.—Porro, *calor ac ventus* per hendyadem dicitur, pro *ventus calidus:* vide notata ad ver. 96.

Ibid. *ventus vitalis.* Hinc, opinor, Arnobius castigari debet, lib. i. p. 17. " Et " hoc fieri quî potest, cum in mundo pro- " fiteamini eos natos, certoque tempore " *ventum* arripuisse *vitalem?*" ut paullo supra: " Cujus *aër* iste, quem *vitali* reci- " procatis *spiritu?*" Vulgo, *sensum.* Jam vero *arripuisse* valet *hausisse:* conferas Claudianum, in Rufin. i. 207. ii. 121. cum Q. Curtio, v. 5. 19. ad ii. 1038. laudato. Exquisitior dicendi ratio statim librariis indoctioribus imponeret. Hinc est, quod non aliam medelam Aviano adhibendam olim existimaverim, in fab. ix. 14. de viatoribus in ursam offendentibus:

Verum, ubi concreto riguerunt membra timore,
Nam solitus *venti* liquerat ossa *calor:*—

i. e. *aër calidus*, quo corpus animatur; ut intelligatur junctim efferri, quod discrete posuit Lucretius, *calor ac ventus* scilicet. Libri, *mentis:* neque vel ea lectio temere damnanda est. Saltem sine successu Cannegieterus locum tentabat.

Ver. 132. *redde:* P. *redit.*—*harmoniaï:* V. ed. *harmoniam.*

Ver. 133. *Nomen:* Π. *Nomine.*—*ab organico:* M. *ad organicos.*—*saltu:* Vind. V. ed. Π. Σ. Ω. *saltô;* B. Δ. *saltum;* in

Consilium, quod nos animum, mentemque, vocamus:
Idque situm mediâ regione in pectoris hæret.
Heic exsultat enim pavor, ac metus; hæc loca circum,
Lætitiæ mulcent: heic ergo mens, animusque, est.
Cætera pars animæ, per totum dissita corpus,
Paret; et ad numen mentis, momenque, movetur:

margine Ω. *sacro.*—*Heliconi:* P. B. Ω. *Heliconis.*

Ibid. Lego:

Nomen ab *organicis alto* delatum *Helicone:*

sive, ait, organici, vel musici, (ut ii. 412.) eam vocem ex Helicone detulerunt, (i. e. ipsi commenti sunt) sive aliunde porro traxerunt ab aliis repertam, et ad suam artem transtulerunt.

Bentleius.

Ingeniose quidem, sed nimis laboriose, atque ad Vossii mentem, nisi quod ille voluerit *ad organicos.* Nec placet *το redde,* sic nude relictum. Pulchre vetusta manus in margine codicis nostri Ω. sic commentatur: "*Redde nomen:* i. e. sit nomen "illud inventoribus, tanquam vanum, re- "stitutum." Non poterat, opinor, brevius, simplicius, atque luculentius, Lucretii mentem vir doctus declaravisse. Affectatam tamen phrasim, *organico saltu,* nequeo concoquere, nec dubito quin sit librariorum corruptela. Dicit utique poëta, nomen *harmoniam* ab arte musicorum esse derivatum. Hoc tantum. Unde me persuasum habeo, eum vel scripsisse,

——— ab organico *cantu* delatum—:

quæ vox Fabro placuit: vel,

——— ab organico *flatu* delatum—:

vel, denique,

——— ab organico *sonitu* delatum—.

Si quid melius, et elementorum depravatorum ductibus proximius, conjectura felicior attulerit, libentissime manum dabimus: nam in receptâ lectione leporem Lucretii non hodie agnoscimus, neque sumus agnituri. Denique, omnia tentantibus, quod dedimus, perplacuit.

Ibid. Hæc longe certissima versûs hujusce constitutio mihi, dum plagas, prelum exercentes, recenserem, subnata est; et incuso meam tarditatem, quæ non statim veritatem perspexerit. Ne vero formula dicendi, specie insolentior, "redde "aliquid *ad* aliquem," lectorem remoretur; secum velim consideret, par schema in verbo simplice sæpiuscule obversari: nec analogia dubitare siverit, quin, si "res "*detur ad* quempiam," *retro* quoque *dari,* vel *reddi, ad* quempiam, sine controversiâ rectissime possit.

Ver. 134. *traxere:* V. ed. *traxare;* M. *texere.* Forte, *vexere.*

Ver. 135. *proprio quæ:* Π. *principio;* unde non male ad hunc modum tentes:

Transtulerunt; *quæ principio* res nomine egebat.

—*tum:* V. ed. Δ. *cum.*—*nomine:* Π. *minime.*

Ver. 136. *id* abest Π. et totus versus desideratur in L. M. quibus ipse lubens fere assenserim: nam illepidus est, et plebeii artificis, versiculus.

Ibid. *habeant:* i. e. sibi. Cicero, de amic. 5. "Quâ re *sibi habeant* sapientiæ "nomen et invidiosum et obscurum—." Et *confacere* est "unâ efficere," quasi junctis viribus. De hac primariâ verbi significatione videndi sunt viri docti ad Cornel. Nep. xxiii. 10. 5.

Ver. 138. *unam naturam,* animi et animæ. Sic prior Democritus, teste Diogene Laërtio, ix. 44.—*καὶ τὴν ψυχὴν ὁμοίως, ἣν καὶ νοῦν ταὐτὸν εἶναι.*

Ver. 139. *caput quasi dominari:* i. e. *τὸ ἡγεμονικὸν* Græcorum.—Cæterum, *et* abest V. ed.

Ver. 140. *animum mentemque.* Pariter conjunxit Maro, ad Æn. vi. 11.

Idque sibi solum per se sapit, et sibi gaudet,
Quom neque res animam, neque corpus, conmovet unâ.
Et, quasi quom caput, aut oculus, tentante dolore,
Læditur in nobis, non omni concruciamur
Corpore; sic animus non numquam læditur ipse,
Lætitiâque viget, quom cætera pars animaï

——— magnam cui *mentem animumque*
Delius inspirat vates—.

S. Paulus, 1 Thess. v. 23.—*και ὁλοκληρον ὑμων το* ΠΝΕΥΜΑ, *και ἡ* ΨΥΧΗ, *και το σωμα, αμεμπτως εν τῃ παρουσιᾳ του κυριου ἡμων Ιησου Χριστου τηρηθειη.* Redi dicta ad i. 75.

Ver. 141. Ipsius Epicuri voces exornat dilatatque, apud Diogenem Laërtium, x. 66. exstantes: *και το μεν αυτης* (*της ψυχης*) *αλογον ειναι, ὁ τῳ λοιπῳ* ΠΑΡΕΣΠΑΡΤΑΙ *σωματι· το δε λογικον, ὁ εν τῳ θωρακι· ὡς δηλον εκ τε των φοβων και της χαρας.* Sic fortasse scribendum. Libri MSS. dant corruptelas *παρεισαθρει, παρεισαρθρει.* *Παρεσπαρται· dissitum est*; uti noster statim Lucretius, ver. 144.

Ver. 142. *exsultat enim:* Π. *exulat neque.* M. *exsultet.*

Ibid. *exsultat pavor.* Horumce non immemor Virgilius, ad geo. iii. 105.

——— *exsultantia*que haurit
Corda pavor pulsans.

Pavor autem, ni fallor, a *pavio*; quod *pulso*, vel *ferio*: et est trepidatio, seu palpitatio quædam; inter metum et lætitiam medium aliquid, et utrique affectui commune. Appositus est Silius, ad Pun. xvi. 432.

Et, ni successu nimio *læto*que *pavore*
Proditus elapso foret inter verba flagello,
Forsan sacrasset Zephyro, quas voverat, aras.

In primo versu legendum puto, *nimius*; ut expeditior constructio enascatur. Doctas autem editorum animadversiones consulas, qui multa, ad rem nostram facientia, congessere. Livius etiam appositus est, ad v. 39. 1. "Gallos quoque, velut "obstupefactos, miraculum victoriæ tam "repentinæ tenuit: et *ipso pavore* defixi "primum steterunt, velut ignari, quid "accidisset." Sic reponendum aio: codices, *ipsi*; sine efficaciâ.

Ver. 143. *Lætitiæ:* V. ed. *Lætitia.* Nomen scilicet in numero multitudinis librario non placuit: sic autem Plautus, Pseud. ii. 4. 14. et Havercampus laudat Ciceronem, epist. fam. ii. 9. de finn. ii. —*mens:* Π. *mensque*; et omittit *est.*

Ibid. *Lætitiæ mulcent.* Columella, xii. 2. 4.—"spectantes audientesque *lætissimâ voluptate permulcentur.*" Et ordo est: "Circum hæc loca, lætitiæ mulcent "*nos*, vel *homines.*"

Ver. 145. *momen:* P. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. *nomen*; et, quamvis taceant collatores, omnes alii codices fortasse non aliter vocem exhibent, scribis maxime obnoxiam.

Ibid. *numen:* i. e. *νευμα, nutum;* ad quam notionem vox nusquam non capi debet: vide nos, ad ii. 632. Et Manilius, ad i. 111. nostrum poëtam secutus est:

Omniaque ad *numen* mundi, faciemque, *moveri.*

Hinc inscite Eumenius, paneg. Constant. Aug. sect. 14. si locus sit incorruptus: "De quo ego quem ad modum dicam, ad"huc ferme dubito, et de *nutu numinis* tui "exspecto consilium." An dedit, "*motu* "numinis?" Sed defendet Catullus, lxiv. 204.

Adnuit invicto cælestum *numine* rector:

nisi legendum illic *Adfuit.* Credam tamen Apuleium, met. xi. init. hinc esse emendandum, quum Lucretium videatur imitari ad i. 13.—"nec tantum pecuina "et ferina, verum inanima etiam, divino "ejus luminis numinisque *nutu* vege-

Per membra atque artus nullâ novitate cietur.
Verum, ubi vehementi magis est conmota metu mens,
Consentire animam totam per membra videmus:
Sudoresque ita, palloremque, exsistere toto
Corpore, et infringi linguam, vocemque aboriri,
Caligare oculos, sonere aureis, subcidere artus.

"tari." Sed *luminis nutu* vix locum tuebitur. Scribo:—"luminis numinisque "*initu* vegetari:" ne ductu quidem mutato singulari literarum.

Ibid. *momen.* Arnobius, lib. ii. p. 67. —"nec rationes considerabimus nostras "tam esse mortales, quam sumus nos "ipsi, et nullius apud principem *mo*-"*minis.*". Ex emendatione Canteri; nam codices hic etiam habent *nominis.* Iterum Arnobius, p. 77.—"et modo non "parvi, sed esse nullius, existimandum "est *mominis*—." Hanc vocem Manilio sæpius intulit Scaliger; sed, Bentleio judice, nusquam feliciter. Vide mox, ad verr. 189. 190. *Numen* autem et *momen*, *νευμα* et *ῥοπη*, optime conjunguntur: nam translatio videtur a *trabe* in æquilibrio, se movente. Sic Juvenalis, iii. 254.

———————— modo longa *coruscat*,
Sarraco veniente, abies; atque altera pinum
Plaustra vehunt: *nutant* altæ, populoque minantur.

Coruscat autem potest *vibrat*, huc illuc trepidat, movetur: redeas ad dicta in ii. 320.

Ver. 146. *et* deest L. M. Legendum forte:

Idque sibi solum per se sapit, *id* sibi gaudet.

Ver. 147. *unâ:* i. e. simul, vel eodem tempore: neque alia videtur esse dictionis potestas in permultis locis veterum; ideoque non ausus sum editores imitari, qui de suo reposuerunt *ulla*, libris omnibus MSS. et editis vetustioribus uno ore reclamantibus. Commutari sane has voces supra vidimus, ad i. 666. sed nihil temere novandum est, et infructuose.

Ver. 148. *tentante dolore.* Plinius, nat. hist. xxviii. 56. "Ventris quidem *dolore* "*tentari* negant talum leporis habentes." Alibi similiter elegantem locutionem Lucretius adhibuit, et alii bene multi. *Quasi* autem, pro *sicuti*, vel *quemadmodum;* ut iv. 162. Huc in primis pertinet glossator vetus: "*Quasi, καθα περ.*"

Ver. 149. *Læditur:* Δ. *Editur:* ita solent primæ literæ omitti; quas scribæ reservabant, ut studiosius exararent, aut largius darent et exornatius. Vide nos ad Æschyli Eumen. 137.—*concruciamur:* Π. *cum cruciamur.*

Ver. 151. *viget:* V. ed. B. *urget.*

Ibid. *Lætitiâ viget:* i. e. "vegetam, vel "*validam* et ingentem, sentit lætitiam." Consimillimus est usus verbi in subjacente loco Maronis, ex Æn. iv. 175.

Mobilitate viget, viresque adquirit eundo:

i. e. magnam habet celeritatis vim. Maluit Bentleius, "Lætitiâve viget:" cum nullo fructu.

Ver. 152. *membra atque artus.* Sic divisim quoque Virgilius, Æn. vi. 732.

Terrenique hebetant *artus*, moribundaque *membra.*

Proprie autem et conjunctim, ibid. v. 422.

Et magnos *membrorum artus!*

nam *artus* sunt re verâ *compages membrorum*, atque ligaturæ. Ammianus Marcellinus, xiv. 7. "*artuum et membrorum* "divulsâ compage—."—Porro, loco *novitate cietur*, legitur in L. M. *novitatficietur;* quasi marginalis interpretatio quædam vocis *cietur*, nempe *afficietur*, se cum contextu perturbate commiscuerit.

Ver. 153. *vehementi:* Vind. V. ed. B. *venienti;* eisdem nempe literarum ductibus, atque brevior scriptura *vementi*, quæ comparet in P. Q. et Σ.

Denique, concidere ex animi terrore videmus
Sæpe homines: facile ut qui vis hinc noscere possit,
Esse animam cum animo conjunctam; quæ, quom animi vi
Percussa est, exin corpus propellit, et icit.
Hæc eadem ratio naturam animi, atque animaï,
Corpoream docet esse: ubi enim propellere membra,
Conripere ex somno corpus, mutareque voltum,
Atque hominem totum regere, ac vorsare, videtur;

Ibid. *conmota metu mens.* Virgilius locutionem nonnihil variavit, ad Æn. xii. 468.

Hoc *concussa metu mentem*, Juturna virago—.

Ver. 155. *Sudores:* O. *Sudorem.*—*ita:* L. M. *itaque;* Vind. Q. Δ. Π. *ita et.*—*palloremque:* L. M. *pallorem;* cujus omissionis fides penes Havercampum sit, sæpe in hac re minus accuratum. Cæterum, jam plures observavere, Lucretium multa ex ode Sapphûs, Longino conservatâ, exhausisse; quam, quatenus huc pertinet, sicut scribendam arbitramur, apponemus:

——————— το μοι 'μαν
Καρδιαν εν στηθεσιν επτοασεν·
'Ως γαρ ιδω σε, βροχεως με φωνας
Ουδεν ετ' ικει,
Αλλα καμμεν γλωσσα εαγε, λεπτον δ'
Αυτικα χρω πυρ ὑποδεδρομακεν,
Οππατεσσι δ' ουδεν ορημι, βομβευ-
-σι δ' ακοαι μοι·
Καδδ' ιδρως ψυχρος χειται, τρομος δε
Πασαν αγρει, χλωροτερα δε ποιας
Εμμι—.

Tertium versum, et quartum, sic castigaverim:

'Ως γαρ ιδω σε, ΒΡΟΧΟΣ 'ΩΣ με φωνας
Ουδεν ΕΠ' ικει.

Βρυξ, (vel Βροξ), Βρογχος: Hesychius. Et repetitio τȣ 'Ως longe suavissima est in hac animi subitâ perturbatione. Virgilius, ecl. viii. 41.

Ut vidi, *ut* perii! *ut* me malus abstulit error:

Theocritum imitatus, id. ii. 82.

Χ' 'ΩΣ ιδον, 'ΩΣ εμανην, 'ΩΣ μευ περι θυμος ιαφθη:

ut Homerum ille, Il. Α. 512.

——————— Θετις δ' 'ΩΣ ἡψατο γουνων,
'ΩΣ εχετ' εμπεφυυια—:

vel potius ibid. Ξ. 294.

'ΩΣ δ' ιδεν, 'ΩΣ μιν ερως πυκινας φρενας αμφεκαλυψεν.

Illud βομβευσ' εν inferius ortum est ex additamento finalis ν longe ineptissimo, et opprobrio criticorum. Brunckianum vero επιβομβευσι, vel ipsæ Musæ furcillis suis ejecissent. Nec imitatio Catulliana non apponatur, ne fortasse lector lepidus desideret:

——————— nam, simul te,
Lesbia, adspexi, nihil est super mî
* * *
Lingua sed torpet; tenuis sub artus
Flamma dimanat; sonitu suopte
Tintinant aures; geminâ teguntur
Lumina nocte.

Dimanat autem, " passim *dispergitur*, vel *diffluit*, sub artus:" pulchre de *fluidâ* flammâ dictum est: vide nos, ii. 383. Vossius pessime edidit *demanat*. Nec minus idem infeliciter, *suapte:* nam *sonitu suopte* est sonitu *suo*, nempe *ingenito*, propter internos corporis tumultus; non externis aëris ictibus excitato: unde favor conciliatur, ut hominem ingenuum agam, Toupianæ Sapphicorum lectioni: et, quum ασυνδετως locus Catulli currat, Græcæ puellulæ versiculi sic fortasse sincerius constituentur:

Quorum nihil fieri sine tactu posse videmus,
Nec tactum porro sine corpore; nonne fatendum est,
Corporeâ naturâ animum constare, animamque?
  Præterea, pariter fungi cum corpore, et unâ
Consentire animum nobis in corpore cernis.
Si minus obfendit vitam vis horrida teli,
Ossibus ac nervis disclusis, intus adacta;
At tamen insequitur languor, terræque petitus

Αλλα καμμιν γλωσσα ιαγε· λιπτον
Αυτικα χρω πυρ ὑποδεδρομακιν·
Οππατισσιν ουδιν ορημι· βομβευσ·
Εν δ' ακοαι μοι.

Sed res est incertior, atque lectorum judiciis intelligentium submittenda.

Ibid. *Sudores.* Sic in plurali numero Claudianus, Valerius Flaccus, Lucanus, aliique.

Ver. 156. *infringi linguam:* ita ut *integros* sonos expromere nequeat, sed tremulos, si quos ediderit, *fractos*que: confer nostrum, v. 231. Livium, xxxviii. 14. 9. et Valerium Maximum denique, v. 10. ext. 1.

Ibid. *vocemque aboriri:* i. e. ita affici, ut *ortum* et egressum suum non expediat, sed oriens *intercidat.* Statius, silv. i. 1. 49.

Te vultu moriente videt, *linguâ*que *cadente*
Murmurat.

De imperfecto mulierum partu adhibuit vocem *aboriatur* Varro apud Nonium, ii. 24. *aboriri*, Arnobius, lib. iii. p. 105. *aboriantur*, Gellius, xii. 1. "*Aborior*, εξαμβλοω:" glossarium vetus.

Ver. 157. *oculos:* V. ed. *oculo;* elapsâ *s* propter sequentem dictionem.—*sonere:* Vind. V. ed. B. L. Π. Σ. *sonare;* librariis indoctis rarius vocabulum respuentibus.

Ibid. *Caligare oculos, sonere aureis.* Vult τον αμβλυωσμον et τους ηχους Hippocratis, prædict. ii. sect. 2. p. 108. quæ fiunt animo caligante.

Ibid. *Caligare oculos, subcidere artus.* Non aliter Plautus, Curc. ii. 3. 30.

—— *Tenebræ* oboriuntur, *genua* inediâ *subcidunt.*

Ibid. *sonere.* Nonius, x. 4. amplam segetem exemplorum dabit, si hanc formam vocabuli confirmatam velis, Lucretii non immemor; ut neque Priscianus, lib. viii. p. 838.

Ibid. *Caligare oculos.* Hanc *oculorum caligationem*, ex *animi deliquio* subortam, tyrones meminerint Homero sæpenumero descriptam esse. Sic ad Il. E. 310.

—— αμφι δι ΟΣΣΕ κιλαινη ΝΥΞ ικαλυψι.

Medicorum filios quid attinet allegare?

Ver. 158. *concidere:* i. e. αθροως πιπτειν· membris omnibus unâ corruentibus: vide dicta nobis supra, ad ii. 353.

Ver. 160. *animam conjunctam:* Π. *anima conjuncta.*—*animi:* Ω. *animaï.*—Ob apicum similitudinem, excidit Vind. V. ed. L. M. Q. *vi;* O. Δ. *vis.*

Ver. 161. *Percussa est:* V. ed. *Percussat;* omisso elemento *s* ex breviore scripturâ *Percussast*, qualem Pius solet exhibere.—*exin:* Vind. Π. Σ. *extim;* V. ed. B. *extra;* Q. *exsin;* Δ. *et in;* Priscianus, lib. x. p. 886. *exhinc;* Nonius autem, ii. 424. ita locum repræsentat:

Esse animam cum animo conjunctam; quæ, cum animi vi
Perculsa est, *exinde* propellit corpus, et icit.

Sed το *Perculsa* non probo, quamvis has dictiones sæpissime commutari viderimus ad i. 13. ob sequens *icit.* Nempe, animus *percutit* animam, et anima vicissim corpus percutit.—Cæterum, primam syllabam in *propellit* Carus noster semel corripit, ad vi. 1025.

Suavis, et in terrâ mentis qui gignitur æstus;
Interdumque quasi exsurgendi incerta voluntas.
Ergo corpoream naturam animi esse, necesse est;
Corporeis quoniam telis, ictuque, laborat.
  Is tibi nunc animus quali sit corpore, et unde
Constiterit, pergam rationem reddere dictis.
  Principio, esse aio persubtilem, atque minutis
Perquam corporibus factum constare: id ita esse,

Ibid. *icit.* Nonius in hac voce, l. c. magnam vim exemplorum cupienti suppeditabit; inter quæ Turpilii versus in transitu probe constituam:

> A. Nam, si *iceris* me post hac, credas mihi vellim,
> Inquit——Tum quid, censes? B. *Dolebis* scilicet.

Vulgo, *dolebit.* Plautus, Pers. v. 2. 6.

> —— quæ hac res est? Hei, colaphum *icit.*

Legitur etiam vox in Catullo, et in Plinio sæpius.

Ver. 163. *Corpoream:* Π. *Corporea.*—*esse* abest Δ. Porro, Epicurea, his congruentia, sic se habent apud Diogenem Laërtium, x. 67. *ὥσθ', οἱ λεγοντες ασωματον ειναι την ψυχην, ματαιαζουσιν· ουθεν γαρ αν εδυνατο ποιειν, ουτε πασχειν, ει ην τοιαυτη· νυν δ' εναργως αμφοτερα ταυτα διαλαμβανομεν περι την ψυχην τα συμπτωματα.* Conferas Plutarchum, plac. phil. iv. 3.

Ver. 164. *ex:* Δ. *et:* male. Maro, Æn. iv. 572. non aliter:

> *Corripit e somno corpus,* sociosque fatigat.

—*somno:* V. ed. *sommo;* Δ. *summum:* i. e. *summō.*—Statim Ω. habet *At,* pro *Atque.*

Ver. 165. *regere ac vorsare.* Idem Virgilius, ibid. vii. 101.

> Omnia sub pedibus—*vertique regique* videbunt.

Ver. 166. *videmus:* respiciens scilicet ea, quæ dudum disputaverit, ad i. 302—306. et alibi; si memoriâ lectoris res exciderit.

Ver. 167. *est,* me volente, desideratur in Π.

Ver. 169. *fungi:* i. e. pati: redeas ad i. 444.—Pro *cum,* V. ed. B. *rem;* inepte.

Ver. 170. *Consentire:* vide ver. 154.

Ver. 171. *obfendit:* Vind. O. Q. Δ. Π. Ω. *offendis.*—*teli:* sic L. M. et prisca Pii exemplaria: reliqui omnes, *leti.* Eadem confusio dictionum mihi videtur Claudiani codices invasisse, ad rapt. Pros. ii. 568.

> Navita non moritur fluctu, non cuspide miles;
> Oppida funerei pollent immunia *teli:*

i. e. *morborum* immunia; hoc enim est *telum,* cujus ope *Mors* funera dispensat. Vulgo, *leti.* Isidorus, origg. iv. 6. "*Telum* lateris dolor est. Dictum est autem ita a medicis, quod dolore corpus transverberet, quasi *gladius.*" Quem locum Keuchenius versui Samonici, qui numero est 402. admovet, sic certissime ad avitum librum ejus rescribendo:

> Est et vis morbi, quod *telum* commemoratur;
> Quum subito dolor insanus *ferit* incitus ictu.

Aliter, *furit.* Ammianus Marcellinus, ad xxx. 6. superveniet commodissimus: "Paullatimque lenitus, et ad molliora propensior, tanquam *ictus telo,* vitalique viâ, voceque simul, obstrictâ, suffectus igneo lumine cernebatur." Sic plures membranæ: editi, *ictus e cœlo;* quæ mihi videntur minus exquisita, et correctorem sapere. Cæterum, bene notum est, eos, qui morbis subitaneis violentisque sint mortui, peste, vel insaniâ, vel puerperio denique, Apollinis ac Dianæ *telis* confectos esse apud Homerum dici: nec non mille sunt in poëtis metaphoræ, ad mortem spectantes, haud aliunde derivatæ.

Hinc, licet advortas animum, ut pernoscere possis.
Nihil adeo fieri celeri ratione videtur,
Quam sibi mens fieri proponit, et inchoat ipsa.
Ocyus ergo animus, quam res se perciet ulla,
Ante oculos quorum in promptu natura videtur.
At, quod mobile tanto opere est, constare rotundis
Perquam seminibus debet, perquamque minutis:
Momine utei parvo possint inpulsa moveri.

Ibid. *obfendit:* vel *invenit* et attingit, vel *lædit.* Nullus exstat vocabuli significatus, qui in hunc locum non probe cadat.

Ver. 172. *disclusis:* i. e. viâ in corpus ita *patefactâ* et ampliatâ, ut *disrumpantur* ossa cum nervis. Hinc longe longeque elegantior est vulgatâ nonnullorum exemplarium scriptura ad S. Joannis evang. xix. 34. Αλλ' εἱς των στρατιωτων λογχῃ αυτȣ την πλευραν ΗΝΟΙΞΕ· και ευθυς εξηλθεν αἱμα και ὑδωρ. Plures libri, ενυξε: sed illa lectio sincerissima est, et omnino admittenda. Non pigebit harum venustatum sectatores perlegisse, quæ nos dudum in hanc rem uberius disseruimus in Silv. Crit. sectt. xcviii. ccx. ad finem. Tempestivus aderit Achilles Tatius, iii. 8. ita leviter castigandus: Ορνις την Προμηθεως γαστερα τρυπᾳ· ἑστηκε γαρ αυτην ΑΝΟΙΓΩΝ· ηδη μεν ΑΝΕΩΓΜΕΝΗΝ, αλλα το ῥαμφος ες το ορυγμα κειται· και εοικεν ῾ΥΠΟΡΥΤΤΕΙΝ το τραυμα, και ζητειν το ἡπαρ. Vulgo, επορυττειν· illud autem τρυπᾳ, vice τρυφᾳ, elegantissima est Bodeni emendatio. Ovidius, epist. viii. 53.

> Hanc tamen implesti; *juguloque* Ægisthus *aperto*
> Tecta cruentavit, quæ pater ante tuus.

Ibid. *adacta.* Vox est τῳ *teli* optime conveniens. Sic Virgilius, Æn. ix. 431. Lucretianam orationem pulchre illustrans:

> Talia dicta dabat; sed viribus *ensis adactus*
> Transabiit costas, et candida *pectora rumpit.*

Porro, pro *adacta:* Π. *adapta.*

Ver. 173. *terræ petitus:* i. e. in terram casus: ut *terram petere* passim frequentatur. Lambinus prudenter contulit i. 93. et Virg. Æn. iii. 93. Et molli dictione usus est poëta, quia de leniore tantummodo sensuum stupore ac caligine intelligendus, ab ictu non admodum violento; qualis hominem potius confundat, quam graviter lædat, ac prorsus obruat: ita stupefaciens animum, et caligare cogens, ut solet vini vis.

Ver. 174. *mentis:* V. ed. B. Π. et Σ. *mentes;* prisci codices Pii, *mitis:* unde versiculus ita concinnatus minime displiceret:

> ———————— terræque petitus
> Suavis, et *interea mitis* qui gignitur æstus.

De confusis *interea* et *in terra*, consulas Heinsium et Burmannum ad Valer. Flacc. i. 452.—*gignitur:* Δ. *dicitur.*

Ver. 174. *Suavis.* Amicus meus J. Jones conjecit, *Sævus:* sed minus necessario. Verbis enim curiose lectis, atque pensitatis, poëta conatus est ad vivum describere eam capitis vertiginem ex ictu leviore, haud prorsus insuavem sane, (quem bene memini mihi puerulo contigisse, vi lapidis capiti impactâ) unde omnia circum videntur natare nobis, nec cum dolore tamen. Phrasis *qui gignitur* displicuit etiam Bentleio; et Faber varie locum tentavit, sed undequaque απροσδιονυσως atque infeliciter. Dicam etiam νοθειας his quinque versibus, ab 171. ad 176. nimirum, non dubitavit scribere Lambinus. Satis quidem nobismetipsis faciunt, et eximiis Lucretiani sermonis leporibus etiam contacti videntur.

Ibid. *æstus:* i. e. fluctuatio. Nempe,

Namque movetur aqua, et tantillo momine flutat;
Quippe volubilibus, parvisque, creata figuris.
At contra mellis constantior est natura,
Et pigrei latices magis, et contantior actus:
Hæret enim inter se magis omnis materiaï
Copia; nimirum, quia non tam lævibus exstat

vocabula *æstus*, *æstu fluctuo*, cum permultis aliis consimilibus, ad affectus animi passim transferuntur; ut fuerit otium inaniter terentis, de corradendis exemplis angi. Vide Apuleium, met. lib. iii. initio. Certe gemellæ locutiones tantopere probis scriptoribus frequentantur, ut nonnullus favor inde concilietur varietati codicis Δ. *dicitur*, utique, loco *gignitur:* quamvis frigeat ea lectio, me judice, præ receptâ.

Ver. 175. *voluntas:* Δ. *voluptas.*

Ver. 177. *Corporeis:* Δ. *Corporis:* et *ea esse* versûs præcedentis abest Π.

Ibid. *telis ictuque.* Hinc egregie stabilitur lectio, quam modo prætulimus alteri ad ver. 171. Et per hendyaden noster locutus est, pro *ictu telorum.* Talem formulam nonnulli male solicitabant in Pomponio Melâ, ii. 2. 84.—"divisas *spatio pelagoque* terras—:" i. e. pelago spatioso; nempe, si facinus patratum, re expertus, contempleris.

Ver. 178. *Is:* Δ. *At;* quod malim.

Ver. 180. *aio:* B. Π. *animo;* vice puncti lineolâ nempe ductâ, *aïo;* Pii quidam codd. *animum;* i. e. fortasse, *animō*, vel *animom;* non male, nisi quod eadem vox toties repetita parum placeat. —*persubtilem:* V. ed. Π. *per sutilem.*

Ibid. *persubtilem atque minutis corporibus:* vide notata ad ver. 187. de hac animi subtilitate.—Mox, in ver. 182. Π. *et*, pro *ut.*

Ver. 182. Ordo est: "Licet advertas "animum, ut possis hinc pernoscere id "ita esse:" atque adeo interpunxi. Editiones aliæ non distinguunt post *Hinc:* sed *Hinc animum advertere* minime sonat ad Latinæ linguæ ingenium.

Ver. 183. Hos versus ita permiscuit liber Π.

Nihil adeo fieri proponit et inchoat ipsa
Quam si mens fieri celeri ratione videtur.

Et ausus sum rescribere *sibi*, vice *si*, ne uno quidem codice, vel edito vetere, addicente: sed ipsâ re, ni fallor, hanc emendationem enixissime postulante. "Nihil fit ope corporis, aut alio quovis mo"do, tam celeriter, quam mens *sibi* pro"ponit faciendum." Mihi det explicatas, qui poterit, loci, prout vulgo scribitur, rationes. Forte an brevior scriptura mendam importaverit.

Porro, de *celeritate animi* (vide nos ad Mosch. idyll. ii. 107.) locus Homeri insignis est, in Od. H. 36. quem tangunt Faber et Preigerus, quorum hic nos mittit ad Rittershusium in Oppian. hal. v. 660. qui multa paria congessit:

Των νεες ωκειαι, ὡς ει πτερον, ηε NOHMA:

ubi Clarkius in hanc rem videndus est; nam versus Claudiani perelegantes nobis præripuit: videas etiam locum ex Homeri hymnis, ad ii. 1047. huc facientem.

Ver. 186. *quarum:* sic Vind. Q. Π. Ω. sed alii omnes, *quorum;* et, opinor, vere. Redit nempe ad communem loquendi formam, habitâ præcedentis nominis *res* nullâ ratione. Alibi similiter.

Ver. 187. *At:* V. ed. B. *Aut;* et *mobile* sequitur *est* in Π.

Ibid. *rotundis Perquam seminibus*, *perquamque minutis.* Epicurus, apud Diog. Laërt. x. 66. Αλλα μην και τοδε λεγει εν αλλοις (Επικουρος), και εξ ατομων αυτην (την ψυχην) συγκεισθαι λειοτατων και στρογγυλωτατων.

Corporibus, neque tam subtilibus, atque rotundis:
Namque papaveris, aura potest subpensa levisque
Cogere, ut ab summo tibi diffluat altus acervus;
At contra lapidum conjectum, spicarumque,
Nenu potest: igitur, parvissima corpora pro quam
Et lævissima sunt, ita mobilitate fruuntur.

Ver. 189. *Momine:* V. ed. *In homne;* Vind. Π. Σ. *In omne;* Δ. *Flamine*, super rasurâ: redi sis ad ver. 145.

Ibid. *Momine parvo inpulsa.* Terentium noster, ut putem, respexit, in And. i. 5. 31.

> Dum in dubio est animus, *paullo momento* huc
> vel illuc *inpellitur.*

Ubi sic Donatus, leviter castigandus: "Translatio hæc est a mole alicujus pon- "deris; quæ, ante quam in loco sederit, "*dum* incerta pendet, facillime commo- "vetur." Vide quæ ad locum congesserit Westerhovius. Sed nemo superavit Horatium, epist, i. 18. 110.

> ——— neu *fluitem* dubiæ spe *pendulus* horæ.

Porro, Festus, qui versum coram nobis laudat, non est prætermittendus: "*Mo-* "*men*, momentum, Lucretius:

> "Momine *si* parvo possent *impulsa* moveri."

Unde non dubito me daturum esse sinceram, et longe longeque elegantiorem, lectionem:

> Momine *si* parvo *possunt* inpulsa moveri:

i. e. siquidem possunt, *quoniam* possunt. Pariter exquisite Virgilius, ad Æn. vi. 119.

> *Si* potuit manis arcessere conjugis Orpheus—.

Falleris, si capias aliter S. Matthæum, iv. 3. ΕΙ *υἱος ει του Θεου:* "quum in confesso "sit, te esse Dei filium, hoc certe potes "facere." Neque aliter passim tam Græci, quam Latini.

Ver. 190. *momine:* Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. *nomine.* Similis menda Hilarium occupavit, opinor, in gen. 33.

> Mox Dominus rerum somnos discussit inertes,
> Pigraque materies trepidavit, *momine pulsa.*

Vulgo, *nomine.* Poteras etiam, *numine;* sed illud equidem præferam, quum sermonem Lucretii videatur ille æmulatus. —*flutat:* V. ed. O. Q. *fluitat;* quod perinde est, et more Lucretiano stare poterat; Π. *fluat.*

Ver. 191. *volubilibus figuris.* Huic loco convenientissime Horatius, od. iv. 1. fin.

> ——— jam volucrem sequor
> Te per gramina Martii
> Campi; te per *aquas*, dure, *volubiles.*

Et similiter iterum, epist. i. 2. 43.

> Rusticus exspectat, dum defluat *amnis;* at ille
> Labitur, et labetur, in omne *volubilis* ævum.

Hos sequitur Calpurnius, ecl. vi. 63.

> Sed ne vicini nobis sonus obstrepat amnis,
> Gramina linquamus, ripamque *volubilis undæ.*

Ver. 192. Attende, lector, solertiam poëtæ; dum stabilitatem mellis pondere numerorum spondæorum pingit potentissime.

Ibid. *contra.* Hoc adverbium abbreviatum puto ex *contrariâ:* i. e. parte, vel viâ, contrariâ: cui rationi ad amussim respondet gemella Græca phrasis, *ἐξ ἐναντιας·* i. e. *ὁδου.*

Ver. 193. *contantior:* Π. *constantior;* vetere scripturâ, quam loco recentioris *cunctantior* exhibendam duximus, leviter vitiatâ.—*actus:* V. ed. P. B. *ictus.*

Ibid. *pigrei latices:* quos Virgilius appellat, *mella tenacia*, geo. iv. 57. i. e. *cohærentia.*

Ibid. *actus:* i. e. *motus.* Festus: "*Ac-* "*tus* significat—*motum* corporis." Varro, de ling. Lat. iv. 4. "*Actus*, iter in "agreis; quod agendo teritur." Unde varia lectio *ictus* derivari potuit a marginali glossâ *itus*, vocis Lucretianæ. Sed

At contra, quæquomque magis cum pondere magno
Asperaque inveniuntur, eo stabilita magis sunt.
  Nunc igitur, quoniam est animi natura reperta
Mobilis egregie, perquam constare necesse est
Corporibus parvis, et lævibus, atque rotundis:
Quæ tibi cognita res in multis, o bone! rebus

facilis esset etiam commutatio ejus cum *actus:* et certe sic scribæ peccaverunt ad Ammiani Marcellini lib. xxii. cap. 8.—"fluvii diversi, Acheron, itidemque Arcadius, et Iris, et Tibris, et juxta Parthenius, omnes in mare *ictu* rapido decurrentes." Rescribe, meo periculo, *actu:* i. e. agmine: vide nostrum, v. 272. Sane ad manum sunt loca, quibus vulgata lectio defendi posset; sed probabilior est nostra divinatio, et nomen *ictus* in hoc usu, ni fallor, exemplo caret.

Ver. 194. *enim:* Δ. *et.*—Mox, V. ed. exhibet nobis *qui*, pro *quia*.

Ver. 197. *papaveris:* V. ed. Π. *papaverum;* et, opinor, ferri poterat: vide nos ad ii. 465. sed tutius habui meliorum codicum voluntati, atque etiam plurium, obsecundari. Locus jam occurrit in præcedentibus, ubi nomen singulare similiter generalem sensum sibi vindicavit: sed excidit memoriâ.

Ibid. *subpensa.* Consulas dicta ad v. 1068. quæ hoc vocabulum spectant. At malim scribi *subspensa*.

Ver. 198. *ab:* Π. *a.*—*diffluat:* Π. *defluat;* non male, et erat hæc commutatio speranda: anteponam tamen τὸ *diffluat*, i. e. "in omnes partes diversimode spargatur," τῷ *defluat*, i. e. "deorsum fluat," vel "decidat." Vide perdoctum Munckerum, ad Hygin. fab. lx. recte de his dictionibus judicantem.

Ver. 199. *spicarum:* sic legitur in P. Vind. L. O. Q. Δ. Π. Σ. Ω. et haud dubie vetus est verbi usus pro *hastarum;* et altera lectio, *spiculorum* nempe, V. ed. vel *spiclorum*, M. si fides Havercampo, (ut *poclis* Prudentius, peristeph. x. 740. et alia similiter) pro interpretamento nostræ haberi debet. *Spicula* scilicet merum est diminutivum τοῦ *spica:* ut *mica*, *micula;* *spina*, *spinula;* et similia. Isidorus, xvii. 3.—"proprie *spica* est, cum per culmi folliculum—aristæ adhuc tenues in modum *spiculi* eminent." Idem. xviii. 8. "*Spicula* sunt sagittæ, vel lanceæ breves, ab *spicarum* specie nuncupata." Consule Gratii cyneg. ver. 118. et doctos Barthii commentarios; nec non Virgilium, geo. i. 292.

Ver. 200. *Nenu:* sic Q. B. L. M. si modo veros habuimus collatores: cæteri omnes, *Nulla*, præter Δ. qui *Næmi*, pro exquisitiore vocabulo, quod imprimendum voluimus, multum faciens: vide iv. 716. Nonius Marcellus, ii. 580. exemplum conservavit vocis *Nenu* ex Varrone, et alterum Lucilii. Non videtur alibi occurrere in monimentorum Latinorum reliquiis.—*pro quam:* sic Ω. uti editio Antwerpiana, anni 1565. et Francofurtana, anni 1631. Verissime: vide sis dicta ad ii. 1136. P. *quæque;* reliqui, *perquam;* vero proxime.

Ver. 201. *Et:* P. *Ut.*—*mobilitate:* Vind. L. Q. *mobilitata:* sed mihi suspecta est collatorum diligentia.—*fruuntur:* sic P. Vind. V. ed. O. Q. et Σ. in margine, multimodis elegantius: vulgo, *feruntur;* quod sapit magis emendatorem plebeium, quam suavissimi poëtæ venustissimum artificium: et, an re verâ compareat in libris vetustissimis hæc lectio, qui ista exemplaria poterunt oculis usurpare, melius dixerint. *Fruor* et *potior* aliquoties valent simpliciter *habeo*, *fungor*, vel *possideo:* adeas nostrum, ii. 652. iv. 765. Hinc errabat Davisius, dum extrusum ibat codicum lectionem, ad Ciceronis Tusc. dispp. iii.

Utilis invenietur, et obportuna cluebit.
Hæc quoque res etiam naturam dedicat ejus,
Quam tenui constet texturâ; quamque loco se
Contineat parvo, si possit conglomerari.
Quod simul atque hominem leti secura quies est
Indepta, atque animi natura, animæque, recessit;

16. pro "*fruatur* officio," reponens editorum conjecturam, "*fungatur* officio." Horatius, epist. i. 1. 71.

Non, ut porticibus, sic judiciis *fruar* iisdem:

i. e. *utar*, vel adhibeam. Porro, hæ dictiones commutantur etiam ad Ovidium, trist. i. 5. 7. Statium, Achill. ii. 331. et, in utroque loco, *frueretur* τῳ *ferretur*, atque *fruuntur* τῳ *feruntur*, longe equidem prætulerim.

Ver. 202. *quæquomque*, vel *quæcunque:* B. *quacunque;* Q. solus, si fideliter egerit collator, *quo quæque;* ut communes editi, audacter satis, et sine ullo fructu, quum nullo modo necesse sit το *eo* suum *quo* individuum comitem habere. *Eo* hic potest *ideo*, ut in permultis vel optimorum scriptorum locis.

Ver. 204. *est* haud legitur in V. ed. L. M. Π. Σ. et ponitur ad finem versûs in Ω. Quovis pignore contenderim sic Lucretio scriptum esse:

Nunc *igitur*, *animi* quoniam natura reperta *est*.

Pausa sermonis violatæ quantitati pulchre et efficaciter mederi quit: hoc autem librariorum captum facile excessit.

Ver. 205. *constare:* V. ed. *constans.*

Ibid. *Mobilis egregie:* ut *egregie cordatus*, Ennius; *egregie caram*, Terentius; *egregie fidelis*, Cicero; et *egregie pia*, Apuleius: i. e. valde atque præcellenter, ultra hominum vulgarium *gregem:* vide sis notata ad i. 735.

Ver. 207. *o:* P. *et.* Totus versus deest Π.

Ibid. *o bone!* Sic Horatius, sat. ii. 6. 51. Virgilius, Æn. xi. 344. "*O bone* "*rex!*"

Ver. 208. *res Utilis invenietur:* i. e. *erit*, ad usitatissimam elegantium scriptorum formulam, quam alicubi lectorum animadversioni commendaverim. Euripides, Hipp. 662.

Ει μη γαρ ὁρκοις θεων αφρακτος ΕΥΡΕΘΗΝ,
Ουκ αν ποτ' ισχον μη ταδ' εξειπειν πατρι.

Ad quem locum demiror Marklandum Brunckiumque, contra MSS. et scholiasten, Piersoni emendationem admittentes. Sed neque Valckenaërus non est erroris coarguendus, qui utrinque punctis absciderit vocem *αφρακτος*, obsecutus Reiskio; unde constructio prorsus subruitur, et expediri nequit. Nimirum, *αφρακτος ὁρκοις θεων* exquisita est locutio, quales poëtico sermoni frequentantur, pro "munitione "privatus, propter jusjurandum deorum, "quod susceperim." Hoc clarissimum est, atque extra dubitationem positum.

Ibid. *cluebit:* V. ed. *eluebit;* Π. *lucebit.*

Ver. 209. *dedicat:* O. *dederat;* Δ. *declarat;* ex glossâ. Editi vulgares nimium patienter, *deliquat*, ad importunissimam Lambini emendationem. Redi ad i. 368. 423.

Ver. 211. *si:* L. M. Ω. et prisci codices Pii, *se.*—*possit:* V. ed. *posset.*

Ibid. *si possit.* Locutus est dubitanter; eo quod per omnes artus *anima* dispergitur, quamvis ea portio, quæ melius vocatur *animus*, in loco quodam sibi proprio dominetur. Vide ver. 137—144.

Ver. 212. *secura quies.* Virgilius, geo. ii. 467.

—— *secura quies*, et nescia fallere vita—.

Ver. 213. *Indepta:* M. Ω. *Adepta;* Π.

Nihil ibi libatum de toto corpore cernas
Ad speciem, nihil ad pondus; mors omnia præstat,
Vitalem præter ventum, calidumque vaporem.
Ergo animam totam perparvis esse necesse est
Seminibus, nexam per venas, viscera, nervos:
Quâ tenus, omnis ubi e toto jam corpore cessit,

Invecta; quod tolerari poterat, si desideraretur lectio commodior, et Latinorum summis scriptoribus frequentata. Festus: "*Indepisci*, adsequi:" uti mox noster, ver. 945.

Ver. 214. *ibi:* Ω. *tibi;* elegantissime, sed errore tantummodo, forsitan, felici.—*libatum:* Vind. Q. *limatum;* quam variationem potius incuriæ collatoris imputem, quam codicum MSS. fidei: vide nos ad ver. 11. Sed et Manilii politissimos versus lectori nostro non invidebimus, qui leguntur apud eum ad ii. 56.

Integra quæramus rorantes prata per herbas,
Undamque occultis meditantem murmur in antris;
Quam neque durato gustarint ore volucres,
Ipse nec ætherio Phœbus *libaverit* igni.

Ver. 215. *nihil:* sic P. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. vulgo, ut passim sane, contra libros, *nil*.

Ibid. *præstat:* i. e. exhibet, ostendit.

Ver. 216. *ventum.* Omnes libri, *sensum:* sed egregiam emendationem amici mei Joannis Jones lubentissime amplector, ac pro meritis in contextu pono. Nihil est in hac arte criticâ magis indubitatum, quam hæc ipsa restitutio: conferas velim verr. 127. 129. 233. 234. 248. et animadversa nobis ad ver. 44. Sed, me tacente, suas virtutes hæc præstantissima divinatio proloquitur, et omne punctum doctorum feret.

Ver. 218. *nexam:* Vind. *noxam;* V. ed. *vixam;* mendose, pro *nixam*, quod legitur in Π. Itidem male: vide ii. 949. Similem translationem Juvencus exhibuit in versibus quibusdam minime invenustis, hist. evang. ii. 668. quos secum communicatos lectores lauti non supercilio excipient:

Nec vobis mirum videatur, corpora cuncta
Vocis ad auditum propriis exsurgere bustis,
Justorumque *animas* redivivo *corpore necti*.

Addam Virgilium, in Æn. xi. 829. de Camillæ morte cantantem:

———— Tum frigida *toto*
Paullatim *exsolvit* se *corpore:*

in quibus colorem sermonis Lucretiani facile adgnoscas. Interea, medicinam Ammiano Marcellino, xiv. 11. p. 57. ed. Vales. facere quid prohibet? "Solutus enim "*corporeis nexibus* animus, semper vigens "motibus indefessis, et cogitationibus "*sublectus* et curis, quæ mortalium soli"citant mentes, colligit visa nocturna, "quas φαντασίας nos appellamus." *Sublectus* autem est summotus, quasi se *suffurans:* quo nihil elegantius aptiusque. Vulgo, *subjectus;* contra manifestissimum loci scopum. Possis etiam hoc modo probabiliter: "*nec* cogitationibus sub"jectus:" sed conatus ille longe venustior est. Aliter Davisius olim tentabat ad Ciceron. de divin. i. 30. Has insuper voces librarii confudere ad Liv. xxiii. 23. 4.

Ver. 219. *e:* M. *et;* i. e. *ē*, vel pro *ex;* deest vocula Π. codici.

Ver. 220. *circumcæsura:* i. e. περικοπὴ, περιτομή: et translatio videtur a figuris in cortice, vel cespite, vel quavis aliâ materie, instrumento quovis acuto *sectis*. Cicero, in Tusc. dispp. i. 20. *circumscriptionem* vocat. Sed ad hunc locum illustrandum se quasi composuit Arnobius, lib. iii. p. 107. "Nostra de hoc sententia talis est: "Naturam omnem divinam, quæ neque "esse cœperit aliquando, nec vitalem ad "terminum sit aliquando ventura, linea"mentis carere corporeis, neque ullas "formarum effigies possidere, quibus cr-

Extima membrorum circumcæsura tamen se
Incolomem præstat; nec defit ponderis hilum:
Quod genus est, Bacchi quom flos evanuit, aut quom
Spiritus unguenti suavis diffugit in auras;
Aut aliquo quom jam sucus de corpore cessit:
Nihil oculis tamen esse minor res ipsa videtur

" *tima circumscriptio membrorum* solet " coagmenta finire.—At vero vos deos " parum est formarum quod amplectimini " mensione, filo et adterminatis humano, " et, quod indignius multo est, terreno- " rum corporum *circumcæsurâ* finitis." Vegetius, i. 24.—" si nimia necessitas non " premit, cespites *circumciduntur* e ter- " râ—." Ammianus Marcellinus eundem Lucretiano sensum sic verbis extulit, in xxxi. 24.—" *figurâ* bene compactâ " *membrorum*—." Committe nostrum, ii. 341.

Ver. 221. *Incolomem:* V. ed. *Incolumen.*—*defit hilum:* Π. *deficit illum.*

Ibid. *Incolomem præstat se:* Horatius ita locutus est, epist. i. 16. 16.

Hæ latebræ dulces, et jam, si credis, *amœnæ*,
Incolumem tibi *me præstant* septembribus horis.

Ver. 222. *evanuit:* Π. *evam;* (i. e. cum *n* et priore ductu *τῦ u*) hiatu relicto inter *m* et *aut*.

Ibid. *et Bacchi.* Lego:

Quod genus *aut* Bacchi—.

BENTLEIUS.

Nihil heic muto contra libros egomet.

Ibid. *Bacchi flos.* Prior Ennius in Alcestide:

Hæc anus admodum frigutit: *nimirum* se sauciavit *flore Liberi.*

Lege, *nimium.* *Sauciavit* autem suum ex Homero hausit, Od. Φ. 293.

ΟΙΝΟΣ *σε* ΤΡΩΕΙ *μελιηδὴς*—.

Vide locum Pacuvii, ad i. 256. et Livii, apud Festum in voce *Anclare:* nos etiam ad ii. 847. cum Plauto, Cas. iii. 5. 16. Inscriptiones Gruteri, p. 329.

SIQUIS. DUBITAT. HANCINE. OLFACIAT HUMUM. OLET. TEMETUM. ET. FLOREM VINI. VETERIS—.

Porro, Mæonidis locum respicit Hesychii glossa, quam in transcursu emendabo: *Τρωσὶ· τιτρώσκει*, ΔΑΜΝΑ. Vulgo, *δαπανᾷ*. Unde libet etiam lepidum Martialis epigramma expolire, ix. 88.

Septem post calices Opimiani,
Denso cum jaceam triente *læsus*,
Affers nescio quas mihi tabellas;
Et dicis: " Modo liberum esse *jûsti*
" Nastam:" (servulus est mihi paternus)
" Signa." Cras melius, Luperce, fiet.
Nunc signat meus annulus lagenam.

Vulgo, *blæsus;* nihil ad rem; et *jussi*, perperam.

Ibid. *evanuit in auras.* Virgilius, Æn. iv. 278.

——— *in* tenuem ex oculis *evanuit auram.*

Ver. 223. *suavis:* P. V. ed. O. *suaves;* male.—*diffugit:* Vind. *diffudit;* Π. *defugit*, solenni permutatione scribarum gregi.

Ibid. *Spiritus unguenti.* Calpurnius dignus est, qui committatur, initio ecl. iv. cujus ornatissimos versus, ope membranarum usus, dimittam castigatiores:

Quid tacitus, Corydon, vultuque subinde minaci,
Quidve sub hac platano, *cui* garrulus *obstrepit* humor,
Infestâ statione, sedes? Juvat humida forsan
Ripa, levatque diem vicini *spiritus amnis.*

Vulgo, *quam adstrepit.* Et illud *Infestâ* per inscitissimam importunitatem viri docti unâ operâ solicitant. *Infestâ* nempe, " ob strepitum platani et amnis, carmina " interpellantem," uti Titius verissime explicuit ab ecl. vi. 65. cui addas ibidem ver. 62. ut summopere mirer his criticos haud acquievisse. Hinc macula eluetur,

Propterea, neque detractum de pondere quidquam.
Nimirum, quia multa minutaque semina sucos
Efficiunt, et odorem, in toto corpore rerum.
Quâ re etiam atque etiam mentis naturam, animæque,
Scire licet perquam pauxillis esse creatam
Seminibus; quoniam fugiens nihil ponderis aufert.
Nec tamen hæc simplex nobis natura putanda est:
Tenuis enim quædam moribundos deserit aura,

quæ versum elegantem in ecl. ii. 95. deturpat:

> Jam resonant *fontes*, jam *fontibus* obstrepit arbos.

Libri, *frondes* et *cantibus:* vide quæ dudum contulimus ad Horatii epod. ii. 27. nam mutuas hi loci sibi navant operas commodissime. Hinc etiam quid vetat Theocritum explicare? Quem mireris tot viris doctissimis tractatum, neque ab uno omnium interea, ne Terentiano Mauro quidem, probe intellectum; atque adeo in idylliorum primis versibus! ita, certo certius, distinguendis accipiendisque:

> 'Αδυ τι το ψιθυρισμα, και ἁ πιτυς, αιπολε, τηνα,
> 'Α ποτι ταις παγαισι, μελισδεται——.

Ordo est: Το ψιθυρισμα (δεικτικως· "*hoc* "*ipsum*, quod audimus;" *fontis* scilicet) μελισδεται ἁδυ τι· και ἁ πιτυς, ἁ ποτι ταις παγαισι, μελισδεται ἁδυ τι: "Dulce fons "sonat, dulce pinus propter fontem; dulce "etiam tu." Longe verissima est hæc ratio, quamvis ad hunc usque diem cunctos latuerit. Illud ΤΟ ψιθυρισμα qui aliter velit intelligere, non novit, quid sit Græce loqui. Cum aliis fallitur scholiastes. Sed alibi fors plura; nunc ad Lucretium nostrum revertamur in viam. Gellius, ix. 4. scite et eleganter:—"gen- "tem—*spiritu florum*, naribus hausto, victitantem."—Utrumque nomen pulcherrime conjungitur in molliculâ cantiunculâ Anth. Lat. Burm. iii. 239.

> Dum semihiulco savio
> Meum puellum savior,
> *Dulcem*que *florem spiritûs*
> Duco ex aperto tramite—.

Ver. 225. *oculis:* Π. *oculos.* Versus abest Δ.

Ver. 226. *Propterea:* V. ed. O. *Præterea.* Similem confusionem animadvertimus ad ii. 639. Statim Π. *sucus.*

Ver. 233. *Tenuis aura.* Maro, Æn. vii. 646.

> Ad nos vix *tenuis* famæ perlabitur *aura.*

Cæterum, idem Mantuanus, ibid. vi. 747. hanc *auram* animæ *tenuem* altero nomine designavit, nempe *simplicis auræ;* et triada Epicuri Lucretianam, *auram* dico, *vaporem*, atque *aëra*, sic breviter complexus est:

> Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
> Concretam exemit labem, purumque reliquit
> Ætherium sensum, atque *auraï simplicis ignem.*

Vides, opinor, *vaporem* et *auram:* at ubinam fugitivus *aër* ille evanuerit? Nec mirum sane, si tenuissimis constans seminibus e digitis elapsus sit librariorum: experiamur autem, an ei revocando in stationem suam sit Divæ Criticæ manus valentissima. At at heus! tu: captus est, lector; atque eccum illum tibi:

> ——————— purumque reliquit
> Ætherium *ventum*, atque *auraï* simplicis *ignem.*

Jam vero numeris suis omnibus locus est absolutissimus: vide nobis nuper dicta ad ver. 216. Et nescio equidem, an hanc certissimam emendationem excogitavissem, nisi fax amici mei, ibidem memorati, præluxisset: ad eum igitur integra laus hujusce restitutionis suo jure referenda est. Conferas Virgilium ibidem, ver. 726. nam *ætherium ventum*, quem *ducimus*, ut

Mixta vapore; vapos porro trahit aëra secum:
Nec calor est quisquam, quoi non sit mixtus et aër.
Rara quod ejus enim constat natura, necesse est
Aëris inter eum primordia multa moveri.
Jam triplex animi est igitur natura reperta:
Nec tamen hæc sat sunt ad sensum cuncta creandum;
Nihil horum quoniam recipit mens posse creare
Sensiferos motus, quædam quei mente volutant.

vita suppetat, nihil aliud sonat quam *ætherios haustus* ejusdem poëtæ, geo. iv. 220. i. e. "divinos *spiritus*:" uti accuratissime ad locum interpretatus est Servius. *Vitalem spiritum*, atque *auram vitalem*, vocitat Arnobius, lib. vii. pp. 223. 238. et *cœli animam*, i. e. *ventum*, p. 226. Venuste Seneca, Œdip. 650.

> ———— *spiritus* puros dabit
> *Vitalis aura.*

His præmissis, non accedet lector imparatus ad Valerii Flacci iv. 179. versus castigatissimos de scriptoris mente capiendos:

> Litore in extremo spelunca adparuit ingens,
> Arboribus super, et dorso contecta minanti;
> Non quæ dona deûm, non quæ *trahat ætheris ignem:*
> Infelix domus!

i. e. "ubi nihil vitale penetret; quæ neque *aëris spiritum imbibat*, nec lucem "liquidam." Cæterum, hoc Epicureorum dogma de animæ constitutione Plutarchus exhibuit in tractatu adversus Colotem, p. 1118. D. et de placitis philosophorum, iv. 3. quem locum mox admovebimus, ad ver. 243.

Ver. 234. *aëra:* Vind. V. ed. Π. Σ. *aëre.*

Ibid. *vapos:* i. e. *calor;* vide ad ii. 149. et de *vapos*, pro communi *vapor*, consulas inferius dicenda, ad vi. 952.

Ver. 235. *calor:* Π. *color;* prout passim turbatur. *Calor* autem nunc est, qui modo *vapos.*

Ibid. *quoi mixtus.* Simile regimen est in Virgilio, Æn. viii. 432.

> ———— sonitumque, metumque,
> *Miscebant operi.*

Unde ex Dictye Cretensi maculam eluas, ad i. 6.—"quum singula miro genere "orationis exponerentur, atque in sermone Græci regis inesset quædam, *per-"mixta miserationi*, vis." Vulgo legitur, *miserationis.*

Ver. 237. *inter eum:* P. *in cœtum;* V. ed. *in cereum;* nempe *c* cum *t*, ut passim in minusculorum elementorum formis evenit, mutato; et commixtis syllabis: B. Π. *incertum;* O. *intus eum.* Pro *moveri*, male nonnullis placuit editoribus Turnebi conjectura, *cieri*, libris omnibus, ut videtur, reclamantibus. *Moveri* potest *versari;* quod poëtis, ut ornatius vocabulum, adhiberi solet, vice simplicioris *esse.*

Ver. 241. *quei:* P. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *quæ.—volutant:* sic dedi ex ingenio, ut quam minima mutatio in versu, nonnihil castigationis deposcente, fieret. Omnes libri vetusti dant, *volutat;* editi communes, *volutent:* sed ratio nostra facilior est. Ita capio locum non valde perspicuum: "Sed admitti nequit hæc tria "posse gignere motus sensiferos; qui con-"sistunt in quibusdam volutandis per "mentem."

Ibid. *mente volutant.* Maro, Æn. i. 50.

> Talia flammato secum dea *corde volutans:*

Græcos dicendi magistros pro solito secutus. Ita nimirum Pindarus, Ol. i. 14.

> Ὅθεν ὁ πολύφατος
> Ὕμνος ΑΜΦΙΒΑΛΛΕΤΑΙ
> Σοφῶν ΜΗΤΙΕΣΣΙ.

Quarta quoque hiis igitur quædam natura necesse est
Adtribuatur: ea est omnino nominis expers:
Quâ neque mobilius quidquam, neque tenuius, exstat,
Nec magis est parvis et lævibus ex elementis;
Sensiferos motus quæ didit prima per artus:
Prima cietur enim, parvis perfecta figuris;
Inde calor motus, et venti cæca potestas,
Adcipit; inde aër: inde omnia mobilitantur:
Concutitur sanguis, tum viscera persentiscunt

Ad quem locum impendio nugaces se boni scholiastæ præstant. Alii aliter Lucretii versum tentavere: sed conatus temerarios, et lineamenta veteris scripturæ conculcantes, meros illos lascivientium emendatorum lusus, quid attinet singillatim recensere? Sobria critices censura in Lucretium, si in alium quemvis, exerceri debet.

Ver. 243. *nominis expers:* *ακατονομαστον*. Plutarchus, de plac. phil. iv. 3. *Επικουρος (την ψυχην ελεγε) κραμα εκ τεσσαρων· εκ ποιου πυρωδους, εκ ποιου αερωδους, εκ ποιου πνευματικου, εκ τεταρτου τινος ακατονομαστου, ὁ ην αυτῳ αισθητικον.*

Ver. 244. *neque* utrumque: Δ. *nec.*—*tenuius:* Π. *tenuis.*

Ver. 245. *est:* sic Ω. longe melius: cæteri, *e.*—*et:* Vind. Q. Π. *aut.*—*ex elementis:* V. ed. B. Π. *excrementis;* in Δ. *ex* est in rasurâ. Non male refinxeris hoc pacto versum:

Nec magis *e* parvis et lævibus *est* elementis.

Ver. 246. *quæ:* Vind. Σ. *qua;* sic etiam, opinor, L. M. nam repetitum *quæ*, in Havercampi exemplaribus, operarum vitio videtur attribuendum.—*didit:* Vind. Δ. *edicit;* V. ed. B. Π. *dedit;* O. *cedit;* Q. *edidit;* Δ. *sensit;* sed, quod recepimus, procul dubio verum est. *Didit* utique, *distribuit*, *dispergit*, *differt*, in omnes partes dispensat: vide ii. 262. Adsit ille Mantuanus, in Æn. vii. 144,

Diditur heic subito Trojana *per agmina* rumor.

Passim commutavere librarii *didit* et *dedit*, *diditur* et *deditur;* ut erat exspectandum.

Ver. 247. *cietur:* V. ed. *scietur;* Δ. *ciere;* Π. *scitetur.*—*perfecta:* O. *effecta;* omnino mendose.

Ver. 248. *venti:* nuper *auræ* dicti; ut aliquoties, in hac doctrinâ enarrandâ, pro *aëre* invenimus *ventum:* nec mirum est, scriptores fuisse in vocabulorum usu inconstantiores, qui notiones minime dilucidas ipsis impressas mentibus habuerint. Id, quod hi veteres *auram* vocitabant, hodierni nominarent *æthera*. Adeas Optica Newtoni, hominum longe longeque maximi; atque scholium math. phil. Principiorum generale.

Ibid. *venti cæca potestas:* vide sis i. 296.

Ver. 249. *mobilitantur*. Verbum non alibi invenio nisi apud Cæcilii Progamum, in Nonio, iv. 300. "Lætitia me "*mobilitat:*" i. e. hilaritate vegetat, et levem facit.

Ver. 250. Versum, multâ lectionum varietate conturbatum, ad scripturam codicum L. M. Q. Ω. et, quos vocat Pius reverendæ fidei exemplaria, dedimus; nisi quod in quatuor prioribus voces *sanguis tum* ordine inverso legantur, ut in Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ.—*Concutitur:* Π. *Cumcutitur;* vulgares editi, *Tum quatitur*, ex arbitrio criticorum.—*tum:* B. *cum.*—*viscera persentiscunt:* P. *per venas viscera vivunt;* Vind. O. Σ. *per sentes viscera iunt;* et similiter V. ed. Δ. Π. nisi quod illa habeat *vint*, (ex errore collatoris) hi autem

Omnia; postremis datur ossibus, atque medullis,
Sive voluptas est, sive est contrarius ardor.
Nec temere huc dolor usque potest penetrare, neque acre
Permanare malum, quin omnia perturbentur;
Utque adeo vitae desit locus, atque animaï
Diffugiant partes per caulas corporis omneis.
Sed plerumque fit, in summo quasi corpore, finis
Motibus: hanc ob rem vitam retinere valemus.
Nunc, ea quo pacto inter sese mixta, quibusque

ruunt, loco *iunt;* ut B. *vivit*, pro eâdem depravatâ voce. Et locus *ἀσυνδέτως* procedit; ut i. 289. et alias noster, haud raro. Porro, *tum* abest Ω.

Ibid. *persentiscunt*. Plura hujusce dictionis exempla Plauto, Terentio, atque Apuleio, suppeditantur. Evolve lexica.

Ver. 251. *postremis:* Δ. *postremo;* quae lectio, contra tantae librorum vis auctoritatem, se immerito probavit praegressis editoribus. Non aliter Mantuanus, Æn. xi. 664.

Quem telo *primum*, *quem postremum*, aspera virgo,
Dejicis?

Homerum exprimens. Rem vel pueruli tenent. Pudet, multum pudet, talium inficetiarum in se viris eruditis admissarum.

Ver. 252. *ardor:* i. e. impetus, vel agitatio; jam vero voluptati *contraria* agitatio, necesse est *dolor* sit. Nonius Marcellus, iv. 16. "Ardere, *dolere*, vel irasci." Virgilius, Æn. ix. 66.

——————— duris *dolor ossibus ardet:*

Lucretii sui, ut videtur, non immemor. Confer etiam ibid. v. 172. Lambinus autem opportune huic loco Catullum admovit, carm. ii. 7.

Ut solatiolum sui *doloris*,
Credo; ut tum *gravis* adquiescat *ardor*.

Quos versus, ut ut criticis vexatos, sincerissimos equidem puto, et nihil in se difficultatis habere, si parenthesin nonnullorum editorum tollas, et plenam ad *ardor* distinctionem ponas. Cicero, de finn. v. 32. "Is, cum *arderet* podagrae "*doloribus*—."

Ver. 253. *acre:* Π. *acto;* et statim *Permanere:* nec non *quando*, pro *quin;* ut etiam V. ed.

Ver. 255. *Utque*. Hoc rescripsi ex voluntate, pro *Usque* omnium exemplarium: quum sic mihi viderer levius audere, quam ii, qui ante me hanc provinciam perlustraverint, interpolantes *ut*, post *adeo*, ad Lambini mentem. Nescio tamen, an non malim sic legere versus constitutos:

——————— quin omnia perturbentur,
Usque adeo vitae *desit* locus, atque animaï
Diffugiunt partes per caulas corporis omneis.

Ut ordo sit: "Quin omnia perturbentur "adeo, usque locus desit." Terentius, Adelph. ii. 2. 5.

Ego vapulando, ille verberando, *usque* ambo defessi *sumus*.

Nam *τὸ desit* comparet in P. V. ed. et *Diffugiunt*, in P. Π. Expendant rem meritis lectores nasuti, ac dijudicent: egomet enim de hoc loco ampliandum censeo; animi dubius, an sit fortassis ex Lucretiani sermonis formulis omittere *τὸ ut*, quamvis ei exemplis confirmandae non ipse sim: vide mox, ad ver. 348. iv. 574. et i. 30. superius.

Hinc autem optime restituam Juvenalem, iii. 310. ex Cantabrigiensi codice, quem contuli:

Maximus in vinclis ferri modus *est:* timeas nunc,
Vomer deficiat; ne marrae, et sarcula, desint.

Compta modis, vigeant; rationem reddere aventem
Abstrahit invitum patrii sermonis egestas:
Sed tamen, ut potero summatim adtingere, tangam.
Inter enim cursant primordia, principiorum
Motibus inter se, nihil ut secernier unum
Possit, nec spatio fieri divisa potestas;

Quæ pulchra est constructionis varietas, atque haud dubie scribis imposuit. Vulgo scribitur, "*ut* timeas *ne*."

Ver. 256. *caulas:* Vind. V. ed. O. Δ. *culmas;* Π. Σ. *culinas*, per eosdem elementorum ductus; Q. *culvia.* Redi vero ad ii. 950.

Ver. 257. *fit:* Π. *fuit;* abest Δ.—*in summo quasi:* Vind. O. Ω. *quasi in summo;* Δ. Π. Σ. *summo in quasi:* et V. ed. desiderat *quasi.*—*corpore:* Q. *corporis.*

Ver. 258. *Motibus:* Π. *Montibus;* quæ nomina confunduntur etiam librariis scriptoribus ad Virg. geo. i. 475. ubi nostras animadversiones inspicias.—*vitam:* Π. *vita.*

Ver. 260. *aventem:* Q. *ventem;* Vind. V. ed. B. L. Δ. Σ. Ω. *habentem.* Sane supra vidimus, ad ver. 6. hujusce libri, quantopere passim fluctuent in his dictionibus scribæ, ob similem sonum literarum *b* et *v:* sed nescio, an lectio *habentem* hic loci non præferri debeat; ut sensus sit: "Quamvis habeam quo reddam, "vel valeam reddere, paupertas linguæ "patriæ, vocabulis philosophicis minime "instructæ, impedit moraturque." Verbum *habeo* hanc potestatem sibi passim vindicat; ut ii omnes, qui has literas norint, probe norunt. Græci ἐχω passim similiter uti solent.

Ibid. *Compta:* i. e. adornata, instructa: vide nos ad i. 949. Qui portentosam dictionem *Copta*, i. e. coapta, nobis propinant, atque etiam in Lucretii contextum trudunt, libris omnibus contra stantibus, odiosi nimis sunt; imo, risu sibilisque excipiendi: quum ne unum quidem depravatæ literulæ vestigium tantæ temeritati excusationem det. In maximis nimirum Lucretiani editoris infortuniis numerandum est, quod non minus necesse sit cum vitiosis exemplaribus, quam cum vitiantibus emendatoribus, pugnaciter conflictari.

Ver. 261. *invitum:* i. e. cupientem eâ brevitate atque perspicuitate ονομαζοντα, quâ Græciæ ubertas pollet. Respicit, opinor, potissimum eas novarum vocum formationes veterum juncturis factas, quas olim attigerit in i. 830—834. et dolet, esse ad circumlocutiones confugiendum sibi, nisi potius velit rem totam prætermittere, quam, si minus diserte atque copiose, breviter utcunque et summatim eloqui.

Ver. 262. *summatim adtingere.* Ita Dictys Cretensis, v. 2. haud vulgari cum elegantiâ, ut est scriptor lectissimarum formularum studiosissimus, et ab omni parte coacervatas inserens: "Namque, si præterita mala *summatim attingere* oporteat, en unquam civitas nostra, depressa ærumnis, ad requiem emersit?"—Suetonius, ii. 85. "Poëticam *summatim adtigit.*" Orosius, hist. i. 1. "Res ipsa "exigit pauca *adtingere.*" Pessime nonnulli scribunt *contingere* in hoc loco. Voce singulari rem expediunt Græci scilicet; ut Hesiodus, opp. et dd. 106.

——— *ἑτερον τοι εγω λογον* ΕΚΚΟΡΥΦΩΣΩ:

confer, si tanti sit, nostram Silv. Crit. sect. lxxxvi. Sic autem sine metaphorâ maximus Mantuanus, ad Æn. i. 737.

Primaque, libato, *summo tenus adtigit* ore.

Ver. 263. Puncto, post *primordia* posito, cavi, ne jungeres *primordia* et *principiorum*, contra sermonis Lucretiani consuetudinem, cui sunt idem prorsus *principia* et *primordia;* quemadmodum ex innumeris locis constat.—Porro, Π. *cursat.*

Sed quasi multæ vis unius corporis exstant.
Quod genus, in quo vis animantum visere volgo,
Est odor, et quidam calor, et sapor; et tamen ex hiis
Omnibus est unum perfectum corporis augmen.
Sic calor atque aër et venti cæca potestas
Mixta creant unam naturam, et mobilis illa

Ver. 264. *secernier:* Vind. *secernitur;* V. ed. autem habet *sternere.*

Ver. 265. *divisa:* P. *diversa:* de quâ commutatione prius diximus ad i. 174. et videndæ sunt variæ lectiones ad Claud. in prim. cons. Stil. i. 34. sec. cons. Stil. 45. cum Burmanno, ad Propert. i. 10. 15.

Ibid. Ordo est: "Nec potestas *eorum,* "*per quam agunt scilicet,* possit fieri di- "visa spatio:" i. e. separari, altera ab alterâ, ita ut seorsim proprias res agant.

Ver. 266. *multæ vis:* P. Vind. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. *multa ejus;* ne singulari quidem elemento literarum discrepante.

Ibid. *Sed quasi:* i. e. "ut sint quasi "unum tantummodo corpus, multis po- "testatibus præditum: ita conglobatim "agunt, atque socialiter."—Porro, animum advertas τὸ *vis* in numero multitudinis, ut ad ii. *586.*—Cæterum, hic versus cum præcedente, et usque ad ver. 271. desunt Π. oculo librarii scilicet in simile vocabulum finale temere conjecto: vide ad ii. *595.*

Ver. 267. *visere:* P. M. *viscere;* sordide, et inepte.—Ordo autem est, si verissimam structuram interius velis pernoscere: "Quod genus, odor est, et calor, "et sapor, in vulgo animantum, quo vis "visere:" i. e. quemcunque animantem velis intueri. De formulâ autem, *Quod genus,* Lucretio valde in deliciis, posthac agere meditamur, ad iv. 739. Mea tamen interea fert opinio, legendum esse *color,* pro *calor:* nam et voces ipsæ passim confunduntur, et rectius videtur rem referri ad *visum,* unâ cum gustu et odorandi sensu, quam ad *tactum,* omnes alios sensus Lucretiano more solitum complecti. Atque adeo ita legitur in Gifanii et Paræi editionibus: sed ad judicium doctorum rem deferimus; qui expendant velim, an Lucretius non in animo habuerit *cibos,* quibus vescimur mortales. Insuper, ut suspicionem meam amantius foveam, facit Arnobius, ad lib. ii. p. *85.* nostri poëtæ indefessus imitator: "Non enim, si "fructui vobis sunt, et *ciborum* mediis "in generibus constituta, expeditum *et* "promptum est, quid sint singula, scire; "cur talibus figurata sint formis; fuerit "necessitas aliqua, ut non alios *sapores,* "alios *odores,* alios *colores,* quam quos "habent singulæ res, habere debuerint, "an et alios potuerint sumere?" Et, quæ sequuntur, eodem spectantia. Non indignatus esset, ut putem, lector, si divinationem nostram recepissemus in textum, eliminatâ vulgari voce; sed in re dubiâ, et parvi sane momenti, noluimus invidiam periclitari.

Ver. 271. Ω. habet *est* ad finem versûs: male.

Ver. 272. *initum:* V. ed. *invitam;* L. *initam;* Δ. *nutum,* per eosdem literarum ductus; Vind. Q. Π. *initium;* quod non deterius: similiter enim Carus sæpissime, sicuti satis animadvertimus in præcedentibus.—*ollis:* P. *illos;* V. ed. *illis.*

Ver. 273. *unde:* Π. *inde.*—Et hic versus pro præeuntis exegetico habendus est: nisi sit potius, quod valde suspicamur, *νόθιας* postulandus, et *ἐς κόρακας* ocyus ablegandus, ut glossatoris cujusdam lacinia marginalis, progressu temporis ipsi trabeæ infaustissime intexta.

Ver. 274. *natura subest.* Virgilius, geo. ii. 49.

Quippe solo *natura subest*—.

Neque nihil huc facit Servii commenta-

Vis, initum motûs ab se quæ dividit ollis;
Sensifer unde oritur primum per viscera motus.
Nam penitus prorsum latet hæc natura, subestque;
Nec magis hac infra quidquam est in corpore nostro;
Atque anima est animæ proporro totius ipsa:
Quod genus, in nostris membris et corpore toto
Mixta latens animi vis est, animæque potestas;
Corporibus quia de parvis, paucisque, creata est.
Sic tibi nominis hæc expers vis, facta minutis

tio: " *Subest:* i. e. inest latenter: nam " non apparet." Orosius etiam advocetur, hist. i. 5. optimus interpres Maronis; quum sit locus pulcherrimus, et dignus, qui ex omni parte castissimus legatur: " In confinio Arabiæ et Palæstinæ, quâ, " *demissi* altrinsecus, montes subjectis " campis excipiuntur, quinque civitates " fuere, Sodoma, Gomorra, Adama, Seboim, et Segor: sed Segor ex his par- " va, illæ autem amplæ et magnæ; quippe " quibus et *soli fecunditas suberat*, et Jor- " danis fluvius, per plana diffusus, et per- " opportune divisus, augmentis uberta- " tis impendebatur." Sic haud dubie rescribendus est: vide Virgil. ecl. ix. 8. Vulgo legitur, *dimissi*, vel *dimissis*. Porro, civitates *amplæ* sunt *beatæ*, sive *opulentæ:* consulas Nonium, xi. 19. *Magnæ* igitur et *amplæ* civitates eæ sunt, quas passim Xenophon in primo Anabaseos vocitat, μεγαλας και ευδαιμονας.

Ver. 275. *hac:* O. Δ. *ac.*—*quidquam:* P. *cuiquam;* et ex ejus codicibus erant, qui haberent, *quiddam.*

Ver. 276. *proporro:* O. Δ. *proportio.*

Ibid. *anima animæ:* " nempe, quasi " exquisitior anima quædam atque pene- " tralior: totius animæ essentia, et flos." Ita solent utique utriusque linguæ scriptores ea, quæ sint in suo genere præstantissima atque magnificentissima, εμφατικως significare. S. Paulus, 1 Tim. vi. 15. de Jehovâ: ὁ βασιλευς των βασιλευοντων, και κυριος των κυριευοντων· ut Dan. ii. 37. versionis LXX. viralis: conferas Diod. Sic. i. 55. Plin. nat. hist. xxx. 1. fin. Dion. Cass. xxxvii. 6. Æschyl. Supp. 533. Sophoclem, in Œd. Tyr. 465. ubi videas Brunckium et scholiastem. Nec tamen morari piguerit, dum socii enarratoris lectionem multo elegantiorem amatoribus tragici commendamus:

Τις, ὁν τιν' ἁ θεσπιεπεια
Δελφις ΕΙΔΕ πετρα
ΑΡΡΗΤ' ΑΡΡΗΤΩΝ τελεσαντα
Φονιαισι χερσιν;

" Quasi scilicet e *speculâ* vates Apollo hu- " mani generis actiones oculis acutis con- " templaretur:" quo nihil pulchrius fingi poterat. Illa autem locutio, θεσπιεπεια ωπι, venustum artificem, me judice, parum sapit.

Ver. 277. Integer versus in Π. desideratur.

Ver. 278. *animi vis:* V. ed. Δ. Π. *animus.*—*vis* abest Σ. et omnia ab hac ipsâ voce usque ad vocem *totius* in ver. 281. desunt Π.

Ver. 279. V. ed. ponit *E* ante *corporibus:* et, pro *Sic*, Σ. statim, *Sit.*

Ver. 280. *Sic:* i. e. " ut anima ipsa in to- " to prorsus latet, quamvis per omne cor- " pus diffundatur, et ex effectibus ejus so- " lummodo cognoscitur, ac sentitur: nihil " mirum, si animæ subtilis pars subtilis- " sima penitus abscondatur."

Ver. 281. *latet.* Vind. V. ed. Q. Ω. *late.*—*quasi:* Q. *quæ sit.* Lenire volebat utique phrasim suam οξυμωρον noster, τῳ *quasi* interposito; quo nihil tempestivius

Corporibus, latet; atque animæ quasi totius ipsa
Proporro est anima, et dominatur corpore toto.
Consimili ratione necesse est, ventus et aër
Et calor inter se vigeant conmixta per artus;
Atque aliis aliud subsit magis, emineatque;
Ut quiddam fieri videatur ab omnibus unum:
Ne calor, ac ventus seorsum, seorsumque potestas
Aëris, interimant sensum, diductaque solvant.

et scriptoribus prudentissimis solennius: editores tamen, pro facinus! eo usque audaciæ et stultitiæ processerunt, ut de suo vel in contextum intulerint, *animaï*, vice *animæ quasi*. Mirabor equidem, si lauti lectores hanc sacrilegam sincerissimi loci violationem non vehementissime indignabuntur.

Ver. 286. *ab:* Π. *sub:* Lambinus, quem plures editores secuti sunt, reposuit *de*, ex arbitrio; perperam, et audacter.

Ver. 288. *interimant:* Π. *interimat:* quod malim.—*sensum:* P. *seorsum.*—*diducta;* Vind. O. Q. Δ. Π. Σ. *deducta:* et, in versu præcedente, *que* deest V. ed.

Ver. 289. *calor:* V. ed. *color;* errore solenni. Et exemplis jam stabilit doctrinam suam noster de triplice naturâ animæ, ex *aëre*, *aurâ*, et *calore* constantis, ab animantibus *αλογοις*, atque etiam humano genere, desumptis.

Ibid. Lege et distingue:

> Est etiam calor ille; *animus* quem sumit, in irâ
> Cum fervescit—:

ut Horatius, sat. i. 2. 71.

> ———— mea cum *conferbuit ira:*

et mox noster, ver. 296.—Bentleius. Ingeniose, ut omnia: sed locus, prout vulgo constituitur, ita commodus est, ut nemini concessurus sit novare contra librorum fidelitatem. Cæterum, locus Stobæi, quem ex Gassendo partim Creechius protulit, ad Lucretii versus, qui statim sequuntur, apprime facientem, hoc modo constituendus est, atque supplendus. Exstat autem in ecl. phys. sect. xl. p. 93. (Επικουρος την ψυχην ωρισατο) κραμα εκ τεσσαρων· εκ ποιου πυρωδους, (εκ ποιου αερωδους), εκ ποιου πνευματικου, εκ τεταρτου τινος ακατονομαστου· (vide ad ver. 243.) τουτο δ' ην ΑΥΤΩ το αισθητικον· ὧν το μεν πνευμα, κινησιν· τον δε αερα, ηρεμιαν· ΤΟ δε θερμον, την φαινομενην θερμοτητα του σωματος· το δ' ακατονομαστον, την εν ἡμιν εμποιει αισθησιν· εν ουδενι γαρ των ονομαζομενων στοιχειων Ἡ ΑΙΣΘΗΣΙΣ.

Ver. 290. *fervescit:* V. ed. B. M. *fervescet;* Π. *ferviscit.*—*acrius:* Π. *ærius.* Emendatio Lambini non fortasse necessaria est, sed certe vero simillima, ob imitationem Virgilianam, Æn. xii. 102. ideoque admittendam existimavi. Nempe, sic se habent Mantuani versus:

> ———— totoque *ardentis* ab ore
> Scintillæ absistunt: *oculis micat acribus* ignis.

Ibi tamen ex ingenio perspexeram legendum, et membranæ divinationi suffragantur:

> ———— totoque ardentis ab ore
> Scintillæ *absiliunt.*

Indubitabilis est, si alia quævis, hæc emendatio: et sic passim auctores optimi loquuntur. Pindarus, Pyth. iii. 66. πυρ ενθορον· "*insiliens* ignis:" Æschylus, Agam. 305. λαμπας ὑπερθορουσα· "lampas "*transiliens:*" Ovidius, fast. iv. 796. *Scintillam prosiluisse.* Neque opinionem sane mutem, quamvis non ausim dissimulare, vulgatam lectionem Philostrato vindicari, icon. ii. 19. p. 842. im. Ακτινες δε ΑΠΑΝΙΣΤΑΝΤΑΙ παρα του μετωπου· και μειδιαμα, θυμῳ ξυγκεκραμενον, ἡ παρειαι πεμπει. *Micat* etiam et *absiliunt* optime junguntur, atque invicem amicissime conspirant.

Est etiam calor ille animo, quem sumit in irâ,
Quom fervescit; et ex oculis micat acribus ardor.
Est et frigida multa, comes Formidinis, aura;
Quâ ciet horrorem membris, et concutit artus.
Est etiam quoque pacati status aëris ille,
Pectore tranquillo fit qui, voltuque sereno.

Pulchre Columella, vii. 12. 4. et apposite Lucretio: " —— nigris vel glaucis " *oculis, acri lumine radiantibus*—."

Ver. 292. *Quâ:* nempe, " Per quam " Formido ciet." Ita legitur in P. Vind. V. ed. B. et eodem redit *Quatiet* in Π. 2. *c* et *t* passim permutatis: cæteri libri, *Quæ ciet.*—*concutit:* sic ausus sum castigare librorum omnium lectionem, *concitat;* quam nihil adjuvabit, alterius omnino rationis, mox veniens ver. 301. Voces *concito* et *concutio* confunduntur librariis ad Ovid. fast. i. 436. *Concito* potest " res " plures ad unum locum ciere, vel rem " unam ad alias:" qui sensus Lucretio est alienissimus. Virgilius, Æn. xii. 468.

Hoc *concussa metu* mentem, Juturna virago—.

Claudianus, de bell. Get. 372.

Conscia servilis *præcordia concutit horror.*

Prudentius, peristeph. i. 113. longe appositissime:

Algidus quum decoloros *horror artus concutit.*

Vides singulas dictiones Lucretianis ita examussim convenire, ut inde derivatæ videri possint. Ipse Carus autem sui assertor est omnium acerrimus, ad vi. 594.

Frigus utei, nostros penitus quom venit in *artus,*
Concutit invitos, cogens tremere atque movere.

Cæterum, libenter dixerim ad hunc locum Virgilio conjectos esse oculos ab Æn. iii. 29. adeo utrinque consonat dicendi tenor:

—————— Mihi *frigidus horror*
*Membra quatit, gelidus*que coit *formidine* sanguis.

Adeas denique Senecam, Œd. 576. et Statium hinc intelligas, Theb. vi. 395.

Concurrit summos *animosum frigus* in artus:

ob trepidum timorem de victoriâ: videas totum locum in notis nostris superius, ad ii. 263.

Ver. 293. *etiam quoque:* conferas v. 154. Sic Plautus, Amph. prol. 30.

Atque ego *quoque etiam,* qui Jovis sum filius:

ut frequenter alibi. Terentius, Hec. iv. i. 28.

—— jam oderit, se *quoque etiam* quum oderit.

Consulas ibidem Westerhovium. Apuleius, met. ix. sub fin. p. 811. " Prohinc, " me *quoque* peti magno *etiam* deo famu- " lum, sentire deberem." Hinc videtur porro Lucius Ampelius in cap. 8. emendandus: " Item, Palamedis cithara: Mar- " ti *etiam quoque* corium remi Argonau- " tarum, et gubernaculi brachia—." Libri, *autem quoque.*

Ver. 294. *fit qui:* B. O. *sit qui;* P. *qui fit.*

Ibid. *voltu sereno.* Mantuanus, Æn. ii. 285.

—————— Quæ caussa indigna *serenos*
Fedavit *voltus?*

Ver. 295. *est* non legitur in Π. et idem codex habet *quondam,* loco *corda.*

Ibid. *corda,* ut mox *leonum:* sic v. 862. *canum corda.* Unde viris eruditis non equidem manus dederim, ad Anthol. Lat. Burm. iii. 65. 7.

Ante feri cervis submittent *corda* leones,
Sævaque dediscet prælia torvus aper:

uno consensu rescribendum esse edicentibus *colla,* loco *corda.*

Ver. 296. *mens* deest V. ed.—O. *fervescit.*

Ibid. *Iracunda mens:* qualem Flaccus, de se ipso loquens, vocitat, *irasci facilem:* nam *iracundus* utique, proclivior est ad

Sed calidi plus est illis, quibus acria corda,
Iracundaque mens facile efferveseit in irâ:
Quo genere in primis vis est violenta leonum,
Pectora quei fremitu rumpunt plerumque gementes;
Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.
At ventosa magis cervorum frigida mens est,

iram; *iratus* vero, qui jam *factis* iracundiam exercet: vide, ut omittam cuivis obvium Ciceronis locum, Claudii Cæsaris dictum in Suetonio, sect. 38.

Ibid. Legendum forte:

——— effervescit in *iram*.

BENTLEIUS.

Idem nobis etiam se in animum indiderat; sed dubito an fructûs aliquid ex mutatione decerpendum sit. Arnobius, lib. i. p. 11.—" est exploratum et cognitum, " *effervescere* deos *irâ*." Idem, lib. ii. init. —" vel quas ejus continetis offensas, ut " ad ejus nominis mentionem *rabidorum* " *pectorum effervescatis ardoribus?*" Denique, lib. vi. p. 190.—" non *irâ effer-* " *vere*, non ullis cupiditatibus excitari—." Pro conjecturâ Bentleianâ facit Gellius aliquantulum, lib. 1. fin. qui huic toti loco illustrando operam bonam navat: " Mihi " quidem neque oculi, opinor, truces sunt, " neque os turbidum, neque immaniter " clamo, neque *in spumam*, ruboremve, " *effervesco*;—neque omnino trepido irâ, " et gestio." Sed codices audiendi.

Ver. 297. *leonum—iracunda mens—fremitu gementes.* Virgilius, Æn. vii. 15.

Hinc exaudiri *gemitus iræque leonum:*

unde Valerius Flaccus, iii. 237.

——— audit *fremitus iræque leonum.*

Similiter Statius, Theb. vi. 599.

—— procul impasti *fremitum* accepere *leonis.*

Alii etiam bene multi. Non invenuste, neque intempestive, Avianus, de leone, fab. xxxvii. 13.

Protinus ille, gravem *gemitu* collectus in *iram*,
Atque ferox animi, nobile murmur agit:

i. e. " pectore murmur rumpit;" vel, immutatâ formulâ locutionis, ad Lucretii conatus sublimiores, " murmure pectus " rumpit:" de quibus sermonis inversionibus poëticis, nos ampliavimus alibi plus semel: vide ad ii. 802. Alteri sit exemplo Virgilius, Æn. ix. 455.

——————— *tepidâque recentem*
Cæde locum:

vide Servium; et, me impulsore, potius ei, quam Heynio, auscultes. Pindarus, Ol. i. 30.

——— *ει τι τοι Πισας τε*
Και Φερενικου χαρις
Νοον ὑπο γλυκυτα-
ταις ἐθηκε φροντισιν:

vice, *νοῳ γλυκυτατας ὑπεθηκε φροντιδας.*

Ver. 298. *Pectora quei fremitu rumpunt.* Deridendus est iniquissimus interpres, qui videtur ad literam hæc verba accepisse, de verâ scilicet *carnei* pectoris rupturâ; quasi vi fremitûs crepuisset stomachus atque dissiluisset. Ejus verba sunt: " Qui pectora sua fremitu disrum- " punt." Atqui Lucretius, in sequente versu, satis liquido suum interpretem se dedit; et ostendit hoc tantummodo significari, " gemitus utique, vi furoris co- " gente, sponte erumpi subinde pectori- " bus leonum, se non amplius valentium " continere." Simpliciter et proprie hanc notionem Virgilius declaravit, ad Æn. xi. 376. magistri sui non oblitus:

Talibus exarsit dictis *violentia* Turni:
Dat *gemitum*, *rumpit*que has imo *pectore voces*.

Rationes locutionis acute Servius perspexit, cujus commentarius non minus attingit *leones Lucretianos*, cum irâ suâ frustra luctantes: " Ut qui *diu tacuerit*, dum

Et gelidas citius per viscera concitat auras;
Quæ tremulum faciunt membris exsistere motum.
At natura boum placido magis aëre vivit;

" audit inimicum." Idem tamen Cari discipulus ipsissimam, de quâ disputamus, antecessoris audaciam manifestissimâ imitatione æmulari non expavit, ad Æn. xii. 527.

——————— non segnius ambo,
Æneas Turnusque, ruunt per prælia: nunc nunc
Fluctuat ira intus; rumpuntur, nescia vinci,
Pectora.

Minus audacem non egit ad geo. iii. 328.

Et *cantu* querulæ *rumpent arbusta* cicadæ:

nam fuisset naturale, si dixisset, " Et " cantus cicadarum rumpentur, vel effun- " dentur, ex arbustis." Nec interea se nobilium poëtarum comitem Statius abnegat, silv. iii. 3. 7.

——— inexpleto *rumpentem pectora questu*:

Neque insuper accommodatus non est Valerius Flaccus, Argon. v. 341.

——————— mox stare paventes
Viderat intentâ pueros nece; seque, *tremendum!*
Spargere cæde manus, et *lumina rumpere fletu.*

Ita castigandi sunt præcellentissimi versus. Vulgo, *trementum*. Nonnulla, ad ii. 799. collata, fidem facient huic emendationi.

Ver. 299. *irarum fluctus.* Componatur iterum Virgilius, Æn. iv. 532.

————— magnoque *irarum fluctuat æstu.*

Quem locum Lambinus etiam admovit cum versu Catulliano, ad lxiv. 62.

———— magnis curarum fluctuat undis:

ubi nuperus editor Lipsiensis, F. G. Doering opportune commisit Oppianum, halieut. iii. 505.

——————— νοος δε οἱ, ἠΰτε κυμα,
Εἵλυται:

et nos bene remittit ad Drakenborchii notas Silianas, Pun. ix. 527. Nec minus appositus est Achilles Tatius, ii. 29. Αιδως δε, και λυπη, και ΟΡΓΗ, τρια της ΨΥΧΗΣ ΚΥΜΑΤΑ: ubi noster haud latuit Bodenum. Et modo simili depinxit vivi calami coloribus *iratum* Seneca, de Irâ, ii. 35. " Tumescunt venæ, concuti- " tur crebro spiritu pectus, rabida vocis " eruptio colla distendit: tunc artus tre- " pidi, inquietæ manus, totius corporis " fluctuatio." Neque minus vere ad *timorem* transtulit metaphoram Q. Curtius, iii. 10. 6. " Totam aciem, suo *pavore fluc-* " *tuantem*, umbonibus posse propelli." Cæterum, loco haud alienus accesserit insuper Ovidius, met. xv. 86.

Armeniæque tigres, *iracundi*que *leones.*

Oppianus etiam, cyn. iv. 162. de *leone*:

ΘΥΜΩ παφλαζων, ἰκελος δηϊοισι κεραυνοις.

Ver. 300. *ventosa:* ideoque fugax et rapida, ut *ventus;* unde de *tigribus* pariter Oppianus, cyneg. iii. 98.

Παρδαλιες τ' ολοαι, και τιγριες ΗΝΕΜΟΕΣΣΑΙ.

Ver. 301. Nihil pro imperio hic loci novare nobis decretum est; sed dicimus, atque etiam edicimus, vel libris, quotquot sint, reclamantibus, Lucretium scripsisse:

Et gelidas citius per viscera *concipit* auras:

i. e. sumit: ut modo, ad ver. 289. *calorem sumit:* et committas ipsum poëtam in vi. 307. 880. Gemella est loci Virgiliani ratio, ad geo. i. 420.

Vertuntur species animorum, et *pectora motus*
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt.

Ovidius ita locutus est, ad met. i. 337.

————— medio *concepit* ut *aëra* ponto:

atque iterum, fast. vi. 705.

Et modo dimittit digitis, modo *concipit*, *auras.*

Sed fastidium moveo, dum de phrasi acceptissimâ, et pervulgatâ etiam, adstruendâ satago; atque conjecturam indubitabilem solicitius exemplorum vi confirmatum eo.

Ver. 302. *membris:* Vind. *membrorum;* V. ed. autem, *membri.*

Ver. 303. *natura boum:* i. e. *ipsi boves;* ut i. 16. suspecto versu, *natura animantum;* unde Sallustius, Jug. 89. 5. " Ad

Nec minus, iraï fax numquam subdita percit
Fumidæ, subfundens cæcæ caliginis umbram;
Nec gelidis torpet telis perfixa vaporis:

"hoc *natura serpentium*, ipsa perniciosa, "siti magis, quam aliâ re, accenditur." Et mox 93. 4. "Ilex—*acta* in altitudi-"nem, quo cuncta *gignentium natura* "fert:" i. e. *omnes plantæ*; confer nostrum, ii. 190. Et sic omnino legendum cum codice, ut ipse seorsim conjeceram; non *aucta*, uti vulgo scribitur.

Ver. 304. Ad editionem Pii communi quodam consensu hunc versum vulgatores Lucretii sic exhibuere, et Ω. codex suffragatur:

Nec *nimis* iraï fax *umquam* subdita percit:

sed V. ed. L. M. O. Δ. Π. Σ. habent *minus*; et V. ed. O. Π. *numquam*; uti fortasse codices alii, si rem collatores accurate retulissent.—*percit*: V. ed. Δ. Σ. *parcit*.

Ibid. *fax subdita*. Seneca, Herc. fur. 366.

——————— *subditâ* tectis *face*,
Altus sepultas obruet gentes cinis.

Idem rursus, Troad. 381.

Et nudum tetigit *subdita fax* latus.

Valerius Maximus, iv. 7. 1. "Quid, si "te Gracchus templo Jovis opt. max. *fa-"ces subdere* jussisset?" Addam Q. Curtium, v. 7. 4. "Quin igitur ulciscimur "Græciam, et urbi *faces subdimus*?" Per hypallagen, (de quâ nos nuper, ad ver. 298.) edere rem maluit Silius, Pun. iv. 780.

Ergo, inter Tyrias, *facibus* ceu *subdita*, matres,
Clamat, Iö conjux!

Ubi Burmannus *concita* proponit, vice *subdita*; nec scite, nec probabiliter.

Ibid. *iraï fax*: i. e. *fervor* iraï. Sic, quod Ovidio, met. xv. 209. est *fervore juventæ*, Floro vocatur, i. 1. 5. "primâ *ju-"ventæ face*."

Ver. 305. *Fumida subfundens*: Vind. V. ed. Q. Δ. Σ. *Fumidas effundens*; M. et Ω. a primâ manu, *Fumides effundens*; B. *Tumidas effundens*; O. *Fumidans effundens*. Hæ autem meræ literarum commixtarum corruptelæ nos non debent remorari, nec receptæ lectionis suspicionem injicere. In Π. ad hunc modum voces exhibentur: *Fu cfundens*, rasurâ interpositâ: sed haud dubie prima manus scripserat, *fumidas ecfundens*; ut in cæteris exaratum est: ubi et notandum obiter veteris orthographiæ specimen, quale multis in locis Lucretio restituimus.—*umbram*: sic Ω. aperte; M. *umbra*; haud dubie, *umbrā*, vel *umbram*: cæteri, *umbras*.

Ibid. *cæcæ caliginis*. Maro, Æn. viii. 253.

——————— involvitque domum *caligine cæcâ*.

Cæterum, varietate lectionum, librorum scripturam turbantium, impulsus, locum conjecturis tentaveram, non prorsus, opinor, infelicibus; quas itaque secum communicatas esse lectorem, opinor, non pœnitebit:

Et minus iraï fax *undam* subdita percit
Fumida, subfundens cæcæ caliginis *umbrâ*.

Hæc autem venustis hominibus relinquam perpendenda, cum locum Virgilii apposuero, ut componatur nostris, Æn. viii. 257.

Non tulit Alcides animis, seque ipse per ignem
Præcipiti injecit saltu, quâ plurimus *undam*
Fumus agit, nebulâque ingens specus æstuat atrâ.

Ver. 306. *gelidis*: P. L. Π. *gelidi*; ut vulgares editiones exhibent, minus poëtice. Sic Homerus, Il. Ε. 75.

——————— ΨΥΧΡΟΝ δ' ἑλε ΧΑΛΚΟΝ ὀδουσι.

—*gelidis torpet*: Q. *genu distorpet*.—*vaporis*: P. L. (cujus rei fides pene collatorem sit); Π. *pavoris*; quam lectionem editores avidissime involavere, per incogitantiam hercle summam, et inscitiam lautis Lucretii amatoribus magnopere pudendam. *Vapor*, vel ἀτμις, "fumus est

Inter utrasque sita est, cervos sævosque leones.
Sic hominum genus est; quam vis doctrina politos
Constituat pariter quosdam, tamen illa relinquit
Naturâ quoiusque animi vestigia prima:
Nec radicitus evelli mala posse putandum est,
Quin proclivius hicc' iras decurrat ad acreis;

" tenuissimus corporibus exhalatus:" qui, utcunque ab *æstu* suam originem deducat, omnes differentiæ gradus potest admittere. Hinc noster, in ii. 843. habet " *calidi* vaporis," ut in hoc loco " *gelidi* " vaporis." Gellius non est rationibus nostris alienus, xix. 5. " Quoniam, quum " aqua frigore aëris duratur et coit, ne- " cesse est fieri *vaporationem*, et quam- " dam quasi *auram tenuissimam* exprimi " ex eâ, et emanare." Sentis ergo liquidissime, ni fallor, Lucretium non aliter potuisse locutionem ver. 301. melius variare, quam adhibendo *gelidi vaporis;* cujus major copia *cervis* utique concipitur, quam *bubus*. Hac restitutione nihil fuit unquam certius: neque illius animo vel umbra dubitationis inhærebit, qui Lucretiani sermonis filum tenet, aut argumenti sapit indolem. Hunc autem errorum fontem, ex literarum metathesi profluentem, aperuimus in præcedentibus, ad ii. 1103. Simile quid Apollonius Rhodius passus est, ad i. 638. quem in transcursu sanum medelâ efficaci admotâ dabimus:

——— ἡ δ' ἅμα τοισι Θοαντιας Ὑψιπυλεια
Δυν' ενι τευχεσι πατρος· αμηχανιῃ δ' ΕΧΕΟΝΤΟ
Αφθογγοι.

Protulit ex codice Brunckius, ενιχυντο: in quo nihil adjumenti reperitur; sensus enim parum commodus efficitur, nec qualis colore loci flagitatur. Legendum scilicet:

——— αμηχανιῃ δ' ΕΝΕΧΟΝΤΟ
Αφθογγοι.

Ibid. *gelidis torpet*. Seneca, Troad. 624.

*Torpet*que vinctus *frigido* sanguis *gelu*.

Hinc locum depositum Minucii Felicis, sect. 12. suscites et restituas: " Ecce! " pars vestrûm et major, et melior, ut " dicitis, egetis, algetis; *torpore*, fame, " laboratis." Eundem sensum bis ubertim exsecutus est. Vulgo, *opere* legitur.

Ibid. *telis perfixa vaporis:* " ita ut in " omnes artus vapor *penetret*, permanet- " que." Compares i. 495. ii. 414. 415. vi. 952. 953. et in metaphoram, ii. 360. Arnobius, lib. iii. p. 106.—" alias, *telis* " gravibus, et *dolorum acuminibus fixas*, " ejulare, tortari." Sic etiam, in carmine politissimo, Rutilius, itin. i. 451. Bellerophontis enarrans infortunia:

Nam juveni offenso, sævi post *tela doloris*,
Dicitur humanum displicuisse genus.

Nec pulchre minus actum est in reliquiis illis Petronianis:

Naufragus, ejectâ nudus rate, quærit *eodem*
Percussum telo, cui sua fata legat.

Ver. 307. *utrasque:* vel naturas, ver. 303. vel mentes, ver. 300. vel denique, ut posterius nomen, *boum* scilicet, respiciatur, quod genere muliebri passim gaudet efferre Mantuanus: vide Æn. vii. 663. viii. 265. et nos infra, ad v. 473. P. *utrosque:* sed codicum reliquorum lectio minus videtur librariis correctoribus obnoxia. In re simili, ad i. 635. posuissem *quæ*, pro *quos*, nisi meas aures κακοφωνια absterruisset.—*sita est:* Vind. V. ed. Q. Δ. Π. Σ. *sitas;* Ω. *scythas;* quæ sunt breviore scripturâ, *sitast* nempe, prognatæ depravationes.

Ibid. *sævos leones*. Virgilius, geo. ii. 151.

——— et *sæva leonum*
Semina.

Ille metu citius paullo tentetur; at ille
Tertius adcipiat quædam clementius æquo:
Inque aliis rebus multis differre necesse est
Naturas hominum varias, moresque sequaceis;
Quorum ego nunc nequeo cæcas exponere caussas,
Nec reperire figurarum tot nomina, quot sunt

Ver. 308. *doctrina:* Π. *natura:* de quo genere corruptelæ, redeas ad dicta in ii. 560. 1041.

Ibid. *doctrina politos.* Cicero, epist. ad famil. xiii. 1.—" est enim omni liberali " *doctrinâ politissimus*—."

Ver. 310. *Naturâ:* i. e. *in* Naturâ: ut, exempli singularis gratiâ, Virgilius, Æn. ix. 390.

——————— *quâ* te *regione reliqui?*.

Sic omnia exemplaria, vel edita, vel MSS. editores tamen, audacter magis, an stulte? ex arbitrio *Naturæ* reposuere.—*animi:* B. L. M. (si credere sit dignum) *animæ*. In nonnullis priscis codicibus Pii sic versus legebatur:

Naturæ cujusque *animus* vestigia prima:

mendose, ut putem, pro *animis*.

Ibid. *vestigia prima:* nempe, horâ natali impressa unicuique. Virgilius, Æn. x. 283.

——— egressisque labant *vestigia prima.*

Longum autem dicamus vale *ἀπροσδιονύσῳ* Havercampi conjecturæ, *priva*, minus eleganti, si lectionem receptam spectes interius, et nullo modo necessariæ.

Ver. 311. His concinunt illa Venusina, alteram humanæ culturæ partem quamvis respicientia:

Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret,
Et mala perrumpet sensim fastidia, victrix.

Ibid. *radicitus evelli: ἐκριζῶσαι.* Translatio est scriptoribus ex agrariâ re petita. Idem Flaccus, epist. i. 14. 4.

Certemus, *spinas* animone ego fortius, an tu
Evellas agro—.

Ver. 312. *Quin:* V. ed. Π. *Quando;* ut erratum passim est.—*decurrat.* L. *decurrit.*

Ver. 313. *tentetur:* V. ed. O. Δ. *teneatur;* unde conjicere possis, *teneatur:* quod tamen minus venustum foret: vide i. 581. vi. 1249. ut etiam alibi. Plinius, nat. hist. xxviii. 43. " Hirci jecore impo- " sito, ne *tentari* quidem aquæ *metu* af- " firmant." Voces autem *tento* et *teneo* aliquoties scribis confundi solere bene memini; sed loca jam nunc non succurrunt. Horatius, sat. i. 4. 131.

——————— mediocribus, et queis
Ignoscas, vitiis *teneor.*

Fortasse, *tentor:* vide epist. i. 18. 80. atque ad hunc modum re verâ legitur in Delphini, quam vocant, editione.

Ver. 314. *adcipiat:* O. Δ. *accipiet.*—*æquo:* Π. *et quo;* i. e. *ē quo.*

Ver. 316. *sequaceis:* " qui sequuntur " cujusque naturam." Sic Pius recte; nam perperam Lambinus de *flexibilitate* morum intellexit.

Ver. 317. *caussas exponere.* Lucanus, i. 67.

Fert animus *caussas* tantarum *expónere* rerum:

sic enim non male legitur in optimo et vetustissimo codice Vossiano. Reliqui, *expromere.* Haud aliter Ovidius, fast. iii. 725.

Carminis hujus opus, *caussas exponere:*

ubi similiter libri scripti fluctuant; nec minus ad Livium, vii. 31. 8. ubi Drakenborchius omnino consulendus est.—Cæterum, vice *nequeo*, Vind. *neque.*

Ibid. Verba *expono* et *expromo* confusa video in pulchris versibus Tertulliani, de jud. Dom. ver. 33. dignissimis, qui lauti lectoris oculo puriores subjiciantur:

Principiis, unde hæc oritur variantia rerum.
Illud in hiis rebus videor formare potesse;
Usque adeo naturarum vestigia linqui
Parvola, quæ nequeat ratio depellere dictis;
Ut nihil inpediat dignam diis degere vitam.
Hæc igitur natura tenetur corpore ab omni;
Ipsaque corporis est custos, et caussa salutis:
Nam conmunibus inter se radicibus hærent,
Nec sine pernicie divelli posse videntur.
Quod genus, e turis glebis evellere odorem
Haud facile est, quin intereat natura quoque ejus:
Sic animi atque animæ naturam corpore toto

Talia compositis deducam carmina Musis,
Atque salutares *expromam* fontibus undas;
Et lætum, placidis venientem nubibus, imbrem,
Inque animas hominum penitus, *uterosque*, fluentem,
Excipiam plenis in nostra novalia rivis.

Libri dant, *exponam*, *ultroque*, et *Excipiat*; omnia vitiose: confer D. Joan. evang. vii. 38.

Ver. 320. *videor:* P. Σ. *video;* V. ed. *vide.*—*formare:* P. Vind. V. ed. B. Q. *firmare;* si fides referentibus sit habenda. Non probo: nam *formare* est exprimere, vel *figurare nominibus*, ipsas *figuras* et naturas rerum: ver. 318. Neque is sum, qui damnem *firmare*, memor nostri poëtæ, ad v. 198. sed, qui contendam, varietatem orationis uberrimo scriptori, et minime vulgariter loquenti, non esse denegandam; neque etiam vim pluribus et castioribus exemplaribus inferendam. De horum vocabulorum permutatione, adeas, quæ viri doctissimi dederint ad Sil. It. xi. 452. et uberius Drakenborchius, ad Liv. iv. 7. 3. *Formare* igitur hoc loco valet *expressum habere;* et per generalem veritatem, quæ sequitur, *signare*, atque *effingere*. Porro, quum res nullis argumentis novis roboretur, dictionem *firmare* scriptoris mentem adimplere ægre dixeris. Confer vi. 940.

Ibid. *videor potesse.* Sic Maro, Æn. v. 231.

——— possunt, quia *posse videntur*.

Ver. 322. *nequeat:* Δ. *nequeant.*—*dictis:* ita solus P. reliqui omnes *noctis*, vel *noctes;* unde non video, quid exsculpi queat, nisi arriserit fortassis hoc tentamen:

——— quæ nequeat ratio depellere *nocti:*

i. e. erroris nocti, quæ mentes obsidet; vide i. 147. 1109. Nonnulli, *doctos*, vel *doctis*, conjecerunt. Amicus meus J. Jones eleganter etiam proposuit:

——— quæ nequeat *ratione evellere doctus:*

sed hæc sunt audacula, nec eam perspicuitatem sibi vindicare possunt, ac facilitatem, quibus nostra commendatur lectio, Bentleii etiam judicio comprobata. Cicero, epist. famil. ii. 16. "*Ratio* ipsa *depulisset* "omnes molestias." Vide i. 127. 144. et alibi.

Ver. 324. *Hæc natura:* animi scilicet, vel animæ, jam exposita, talibus principiis constantis.

Ver. 325. *corporis est:* Π. *est corporis;* V. ed. *corpore est;* unde, quum altera ex duabus literis facile elabi poterat, non inepte rescribendum esse conjicias:

Ipsaque *corporea* est custos et caussa salutis.

Statim Δ. habet *Jam*, loco *Nam*.

Ver. 328. *e:* V. ed. *est.*—*evellere:* Σ. *divellere*.

Extrahere haud facile est, quin omnia dissoluantur;
Inplexis ita principiis ab origine primâ
Inter se fiunt consorti prædita vitâ:
Nec sibi quæque, sine alterius vi, posse videtur
Corporis, atque animi, seorsum constare potestas:
Sed communibus inter eos conflatur utrimque
Motibus, adcensus nobis per viscera, sensus.
Præterea, corpus per se nec gignitur umquam,
Nec crescit, neque post mortem durare videtur.
Non enim, ut humor aquæ, dimittit sæpe vaporem
Qui datus est, neque eâ caussâ convellitur ipse,
Sed manet incolomis: non, inquam, sic animaï

Ibid. *turis glebîs odorem.* Arnobius, lib. vii. p. 219.—" *tus* pauper exiguum, et " *odoris* alicujus unam concremet *glebu-* " *lam:*" Lucretium, ut semper, acerrimo intuitu contemplatus. Nec appositus non superveniet Claudianus, de nuptiis Hon. et Mar. 92.

In medio *glebis redolentibus* area dives
Præbet *odoratas messes*—.

Ver. 331. *haud:* in Π. desideratur.

Ver. 332. *ab origine primâ.* Ita Virgilius, Æn. i. 372. ut alibi, et alii sæpe:

—— *primâ* repetens *ab origine* pergam.

Ver. 333. *fiunt consorti:* P. *consortia fiunt;* Vind. *cosorti fiant;* V. ed. Q. Δ. Π. Σ. Ω. vetera Pii exemplaria, *consorti fiunt;* O. *consorti finem.*—*vitâ:* P. V. ed. O. Δ. *vitæ.*—Utinam testimonium membranarum Leidensium de istâ transpositione liqueret; vix enim dubitem, quin Lucretius ita versum scripserit:

Inter se *consorti fiunt* prædita vitâ:

ad ordinem cæterorum exemplarium: nam vetustiorum poëtarum numeri, prout nobis videntur, incompositi, et verborum serie inartificiali decurrentes, ad nostrum non sunt statim gustum concinnandi. Ennianum versum, apud Varronem, de re rust. iii. 1.

Septingenti sunt, paullo plus, aut minus, anni:

facile expoliveris; sed periculo prorsus tuo, atque haud dubie contra poëtæ mentem. Videas hujusce libri ver. 526. et Hesiod. opp. 183.

Ibid. *consorti vitâ:* i. e. communi vitâ, et eisdem quoque vicibus subjectâ. Non alienus est Virgilius, geo. iv. 153.

Solæ *communis* gnatos, *consortia tecta*
Urbis, habent—.

Ver. 334. Versum eo modo, quo imprimendum curavimus, scriptum exhibent P. Vind. V. ed. B. O. Q. Δ. Π. Σ. Ω. Havercampus, a quo nihil definitum in hoc loco de membranis L. M. accepimus, prisca Pii exemplaria secutus est:

Nec quidquam sine vi alterius sibi posse videtur:

transpositis solummodo ad voluntatem propriam, quantum liquet, *quidquam*, et *sine vi.* Nos tot librorum scripturæ, simplici satis explicitæque, contenti sumus institisse.

Ver. 335. *constare:* sic P. solus; V. ed. L. *stare;* reliqui, *sentire*, quæ vox, si loci scopum contingere videatur, minus peritum artificem saperet; quæ sequuntur, male præcipientem, et ferientem frigore.

Ver. 339. *neque post:* Δ. Π. *nec post;* ut vulgares etiam editiones.

Ver. 340. *dimittit vaporem.* Lucius Ampelius. cap. 8. " Ilio lapis quadratus, " ubi Cassandra fuit alligata; quem si

Discidium possunt artus perferre relictei;
Sed penitus pereunt convolsei, conque putrescunt.
Ex ineunte ævo sic corporis atque animaï
Mutua vitaleis discunt contagia motus,
Maternis etiam membris, alvoque reposto;
Discidium ut nequeat fieri sine peste, maloque:
Ut videas, quoniam conjuncta est caussa salutis,
Conjunctam quoque naturam consistere eorum.
 Quod super est, si quis corpus sentire refutat,

" ante tangas, aut fricueris, lac *dimittit;* " ex alterâ autem parte similiter si frices, " *ex se* sanguinem remittit." Vulgo, *demittit;* atque, *ac si.* Virgilius, geo. ii. 218.

Et bibit humorem, et, cum vult, *ex se* ipsa *remittit:*

atque committas nostrum, ad vi. 67.

Ver. 341. *eâ:* Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. Ω. *a:* editur plerumque, *ab hac;* contra libros.—*ipse:* M. *ipsa.*

Ver. 343. *Discidium:* P. Δ. Π. *Dissidium,* ut mox, in ver. 348. vide ii. 119. male: Pii quidam codices, *distigium;* quod non capio.—*possunt:* V. ed. *inter.*

Ver. 344. *convolsei:* Δ. *conclusi.* Mox autem V. ed. *corpus.*

Ver. 346. *discunt:* O. Δ. *distant.* Sensus autem est: " Ex contactu atque con" junctione similes affectus nancisci, ac " motibus vitalibus corpus et animam si" militer unâ fungi; ita ut indiscreti co" mites evadant, nec sint sine mutuo in" teritu dissolubiles."

Ver. 347. *reposto:* P. O. Δ. Ω. *reposta;* ut vulgares editi, docte minus et exquisite. Virgilius, Æn. iii. 364.

———— *terras* tentare *repostas.*

Idem rursus ibid. vi. 59. quem pro more Silius exprimit, Pun. iii. 325.

Ibid. *alvo reposto.* Sic Horatius, od. iv. 6. 19.

———— etiam latentem
Matris in alvo.

Reposto autem, *recondito* valet, et ab oculis remoto. Hinc miseret me Heynii et aliorum ad Virgilium, geo. iii. 527.

———— non illis *epulæ* nocuere *repostæ:*

i. e. retro positæ; nempe conclavibus et thalamis ædium, ΑΠΟΘΗΚΑΙΣ, in usus equisitiores τεθησαυρισμεναι. Nihil novi in toto Latio manifestius, aut quod interpretem minus morari debuerat. Innumera, quæ sunt ad manum, pudet congerere.

Ver. 348. Cum editorum vulgo, reliquimus *ut,* post *Discidium,* libris omnibus licet reclamantibus; et sane ob persimilem dictionis præeuntis terminationem, vocula facile elabi poterat: dubito tamen, an super hac re bene statuerimus: vide ad ver. 255. Locus est Catulli, lxviii. 3. ubi sinceritas lectionis poscere videtur, ad quorundam MSS. fidem, ejusdem vocis omissionem:

Quod mihi, fortunâ casuque obpressus acerbo,
 Conscriptum hoc lacrumis mittis epistolium;
Naufragum, *et* ejectum spumantibus æquoris undis,
 Sublevem, et a mortis limine restituam——.

Hanc autem pro certissimâ scripturam habeo, vice " Naufragum *ut* ejectum:" vide ad i. 30.

Ver. 351. *Quod super est:* το λοιπον reliquum est. Virgilius, geo. ii. 346.

Quod super est, quæcumque premes virgulta per agros——.

" Non *quod deest,* sed *quod sequitur.*" Servius.

Ibid. *refutat:* i. e. " contraria affir" mando repugnat;" vel accurate, *contra*

Atque animam credit, permixtam corpore toto,
Subscipere hunc motum, quem sensum nominitamus;
Vel manifestas res contra, verasque, repugnat.
Quid sit enim corpus sentire quis adferet umquam,
Si non ipsa palam quod res dedit, ac docuit nos?
At, dimissâ animâ, corpus caret undique sensu;
Perdit enim, quod non proprium fuit ejus in ævo;
Multaque præterea perdit, quom expellitur ævo.
Dicere porro oculos nullam rem cernere posse,

dicit: nam, teste Festo, "*refutare* est a "*fando;*" unde *fatus*, cujus litera more, quo solet, in compositis mutatur: vide ii. 866. Usus τυ *recuso* apud Persium non hinc abludit, sat. i. 48.

Sed recti finemque, extremumque, esse *recuso*
Euge! tuum, et Belle!

Saltem locus Prudentianus, quem sumus admoturi, luculentissime testatur, et locupletissime, doctorum inscitiam (nam temeritatem atque audaciam nihil moramur) reponentium *renutat*, quamvis universa librorum, omne genus, auctoritas constantissime prohibeat. Versus, quos voluimus, in dittochæo secundo leguntur:

Fratrum sacra Deus nutu distante duorum
Æstimat; accipiens viva, et terrena *refutans*.

Scholiastes ad Lucanum, Phars. ix. 213. "Non deprecor: i. e. non recuso, non "*refuto*." Et impendio opportunus est Hieronymi locus, in vitâ Malchi, p. 520. quem Fabri lexico debemus: "Dominus "——tradidit mihi illam conservam "meam, aliquando captivam: et, cum "ego *refutarem*, diceremque me Christi"anum—." Sin malis, accipere potes *refutat*, pro *vult refutare*, vel redarguere: i. e. "tentat, vel dat operam, refellere, "contrariis affirmandis:" sic enim solent castissimi scriptores. Horatius, od. ii. 14. 6.

Non, si tricenis, quotquot eunt dies,
Amice, *places* illacrymabilem
Plutona tauris—.

Hoc dicendi genere ipsi notavimus Arabas in primis magnopere delectari.——Editores nimirum contra libros omnes τo *renutant* inculcavere.

Ver. 353. *Subscipere hunc motum:* i. e. "in se recipere exercendum, ac defun"gendum:" ut *munus suscipere*.

Ver. 354. *verasque:* Π. *variasque*.

Ver. 355. *adferet:* Vind. Q. *asseret;* male. Sensus est: "Quis enim nobis "proferet, vel sistet coram, vel ostendet, "quidnam sit aliud τo corpus sentire, vel "sensus corporeus, præter illud, quod "nobis exhibet experientia?" Nempe, non aliunde, quam ex affectu, cujus conscii sumus, discere valemus, quid sit sensus corporis. Ex ipsius autem Epicuri mente hæc ad sensus fit provocatio; sic enim a Diogene Laërtio accepimus, x. 63. Μετα δε ταυτα, δει συνορᾳν περι της ψυχης, αναφεροντα επι τας αισθησεις και τα παθη· ούτω γαρ ἡ βεβαιοτατη πιστις εσται. Ότι ἡ ψυχη σωμα εστι λεπτομερες, παρ' ὁλον το αθροισμα παρεσπαρμενον, προσεμφερεστατον δε πνευματι, θερμου τινα κρασιν εχοντι, και πη μεν τουτῳ προσεμφερες, πη δε, εκεινῳ· εστι δε κατα μερος πολλην παραλλαγην ειληφος τῃ λεπτομερειᾳ και αυτων τουτων, συμπαθες δε τουτῳ μαλλον και τῳ λοιπῳ αθροισματι· τουτο ΔΗ παν αἱ δυναμεις της ψυχης δηλουν (ποιουσι), και τα παθη, και αἱ ευκινησιαι, και αἱ διανοησεις, και ὧν στερουμενοι θνησκομεν. Sic autem locus iste distingui debet, ac constitui; quem ideo prolatare voluimus, quum susque deque habitus esset in vulgaribus editionibus, atque interpretum gens rationes ejus nullo modo sit assecu-

Sed per eos animum ut foribus spectare reclusis,
Difficile est, contra quom sensus ducat eorum;
Sensus enim trahit, atque acies detrudit ad ipsas:
Fulgida præsertim quom cernere sæpe nequimus,

ta; neque interea Lucretium, tam in his versibus, quam in quibusdam jam prægressis, mediocriter illustret.

Ver. 356. *ac:* Δ. *atque.*—Et Π. interponit *enim* post *quod*. Porro, post hunc versum verr. 358. 359. sequuntur in B.

Ver. 358. *ejus:* M. *eo*, sed a primâ manu, *ei;* dicitur etiam in codice nescio quo legi, *in quo*, pro *ævo;* unde Preigerus hoc pacto versum concinnabat:

> Perdit enim, quod non proprium fuit *eius umquam:*

quæ, membranis confirmata, libenter accepissem; nam locus est omnium vexatissimus. Ipsa sententia sic apud Diogenem Laërtium repræsentatur, x. 65. sed vitiosissimis lectionibus obscurata; quas sinceritati pristinæ nos emendationibus ex verissimis, vel vero proximis, restituemus: nam omnia magis magisque, pro more suo, Meibomius depravavit; neque est scriptor, cujus accuratior editio desideratur. Δι' ὁ, *απαλλαγυσης της ψυχης*, (*το λοιπον αθροισμα*, vel *το σωμα*) *ουκ εχει την αισθησιν· ου γαρ αυτο εν ἑαυτῳ ταυτην εκεκτητο την δυναμιν, αλλ' ἑτερῳ ἁμα συγγεγενημενῳ αυτην ἡ φυσις παρεσκευαζε.* Δι' *ὁ δη, και ενυπαρχουσης της ψυχης, ουδε ποτε αλλου τινος μερους απηλλαγμενου*, Η ΑΝ ΑΙΣΘΗΣΙΣ· *αλλα κἀν αυτη ξυναπολληται, του στεγαζοντος λυθεντος, ειθ' ὁλου, ειτε και μερους τινος, οὑ αν περ διαμενῃ το οξυ κατα την αισθησιν· το δε λοιπον αθροισμα διαμενον, και ὁλον, και κατα μερος, ουκ εχει* ΤΙΝΑ *αισθησιν*, ΕΚΕΙΝΟΥ ΑΠΗΛΛΑΓΜΕΝΟΥ, ὉΙΟΝ *ποτε εστι, το συντεινον των ατομων πληθος εις την της ψυχης φυσιν.* Και *μην, και λυομενου του ὁλου αθροισματος, ἡ ψυχη διασπειρεται, και ουκ ετι εχει τας αυτας δυναμεις, ουδε κινειται· ὡστ' ουδ' αισθησιν κεκτηται.* Hæc autem uberius dedimus, ut emendatiora scriberentur.

Ver. 359. Illud *quom* fortasse ferri potest; censeo tamen Lucretium omnino scripsisse:

> ———————— *dum* expellitur ævo.

i. e. "cum anima semel dimissa sit, corpus omni sensu privatur, quo proprio non utebatur, homine vivente, sed ut adjuncto solum: neque ita afficitur tantummodo, cum mors obveniat, sed *multa perdit*, vel gradatim sentiendi vim obtunditur, et motus sensibiles amittit, dum anima *vetustate* expellitur, vel fortassis, e *vitâ* expellitur:" nam sic Arnobius, lib. vii. p. 249. de Æsculapio disserens:—"qui annorum gradibus ad eum finem ascendisset ætatis, in quo illum vis fulminis—et *vitâ expulisset*, et lumine." Porro, hoc argumentum poëtæ, a ver. 351. ad ver. 360. atque adeo totius loci sensus, quæ acumen antecessorum meorum in hoc munere defungendo prorsus latuere, et egregie sine fructu exercuere, me quoque diu frustra solicitatum, et in omnia versatum, habuerunt. Operam autem inanem usque insumpsimus, donec omnia pendere a phrasi *corpus sentire refutat* clarissime viderimus. Ad hunc igitur modum objectio et responsio sunt intelligendæ: "Si quis vero hanc doctrinam, quam asserimus, de animi ac corporis penitissimâ conjunctione evellere conatur, *affirmando e contra* (i. e. *refutando*, vel regerendo) corpus per se sentire, atque animam etiam, dum per artus dispergitur, motus sensibiles suâ ex parte exercere; ille contra experientiam repugnat: quum manifestissimum sit, quamprimum anima dimittatur, corpus relinqui prorsus omni sensu destitutum." Vides itaque, poëtam dimidio tantum propositi in his versibus defungi, nempe quod *corpus* re-

Lumina luminibus quia nobis præpediuntur;
Quod foribus non fit: neque enim, quâ cernimus ipsei,
Ostia subscipiunt ullum reclusa laborem.
Præterea, si pro foribus sunt lumina nostra,

spicit; de altero scilicet, mortalitatem *animæ* spectante, satis ampliaturus ad ver. 418. et in sequentibus.

Ver. 360. Quasi dicat: "Qui porro "affirmant e contrario, corpus in effi- "ciendo sensu non participare cum ani- "mo, non minus falluntur, atque præce- "dentes, qui per se sentire corpus existi- "mant." Sentio tamen me cum loco valde perplexabili rem habere; et nolim in talibus sibi nimis confidentem agere. Cum Varrone igitur, de re rust. ii. 5. libenter caverim: "Si quis quid ignorat, "discat; si quis scit, nunc, ubi labar, ob- "servet."—Cæterum, recte judicant editores Lucretium hic alludere ad notum Epicharmi versum, pluribus veterum memoratum, et sic in numeros suos distribuendum:

Νοῦς ὁρῇ, καὶ Νοῦς ἀκούει· τἆλλα κωφὰ, καὶ τυφλά.

Ver. 362. *Difficile:* i. e. "res hæc est, "cujus probatio multum habet in se diffi- "cultatis, quamvis tam celebres philoso- "phi hoc affirment." Editores tamen, licet sensus adeo probabilis facilisque hinc exsurgat, de suo *Desipere*, pro *Difficile*, Lucretio nostro per facinus longe audacissimum obtrusere.—*sensus:* Q. *sensum.* —*ducat sensus*, vocibus transpositis, O. Δ. *dicat* autem, consimili temeritate, vulgo est editum, contra librorum omnium auctoritatem.

Ver. 363. Sic interpretor: "Sensus, "quem habent oculi, rebus externis per- "cussi, evocat animum ad eorum acies, "ita ut, consociatis animi et oculi potes- "tatibus, videndi facultas exoriatur." Lambinus, Creechius, et alii, *συντόμως* cum hoc versu egerunt, et recisum voluerunt: nobis ea ratio non placet, quæ omnia, non statim penitus intellecta, e contextu tollenda pronunciat. *Detrudit* autem ideo dixit, quod ad ultimas extremitates corporis oculi jaceant: et similem habet constructionem noster ad vi. 439.

——— gravidam *detrusit ad* æquora ponti:

unde nullus dubites, Virgilium etiam sic scripsisse ad Æn. vii. 773.

Fulmine Phœbigenam Stygias *detrusit ad* undas:

de librorum optimorum fide. Silius item ad hanc lectionem adstruendam cum membranis et Lucretio conspirat, respiciens Virgilii versiculum, in Pun. xv. 43.

Hæc Decios *Stygias* Erebi *detrusit ad undas.*

Ver. 364. *præsertim:* i. e. "hinc im- "primis liquet, oculos in exsequendo "visu non agere nihil; nempe, quod "nimio fulgore ita præstringantur, ut "videndi potestas omnino elanguescat, "atque debilitetur: si minus, æque acu- "to visu uteremur; quum anima inte- "rea, cui soli ea facultas obtigerit, nul- "lam injuriam ex luce præpollente pa- "tiatur."

Ver. 365. *Lumina:* Π. *Numina;* de quâ commutatione verborum, nos monuimus ad ii. 1102.

Ver. 366. *quâ:* O. Δ. *quæ.*—*cernimus ipsei:* Π. *cerni;* cæteris deficientibus.

Ver. 367. *Ostia:* Δ. *Extra;* Π. Σ. *Hostia.*

Ibid. *laborem:* i. e. incommoditatem, *dolorem;* vide mox, ad ver. 461. ex quâ nominis notione progressi, nos olim verissime emendavimus Horatii od. ii. 9. 11. ad Silv. Crit. i. p. 152.

——————— nec tibi, Vespero
Surgente, decedunt *labores*,
Nec rapidum fugiente solem.

Pulchra oppositio. "Querceta Gargani "non semper *laborant*, tu autem semper." Vulgo, *amores.*

Jam magis exemptis oculis debere videtur
Cernere res animus, sublatis postibus ipsis.
   Illud in hiis rebus nequaquam sumere possis,
Democriti quod sancta viri sententia ponit;
Corporis atque animi primordia singula, privis
Adposita, alternis variare, ac nectere, membra.
Nam, quom multo sunt animaï elementa minora,

Ver. 368. *pro foribus sunt lumina nostra.* Sic quædam in nobilissimo Maximi Tyrii loco, xxv. 5. *Αγησιλαῳ δε μεχρι των* ΟΦΘΑΛΜΩΝ *προσελθων ὁ ερως, ενταυθα εστη επι* ΘΥΡΑΙΣ *της ψυχης*—.
Contra has Lucretii rationes malignius insurgit animosa eloquentia Lactantii, in libro de opificio Dei, cap. viii. quod Lambinus etiam dudum monuit.

Ver. 370. *sublatis:* i. e. "*foribus* sublatis *cum* postibus istis:" uti constructionem verborum Lactantius evolvit, l. c. "Si enim mens, inquit Lucretius, per "oculos videret, erutis et effossis oculis, "magis videret; quoniam *evulsæ cum* "*postibus fores* plus inferunt luminis, "quam si fuerint obductæ." Sed dubito, si vere; certe minus expedite ac simpliciter, quum pro *foribus* ipsis *postes* sæpissime adhibeantur; ut in centum similibus, per synecdochen, quam vocant grammaticorum filii.

Ver. 372. *Democriti sancta viri sententia* est in exquisitioribus formulis sermonis, quas adamat Lucretius, pro "*sententia Democriti, viri sancti;*" ut *gentes Italas hominum*, i. 120. vice *τυ gentes Italorum hominum* defungitur: ad quem locum, cum ver. 475. ejusdem libri, et alibi plus semel, nos de hac re diximus ubertim. Hinc criticorum æstuantium, et se magnopere torquentium, tumultus statim sedantur; atque unâ semel liturâ Fabri, Preigeri, et Havercampi etiam animadversiones, nonnihil per tenebras tamen dispicientis, obduci debent.

Cæterum, in quantum meæ mentis acies valeat pertingere, hanc societatem animi et corporis Democritus impugnabat, fingendo non unâ eos agere, sed per vices; hoc agente quasi, dum ille quiesceret; et contra similiter: ita ut alternantes se applicarent membris, et moverent.

Ver. 373. *primis:* ita nunc scripti editique, sed sine dubio corrigendum est *privis.* Hoc est, "Singula corporis primordia singulis animi apposita." BENTLEIUS, ad Horat. art. poët. 60.
Viro maximo, cunctanter tamen, obedivi; sed ut interpretem non accipiam, quum, pro *singulis animi*, dixerim *singulis membris* substitui debere: si scriptoris mentem ipse quidem valeam perspicere. Alii sententiam suam interponant.—Porro, in eandem emendationem Preigerus etiam videtur seorsim incidisse: nec de nihilo est parium dictionum societas apud Arnobium, lib. vi. p. 204. "Quia, quæ sunt "*priva singulaque* naturâ, multa fieri nequeunt, simplicitatis suæ integritate servatâ."

Ver. 374. *nectere:* i. e. ita sociare, ut communes motus habeant, et inter se conspirent.

Ver. 375. *sunt:* P. O. *sint.*—*animaï:* V. ed. O. Δ. Π. Σ. *animæ.*

Ibid. *animaï elementa.* Ita Juvenalis etiam locutus est, in versibus gravitate sententiarum præcellentissimis, et levis emendationis ope multum exigendis, sat. xiv. 17.

Mitem animum, et mores, modicis erroribus æquos,
Præcipit, atque *animas* servorum et corpora nostra
Materiâ constare *pari*, paribusque *elementis*,
An sævire docet, Rutilus?

Quam quibus et corpus nobis, et viscera constant;
Tum numero quoque concedunt, et rara per artus
Dissita sunt; dum taxat ut hoc promittere possis,
Quantula prima queant, nobis injecta, ciere
Corpora sensiferos motus in corpore, tanta
Intervalla tenere exordia prima animaï.
Nam neque polveris interdum sentimus adhæsum

Vulgo, *putat; vice pari:* quæ tamen vox, *rx præcipit* et *docet* sic interveniens, omnem constructionis proportionem turbat, gratiasque periodi corrumpit. Jam vero repetitionem earundem dictionum sæpe in offensionem librariorum incurrisse, probe novimus: vide ad ii. 1146.

Ver. 376. *quibus et:* editores, *quibus e*, libris omnibus in facinus vociferantibus, haud præter solitum audaces.

Ver. 378. *promittere:* P. V. ed. B. *permittere;—possis:* Δ. *possit*, usitatâ permutatione.

Ibid. *dum taxat hoc:* i. e. hoc tantummodo; "esse scilicet quoddam interval-"lum inter animæ exordia, et exter-"nos motus corporis; non autem hoc al-"ternum, et invicem cessans, officium, "quale Democriti ingenium animæ et "corpori commentum est." Redi ad ii. 930.

Ibid. *promittere:* i. e. "in te suscipere, "ut affirmes." Non omnino alienus est Horatii locus, quem Lambinus attulit, ex sat. i. 4. 101.

———— quod vitium procul afore chartis,
Atque animo plus, ut si quid *promittere* de me
Possum aliud, vere promitto.

Neque indignus est, super hac re quem inspicias, Servii commentarius, ad Virg. Æn. ii. 96. Glossator vetus: "*Promitto*, "ἐπαγγέλλομαι."

Ver. 379. *prima.* Rescribendum voluit hic etiam Bentleius, *priva:* omnino mendose, neque scriptoris scopo convenienter. Nam *prima corpora nobis injecta* valet "atomos ita se injicientes nobis, et im-"pingentes, ut motus sensiferos efficiant; "animæ vi scilicet ad officium suum re-"suscitandâ."

Ver. 381. *exordia prima.* Maro, Æn. iv. 284.

———— quæ *prima exordia* sumat?

Ver. 382. Hinc probat, probabile esse quoddam temporis intervallum ante fieri post atomorum injectionem et impulsionem, quam mens cietur; quod aliquoties hæc vis atomorum tam levis sit, ut animam non valeat pertingere, sed inexcitam linquat.

Ibid. *adhæsum.* Vox est Lucretio plus semel alias adhibita, ejusque, ut videtur, propria. Meminit illius Nonius, ad ii. 34. hunc versum laudans; sed nos alibi non invenimus.

Ver. 384. *neque:* sic P. Vind. V. ed. Q. Σ. Ω. cæteri, *nec;* ut editi.—*aranei* V. ed. O. Ω. *arani;* qui error est pronunciationis: Vind. Q. *araneæ;* non deterius. Veteres grammatici: "*Araneum*, quod "textum est; *aranea*, quæ texit." Malim tamen per *aranei* etiam ipsum vermem intelligere. Servius, ad Virg. geo. iv. 246. —"sciendum, *majores* animal ipsum "masculino genere appellasse, hic *ara-*"*neus;* retia vero, quæ faciunt, feminino "genere." Catullus, xxiii. 2.

Furi, quoi neque servus est, neque arca,
Nec *cimex*, neque *araneus*, neque ignis—.

Ver. 385. *obretimur.* Elegantissima est locutio: eadem *casses* gemellâ voce nominavit Virgilius, geo. iv. 247. Poëtam utrumque Arnobius in loco, verbis exquisitis perpolito, ad consuetudinem suam æmulatus est, lib. vi. p. 202. "Non in

Corpore, nec membris incussam sidere cretam;
Nec nebulam noctu, neque aranei tenuia fila
Obvia, sentimus, quando obretimur euntes;
Nec supera caput ejusdem cecidisse vietam
Vestem; nec plumas avium, papposque volanteis,
Quei nimiâ levitate cadunt plerumque gravatim:

"ore aliquando simulacri ab *araneis* or-
"diri *retia*, atque insidiosos *casses*, qui-
"bus volatus innectere stridularum pos-
"sint impudentiumque muscarum?" Respiciebat etiam Culicis exordium:

> Atque, ut *araneoli*, tenuem formavimus *orsum:*

ubi inficeti valde sunt, qui mutationem moliuntur. *Tenuem orsum* vero exprimit Lucretianum illud versûs præcedentis, *tenuia* nempe *fila*.

Cæterum, quod Lucretius per *obretimur* voluit efferre, Julius Obsequens, opinor, per *vinciri*, de prodigg. sect. cxxix. expressit: "Signa legionis, quæ relicta a "Pansâ ad urbis præsidium erat, veluti "longo situ inductis araneis *vinciri* visa." i. e. obretiri. Codices, *venire*.

Ver. 386. *supera:* sic P. Q. soli; Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. *super ea:* vulgo, *supra*. Priscianus, lib. xiv. p. 1001. "*Su-*"*pera* enim antiqui frequenter protule-"runt, et maxime Cicero in poëmatibus "suis; ut in Arato:

> "Torvus draco serpit subter *supera*que, retor-
> "quens
> "Sese."—Pergit ille grammaticus ibidem:

"Idem in eodem:

> "Huic *supera* duplices humeros adfixa videtur
> "Stella, micans tali specie, talique nitore."

Accuratius autem scripsissem, opinor, *superâ:* i. e. "superâ *viâ*."

Ibid. *ejusdem vietam vestem:* i. e. inanem aranei cuticulam, vel corpusculum arefactum: conferas hujusce libri ver. 613. nostram Silv. Crit. sect. xliv. et tom. v. p. 136. Hinc scriptor ad Hebræos, solitâ cum elegantiâ, hanc figuram tangit, cap. v. com. 2.—επει και αυτος ΠΕΡΙΚΕΙΤΑΙ ασθενειαν: i. e. *vestimento carneo induitur.* Non potuerat exquisitius.—*cecidisse:* Π. *cedisse.* Quod, si vellet *sedisse*, nemo venustior dictionem contempsisset.

Ver. 387. *plumas pappos:* Π. *plumam papos.*

Profert hunc versum Festus in voce *Pappi;* et docet *pappos* esse *carduorum flores.* Lambinus.

Ibid. *pappus*, a Græco παππος, qui est ὑπο τῳ γενειῳ τριχωσις· valet igitur *canities*, et quasi *barba*, *albescentium* plantarum. Hesychii glossa ita emaculanda est; quod ex parte Tollius ante me dudum viderat: Παππος ΑΚΑΝΘΑΣ ΑΝΘΟΣ· ῞ΟΣ, επαν γηρασῃ και αποξηρανθῃ, ΠΡΟΣ ανεμων εκριπιζεται, και τοπον εκ τοπε μεταβαλλει. Vocibus omissis occasionem dedit præcedentium syllabarum similitudo: redi sis ad ii. 1072.

His rite superveniet Nicander, Alex. 126. suavi pollens tenuitate carminis:

> Οἱα τε δη γηρεια, νεον τεθρυμμενα, παππε,
> Ηερ' επι πλαζοντα, διαψαιρεσιν αλλαις.

Obiter scholiastem expurgabimus; Γηρεια δε, τα ανθη τα λευκα και ΠΟΛΙΩΔΗ: i. e. *canescentia*. Vulgo, πολυειδη. Neque aberit Aratus, dios. 189.

> Ηδη και παπποι, λευκης γηρειον ακανθης,
> Σημ' εγενοντ' ανεμε—.

Ubi scholiasta emendantis adjutricem manum non minus desiderat; quam admovebo: ῾Η ακανθα, ἡ καλεμενη κιναρα, επειδ' αν εξανθησῃ, ΟΥΡΙΟΥΤΑΙ (*vento secundo volat*): γηραμος δε αυτης εστιν, ὁ καλεμενος παππος. Εν δε τοις παραθαλαττιοις χωριοις, επειδ' αν πνευσῃ ανεμος, οἱ παπποι, κεφοι οντες, και ΕΥΤΡΙΠΤΟΙ, η θρυπτοι, και ὑπο ολιγε ανεμε ανατρεπομενοι, εμπιπτεσι τῳ

Nec repentis itum quoius vis quomque animantis
Sentimus; nec priva pedum vestigia quæque,
Corpore quæ in nostro culices, et cætera, ponunt.
Usque adeo prius est in nobis multa ciendum,
Quam primordia sentiscant concussa animaï,
Semina, corporibus nostris inmixta per artus;

ὕδατι—. Libri, *αυριπται*, quæ vox est nihili, atque analogicis orationis Græcæ rationibus adversatur: et *ευριπτει*. Philologis autem lectoribus vocabulum, scholiastæ conservatum et ignotum lexicographis, sedulo animadvertendum est; hinc enim salus desperato Hesychii glossemati, quam frustra speraveris aliunde: ΓΗΡΑΜΟΝ· ΓΗΡΑΜΑ. Vulgo, monstrose satis,

Quodque coronatâ lustrari debeat agnâ,

Γηραμων· γραζα.—Interea, Virgilii edocemur veram interpretationem, ni fallor, ad geo. i. 369.

Aut, summâ nantis in aquâ, conludere *plumas:*

plumas nempe, albam lanuginem, vel canitiem, deflorescentium plantarum: uno verbo, *pappos*, denique. Hinc Horatius, od. iv. 10. 2. multum criticis vexatus, integerrimus est et purissimus:

Insperata tuæ cum veniet *pluma* superbiæ.

Pluma nempe generaliter, *comæ lanugo;* nunc *senilium capillorum*, nunc *pubescentis barbæ:* quam *primam senectæ lanuginem* alicubi Juvenalis vocitat. Ineptiunt, qui in hanc rem afferunt Nemes. cyneg. 37. Hæc mihi ideo magis sunt persuasa, quod Græcis, Latinorum solis auctoribus, *πτερον*, vel *pluma*, est *θριξ*, *capillus*. Testi sit Æschylus, Choëph. 172.

Και μην ιδ' εστι χαιτ' ιδων ὁμοπτερος:

quem secutus est Euripides, Elect. 530. Nos plura super his alicubi in Silvâ Criticâ. Avienus in Arato, vestigia Maronis legens, interpretationi meæ suffragatur, ver. 1684.

Jamque *super latices florum* volitare *senectam*.

Consentit etiam Theophrastus, de signis pluviæ, ad finem:—*εαν εν τῃ θαλασσῃ παπποι φερωνται πολλοι, οἱ γινομενοι απο των ακανθων*.

Ver. 388. *Quei:* Ω. *Quia.*—*gravatim:* Δ. *gravatu;* Π. et quidam apud Pium, *gravati*. Aliquando cogitabam de *gradatim:* i. e. sensim, tarde; sed pœnitet. *Gravatim* nempe, *ægre, difficulter;* quasi graves, et motibus inepti.—Cæterum, non est venustatis expers illud *gravati;* et membranæ pariter turbant ad Livium, iii. 4. 6. ubi videas animadversores.

Ibid. *nimiâ:* i. e. permagnâ: notam inspice ad i. 320. Tullius in Arateis, ver. 314.

Lacteus hic *nimio* fulgens candore notatur.

Sic etiam Virgilius, geo. ii. 458.

O fortunatos *nimium*, sua si bona norint,
Agricolas!

i. e. "maxime felices," vel "præ aliis "felicissimos." Nugatur Servius, et interpretes alii: sed in re notâ piget immorari, et congerere exemplorum vim.

Ver. 389. *repentis itum:* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *repente situm;* Q. *repenti situm;* literis tantummodo male dispositis: nec mirum est vocem rarissimam in errores scribas conjecisse; quâ post nostrum pro more usus est Arnobius, lib. vi. p. 203. Lambino non præteritus: "An "habeant itus liberos, cum libuerit abire "quocunque—?" Ammianus Marcellinus, xxiii. 3.—"*itum* felicem, reditumque "gloriosum, exoptans." Alia apud communia lexica quæras, et Nonium Marcellum. Glossarium vetus: "*Itus*, *πορεια*. "—*Itus*, itio, *πορεια*." Et Ammianus alibi.

Ver. 390. *Sentimus:* M. *Sentiamus.*—

Et quam, intervallis tantis tuditantia, possint
Concursare, coire, et dissultare vicissim.
  Et magis est animus vitaï claustra coërcens,
Et dominantior ad vitam, quam vis animaï.
Nam sine mente, animoque, nequit residere per artus
Temporis exiguam partem pars ulla animaï;
Sed comes insequitur facul, et discedit in auras,

priva: P. B. O. Δ. Π. *prima:* et nobis saltem placet: nam vult Lucretius, et veritas ipsa postulat, "vestigia, non im-"pressa vi, sed leviter solummodo in "superficie posita;" quæ pulchre vocitat *prima* Carus. Quum vero τo *priva* facilius in *prima* librariis detorqueretur, quam vicissim, et ista lectio plurium sit meliorumque codicum, nihil ex gustu meo immutatum volui. Hinc autem Ovidius emaculandus est, ad fast. iv. 480.

> Jamque Peloriaden, Lilybæaque, jamque Pachynon,
> Lustrarat; terræ cornua *priva* suæ:

i. e. unumquemque angulum ex tribus, qui Siciliam distinguunt. Libri MSS. *prima*.

Ver. 392. *in* abest M.—*ciendum:* Vind. *ciendus;* V. ed. B. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. *ciendo;* haud dubie pro vetustiore formâ scriptionis, *ciendom:* quam, ut mea fert sententia, passim Lucretio restituere debueram.—Porro, animadvertas constructionem, toties nostro frequentatam, et alibi illustratam nobis, *ciendum semina:* de quâ tamen in hoc loco tacuissem, ni rursus monere vellem, formis tritioribus idem re verâ regimen obtinere, quamvis lectores lateat. Sic, exempli gratiâ, in hoc Varronis loco, de re rust. i. 38. 1. "Quæ loca in agro stercoranda viden-"dum; et quî, et quo genere, potissimum "facias:" si solvas periodum, et grammaticas rationes evolvas, verba sunt hoc pacto constituenda, ac compingenda: "Vi-"dendum *est ea* loca, quæ *sunt* in agro "stercoranda." In aliis nullo negotio rem quivis lector expedire poterit.

Ver. 393. *sentiscant:* P. *sentificent;* V. ed. *sentificant*. Confer autem ver. 250.

Ver. 394. *nostris:* Π. *nobis*. Et hunc versum ante præeuntem, ex arbitrio, contra libros, editores audacissimi posuerunt.

Ver. 395. *quam intervallis tantis:* Vind. V. ed. O. Q. Δ. Π. Σ. Ω. *quantis intervallis:* non displiceret *tantis intervallis*, sed parum intelligo, quo modo *quantis* stare poterit; neque caussa videtur mutationis. Dicit autem Lucretius, necesse esse quoddam tempus prius elabi, quam semina, in variis membrorum penetralibus dissita coire possint, atque ad evocationem animæ moveri.—*tuditantia:* V. ed. Π. *cuditantia*.

Ver. 396. *Concursare, coire:* P. *Concussare, coire;* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *Concussa recoire.*—*dissultare:* Vind. *dissulcare*.

Ibid. *dissultare*. Virgilius, Æn. xii. 923.

> ———————— nec fulmine tanti
> *Dissultant* crepitus:

i. e. "nec tantus est crepitus fulminis "dissilientis;" vel disrupti, et e nubibus se jaculantis: vel, "nec fulmen crepans "tantâ vi dissultat."

Ver. 397. Animus et anima, perspicuitatis atque brevitatis ergo, sæpissime idem valent ad Lucretii mentem; quoties autem commoda interveniat occasio secernendi, animus pro eâ vi capi debet, cui major portio latentis illius naturæ, de quâ ad ver. 274. agitur, contigerit, et vividior potestas sentiendi.

Ibid. *est coërcens*. De hoc dicendi more

Et gelidos artus in leti frigore linquit.
At manet in vitâ, quoi mens, animusque, remansit,
Quam vis est, curtum cæsis, lacer undique membris:
Truncus, ademptâ animâ, circum, membrisque remotus,
Vivit, et ætherias vitaleis subscipit auras;
Si non omnimodis, ut magnâ parte, animaï
Privatus, tamen in vitâ contatur, et hæret.

quædam dedimus ad Sophoc. Philoct. 420. et Silv. Crit. ii. p. 17.

Ibid. *vitaï claustra:* i. e. *nexus*, ver. 218. vel vincula, vel etiam ut *nodos*, ii. 949.

Ver. 399. *nequit:* V. ed. *nequid;* uti passim scribis erratum est in elementis *t* et *d*.

Ibid. *residere.* Cicero, Tusc. dispp. i. 43. fin. non aderit intempestivus: " In " corpore autem perspicuum est, vel ex- " stincto animo, vel elapso, nullum *resi- " dere* sensum."

Ver. 400. *exigui partem*, P. male. Virgilius, Æn. x. 128.

Haud *partem exiguam* montis—.

Ver. 401. *facul.* Nos, favente divâ Critice, archaïsmum alium, librariis scriptoribus tantum non obrutum et sepultum, ex ruderibus vitiosarum lectionum Lucretio recuperavimus. Nimirum in vetustis exemplaribus scriptum erat ad hunc modum:

——————*facul ē* discedit:

unde statim gens hebes et invenusta, *facile discedit*, refingerent; quod his minutiis exercitati non ægre credent, et esse vero simillimum libentissime fatebuntur. Editur vulgo:

——————*facile et* discedit in auras:

et autem deest Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. et ejus loco, L. M. habent *e*. Festus: " *Facul* antiqui dicebant, et *faculter*, pro " *facile*." Nonius item Marcellus, ii. 331. " *Facul*, pro *faciliter*." Unde corrigas Festum, rescribendo *faciliter*, vice *faculter*. Prior grammaticus, l. c. exempla dictionis attulit ex Lucilio, Pacuvio, Afranio, Accio, et Varrone; quæ, si libeat, apud ipsum quæras.—*discedit:* O. Π. Ω. *descendit;* quæ solennis confusio est: vide Ovid. remed. amor. 125. et initium somnii Scipionis.

Ver. 404. *curtum cæsis:* i. e. curte cæsis, vel decurtatis. Vulgo, *circum cæsis:* sed meliorum librorum scriptura depravata sic nobis refingenda videbatur; nam Vind. V. ed. L. M. Δ. Σ. dant *cretum cæsis;* Q. Ω. *cretum cæcis;* Π. *rerctum cæsis.* Favet etiam divinationi nostræ τὸ *circum* statim minus venuste repetitum. Nos ad amussim similiter solemus loqui: " With " his limbs *cut short*."—*lacer undique:* L. *lacerandique;* a secundâ manu. Cæterum, facile dixerim hunc locum in oculis Virgilii fuisse, ad Æn. vi. 494.

Atque heic Priamiden, laniatum corpore toto,
Deïphobum vidit; lacerum crudeliter ora,
Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, et truncas inhonesto volnere naris:

ubi, ad nonnullorum codicum fidem, incogitanter Heinsius repositum volebat:

Deïphobum *videt; et* lacerum crudeliter—:

nam, quod breviter et plene extulerat initio poëta in verbis, *laniatum corpore toto*, in sequentibus ampliat atque declarat singulatim; aliter, frigida foret et insulsa loci ratio.

Ver. 405. Hicce versus est præcedentis epexegesis et amplificatio, ad Maronis etiam consilium modo memoratum.

Ibid. *remotus:* sic L. at M. *remota;* forte, *remotū:* cæteri omnes, *remotis;* ad vulgarem sermonis prosaïci colorem. Quod

Ut, lacerato oculo circum, si pupula mansit
Incolomis, stat cernundi vivata potestas;
Dum modo ne totum conrumpas luminis orbem,
Et circumcædas aciem, solamque relinquas;
Id quoque enim sine pernicie non fiet eorum:
At, si tantula pars oculi media illa peresa est,
Obcidit ex templo lumen, tenebræque sequuntur;
Incolomis quam vis alioquin splendidus orbis.

nos dedimus, longe est longeque elegantius.

Ibid. *animâ:* quæ scilicet per omnes artus truncatos diffundebatur, atque unâ cum illis exscindebatur.

Ver. 406. *ætherias auras.* Maro, Æn. vii. 557.

—— super *ætherias* errare licentius *auras*—.

Ibid. *vitaleis auras.* Idem, ibid. i. 387.

——— haud, credo, invisus cœlestibus, *auras Vitalis* carpis—.

Similiter Juvencus, hist. evang. ii. 715.

Et regina noti *vitales* surget in *auras*.

Ita erat scribendum: vulgo, *oras.*—Cæterum Lucretiani libri *suscipit* exhibent; sed editores *succipit*, Servio obsecuti ad Virg. Æn. vi. 249. qui dicit antique sic scriptum esse: at nos id maluimus, quod fortassis est antiquius, et simplicitatem scribendi servat, unitatemque; jam melius edocti.

Ver. 407. *ut:* sic Vind. V. ed. O. Q. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *at;* et sic P. magis ad communes sermonis pedestris rationes.—*magnâ:* Π. *vaga.*—*magnam partem*, Q.

Ver. 408. *contatur:* ita accurate Δ. Vulgares editi, *cunctatur;* Ω. *conctatur.*

Ver. 409. *pupula:* Δ. Π. *pupilla.*—*mansit:* Δ. *remansit;* versu mensuram suam excedente.

Ver. 410. *vivata:* V. ed. *juvata*, cum eisdem elementorum signis; B. *innata;* vide ver. 557.

Ibid. *vivata:* i. e. vivax, acris, acuta, vegeta. Apud alium cuicuimodi probum scriptorem non invenimus vocem. Festus: "*Vivatus* et vividus a poëtis dicuntur a "vi magnâ." Philoxenus: "*Vivatis*, diu "viventis." Lege, *vivatos.*

Ver. 411. *Dum modo:* V. ed. *Omnimodo.*—*conrumpas:* Π. *coruptus.*

Ibid. *luminis orbem.* Virgilius, si Virgilius, in Culice, ver. 221.

Sanguineumque micant ardorem *luminis orbes.*

Ovidius, met. xiv. 260. de Polyphemo:

Crudelesque manus, et, inanem *luminis, orbem*!

Conrumpas autem hic proprie, *unâ rumpas;* dum rumpitur pupilla scilicet. Sensu figurato Plautus, Amphit. i. 3. 32.

Ne *conrumpe oculos*: redibo actutum—.

Sic etiam Ovidius, et alii.

Ver. 412. *Et:* repetitâ nimirum phrasi *Dum modo*, et omissâ negatione præcedentis versûs; uti multoties factum est. Editores tamen, contra libros, indoctissime reposuere *Sed.*—*circumcædas:* Vind. L. M. Δ. Σ. Ω. *circumcedas;* Q. *circumcedans;* P. V. ed. B. Π. *circumcidas.*

Ver. 413. Hoc versu nihil unquam vidi planius ac simplicius. Attende solummodo verborum singulorum enarrationem: "*Id enim* (corruptio pupulæ) "*quoque* (cum reliquo etiam oculo) *non* "*fiet sine pernicie eorum*," amborum utique; tam pupulæ, quam oculi. Ab omni parte quidnam inculpatius desideres? Id tamen stuporis editores in se admisere, ut emendationem, si dîs placet, Lambinianam, *confiet*, pro *non fiet*, libris omnibus

Hoc anima atque animus junctei sunt fœdère semper.
Nunc age, nativos animantibus et mortaleis
Esse animos, animasque leveis, ut noscere possis;
Conquisita diu, dulcique reperta labore,
Digna tuâ pergam disponere carmina vitâ.
Tu face utrumque uno subjungas nomine eorum;
Atque animam, verbi caussâ, quom dicere pergam,
Mortalem esse docens, animum quoque dicere credas;

reclamantibus, unanimes et patientissimi receperint. Factum est indignissime!

Ver. 414. *peresa est:* i. e. per abusionem, pro *corrupta est*, ver. 411. vel *consumpta est*, quovis demum casu. Virgilius, Æn. vi. 442.

—— quos durus amor letali tabe *peredit*—.

Ver. 415. Hoc ordine leguntur hi duo versus in P. Vind. V. ed. B. O. Q. Δ. Σ. Ω. In vulgaribus editionibus, qui sequitur versus huic præponi solet, per structuram minus artificialem atque poëtice solertem. Cæterum, hujusce versûs locutiones solem cadentem pulcherrime respiciunt, quando rerum facies caligine involvitur: et nostrum pene dixeris Homereum versum repræsentare voluisse, qui legitur in Od. B. 388.

Δυσετο τ' ηελιος, σκιοωντο τε πασαι αγυιαι:

vel alium, ad Il. A. 475.

———— ηελιος κατεδυ, και επι κνεφας ηλθε.

Ver. 416. *alioquin:* sic V. ed. atque rectius, ut opinor. Vulgo, *alioqui.*

Ibid. *orbis:* i. e. *oculus*, ob rotunditatem; unde etiam pro *capite* Prudentius, peristeph. x. 843.

Venarum ut undam profluam manantium,
Et palpitantis *orbis* exciperet globum.

Male plerique editores, *oris.* Verum vidit Iso glossator: " Quasi *spiritum* volens " recipere filii:" nam *spiritus* est in *sanguine;* vide supra, ver. 43. *Globus* vero est massa sanguinis, σφαιρηδον cadentis; θρομβων agmen orbiculatum.

Ver. 417. *vinctei:* P. V. ed. Δ. Σ. *juncti;* errore perpetuo, ob elementorum ductus prorsus similes, ita ut raro dignosci queant; atque interest raro multum, ut dignoscantur. Verum enim vero, re secundis cogitationibus tractatâ, τo *juncti* relinquendum esse in contextu censuimus; ob hanc caussam scilicet, quod Virgilius phrasim *jungo fœdere* persæpe adhibuerit, *fœdere* contra *vincio* ne semel quidem. M. autem habet *vinctis*, omisso *sunt.* An scripserit Lucretius?

Hoc anima atque animus vinctei *sibi* fœdere semper.

Grævii consilium non probo, qui in hoc loco Ciceronis, de amic. 7.—" si exemeris " ex naturâ rerum benevolentiæ *junctio-* " *nem;*" τῳ *vinctionem* id prætulerit: nam Arnobius, qui voces exquisitiores scriptorum delibare solet, non secus loquitur, ad lib. ii. p. 68.—" *vinctione* in perpetuâ " contineri:" et ibid. p. 87. im.—" quis " auctor *vinctionis* istius—?"

Ver. 420. *dulci reperta labore.* Eandem rem Virgilius aliter exhibuit, ecl. ix. 64.

Cantantes licet usque, minus via lædat, eamus:

et consimili venustate Flaccus, sat. ii. 2. 12.

Molliter austerum studio fallente laborem.

Idem insuper Mantuanus alibi novam quasi hujusce versûs imaginem reddidit, geo. i. 197.

Vidi, lecta *diu*, et multo spectata *labore*—.

Ver. 421. Codicum O. Δ. ratio in hoc versu constituendo minime mihi displicet:

Digna tuâ, *Memmi*, pergam disponere vitâ:

Quâ tenus est unum inter se, conjunctaque res est.
Principio, quoniam tenuem constare minutis
Corporibus docui, multoque minoribus esse
Principiis factam, quam liquidus humor aquaï,
Aut nebula, aut fumus: nam longe mobilitate
Præstat, et a tenui caussâ magis, icta, movetur;
(Quippe ubi imaginibus fumi, nebulæque, moventur)
Quod genus, in somnis sopitei, ubi cernimus alta

et, si quivis alii fidei majoris addixissent, in contextum admisissem; nam reticentia τυ *carmina* sensum vulgarem librariorum supergredi videtur.

Ibid. *tuâ vitâ:* i. e. "moribus tuis ac "virtutibus, quem Musa rebus omnibus "ornatum in omni tempore voluit excel- "lere. Quem virum! quæ carmina!" Hanc potestatem nomen *vita* passim nanciscitur.

Ibid. *disponere:* i. e. "curiosâ cum so- "lertiâ studioque pensitato ponere." Sic i. 47.

—— mea dona, tibi studio *disposita* fideli:

ut poëta noster tam dispositione argumentorum, quam verborum numerorumque concinnitate, se jactare intelligatur.

Ver. 422. *face:* sic P. O. Δ. cæteri, *fac;* vide sis animadversa nobis super hac re, ad ii. 484.—*nomen:* M. Σ. Ω. *nomine;* quod accipiendum existimavi, ob expeditiorem constructionem. "Tu rem utram- "que sub uno nomine complectaris."

Ver. 423. *verbi caussâ:* i. e. si phrasin interius attendas, "ob vocis commodita- "tem;" quum, si mens auctoris probe perspiciatur, et res ipsa declaretur, non tanti est, ut de *dictione* ipsâ solicitiores simus.

Ver. 425. *Quâ tenus:* i. e. Quâ *viâ* tenus; "usque ad quam rem, mortalita- "tem scilicet, nihil discrepant animus et "anima." Cornelius Fronto, in veterum grammaticorum corpore: "*Quatenus*, quâ "fine; Quatinus, quoniam:" ineptiens, cum aliis, dum voces diversas effictum eunt. Ea vocalis literæ mutatio in *Quatinus* ex solenni ortum habuit in compositis, postquam per pravam consuetudinem duo vocabula coaluissent.

Cæterum, uti in superioribus alicubi monuimus, hanc notionem de animi et animæ conjunctione atque unitate a Democrito, cum aliis disciplinæ suæ principiis, excepit Epicurus. Stobæus, ecl. phys. i. p. 93. sic scribendus: Πυθαγορας, Αναξαγορας, Πλατων, Ξενοκρατης, Κλεανθης, θυραθεν εισκρινεσθαι τον νουν· Παρμενιδης, και Εμπεδοκλης, και Δημοκριτος, ταὐτον ΝΟΥΝ και ΨΥΧΗΝ. Vulgo, νους και ψυχη: quæ, quo modo stare possint, nullus video.

Ver. 426. *tenuem* abest Vind. Mox Π. *que* exhibet, pro *esse.*

Ver. 428. *est* invenitur in Π. solo ad finem versûs; ut in vulgaribus editionibus: omnino insulsissime.

Ver. 429. Hæc autem conclusio, de tenuibus animi primordiis, *potestatem* potius argumentorum præcedentium respicit, prout exhibentur a ver. 178. ad ver. 231. quam *verba.*

Ver. 431. *moventur:* sic P. V. ed. B. L. M. Δ. Ω. vulgo, *movetur.* Locutionem, opinor, ideo poëtæ variare visum est, ne lector interea oblivisceretur eum de utrisque, tam *animo* quam *animâ*, sub uno nomine comprehensis, verba facere: redi ad ver. 422. Nam incredibile est scribas mutatum ituros τo *movetur*, si in membranis illud suis invenissent.

Ver. 432. *alta altaria.* Haud aliter Virgilius, geo. iii. 533.

———— ductos *alta* ad *donaria* currus:

Exhalare vapore altaria, ferreque fumum:
Nam procul hæc dubio nobis simulacra genuntur:
Nunc igitur, quoniam, quassatis undique vasis,
Diffluere humorem, et laticem discedere, cernis;
Et nebula, ac fumus, quoniam discedit in auras;
Crede animam quoque diffundi, multoque perire
Ocyus, ac citius dissolvi in corpora prima,
Quom semel ex hominis membris, ablata, recessit.

confer ibid. ver. 486. Hinc pervideas proprietatem vocis *ἀνελθόντες*, *adscendentes*, apud Ælianum, var. hist. iii. 37. et emacules Ovidium, epist. xxi. 95.

Sedula me nutrix *altas* quoque ducit in *ædes*.

Vulgo, *alias:* quæ voces confusæ sunt etiam ad Livium, xxxvii. 16. 7. ubi consulas Drakenborchium. Atque, ut noster, *in somnis sopiti*, idem Maro, Æn. i. 680.

Hunc ego, *sopitum somno*—;

et Valerius Maximus, ix. 2. ext. 6. *somno sopiti:* ut Phædrus etiam, iii. 10. 31. cum Cornelio Nepote, x. 2. fin. Hyginus, poët. astron. ii. 8.—" quem Nemesis, non " adspernata, *amplexu* tenens, *somno* est " *consopita*." Sic scribendum cum codice, non *amplexum*.

Ver. 433. *Exhalare vapore*. Ita scilicet intransitivis gaudet Lucretius: alius dixisset poëta, *Exhalare vaporem;* et, nisi consuetudinem poëtæ, quem expolio, probe callerem, libenter putavissem incuriosos librariorum oculos lineolam transversam, *vaporē*, non assecutos: sed nihil novandum censeo. Similiter Vegetius, art. vet. iii. 70. 3.—" et, cum bene agitaveris, " claudes; ne odor herbæ salutaris *exha-* " *let*." Vide nos ad i. 398. 787. 1090. Virg. geo. iv. 109. Æn. i. 417.

Ver. 434. *hæc.* Lego, *hinc:* i. e. ex imaginibus. Bentleius.

Certe sic dilucidior locus evaderet; sed emendationem, haud prorsus necessariam, contra libros recipere non placet.

Ibid. *genuntur*. Hæc est Lambini restitutio, pro *geruntur:* quæ lectio cuncta exemplaria occupavit; sed ægre dixeris, vel si sis morosior, huic loco convenire. Vir egregius scilicet, et de Latinis literis meritissimus, passim reponebat hanc vocem; sed usque ad hoc tempus conatus ei infeliciter, nobis saltem judicibus, cessere. Arnobius, lib. iv. p. 141. " His in " lucem prodeunt generationibus dii ves- " tri, quibus asini, porci, canes, quibus " immunda hæc omnis conceptatur, et " *genitur*, terrenarum proluvies bestia- " rum?" Priscianus, lib. x. p. 898. " Gigno, genui, pro quo, *geno* vetustissimi " protulisse inveniuntur. Varro in An- " dabatâ. Sed quod hæc loca aliquid *ge-* " *nunt*. Cujus infinitum passivum Lu- " cretius in iv. (iii. 798.) protulit *geni:*

———— " tanto magis inficiandum
" Totum posse extra corpus durare, *genique*."

Sed hic Hylas jam multis est cantatus: consulat igitur lector lexica vulgaria, Victorium ad Varron. de re rust. i. 31. 4. indices in eundem Varronem, cum Gronovio ad Gellium, iii. 16. Hesselius, in fragmentis Ennianis, hac voce Ennium donavit, sed suo periculo, atque contra meos saltem libros.

Ver. 435. *quassatis:* i. e. disruptis; sed sensu secundario et consequente: " ita " *concussis* scilicet, ut *diffringantur*." Nonius, iv. 59. " *Quassum* est convulsum, " et *non integrum*. Virg. Æn. lib. iv. (ver. " 53.) *Quassatæ*que rates."

Laceræ nempe, et aliquâ tenus *fractæ*. Accurate igitur *vas quassatum*, id est " quod *rimis fatiscit*, et proximum est " fracturæ, adeo ut liquor per spiramenta " effluat." Plinii locus est, in nat. hist.

Quippe et enim, corpus, quod vas quasi constitit ejus,
Quam cohibere nequit, conquassatum ex aliquâ re,
Ac rarefactum, detracto sanguine venis,

x. 14. Lucretio illustrando appositissimus: "Cornices et alio pabulo: ut quæ duritiam nucis, rostro repugnantem, volantes in altum, in saxa tegulasve jaciunt iterum ac sæpius, donec *quassatum perfringere* valeant." E contrario, Græci dicunt *συντρίβειν*, *confringere*, pro *quatere* simpliciter: vide nos, Silv. Crit. i. p. 156. v. p. 57. Apposite glossæ veteres: "*Quassus*, ΚΑΤΕΑΓΩΣ."—Cæterum, vox *quoniam* deest V. ed.

Ver. 436. *Diffluere:* prisci codd. Pii, *Diffugere;* non male: diversæ tamen rationis est locus in vi. 230. ne quis cum hoc committat.

Ibid. *discedere:* i. e. "diverse cedere," in omnes partes: mallem tamen in hoc loco, si vetusta exemplaria favissent, nec minus ob *τὸ discedit* statim veniens, *decedere:* i. e. simpliciter "de loco suo cedere," *abire*. Has dictiones sæpissime confundi norunt omnes: vide ad ver. 16.

Ver. 437. *fumus discedit in auras:* i. e. fugit diversus, uti Virgilius ipse nobis vocabulum exposuit, ad geo. iv. 499.

Dixit: et ex oculis subito, ceu *fumus in auras*
Commixtus tenuis, *fugit diversa*.

Ad utrum vero substantivum duorum, *fumus* et *auras*, debeat referri *tenuis*, dicant velim alii.—Cæterum, M. *discedat*.

Ver. 438. *Crede:* M. *Crede o;* Π. *Credere*.

Ibid. *animam diffundi.* Mantuanus, Æn. x. fin.

Undantique, *animam diffundit*, in arma cruore.

Ita locus interpungendus.

Ver. 439. Restitui *in*, quod facile poterat effugisse, vetustissimo codice M. jubente. Noster, i. 217. sponsor nobis est:

Huc adcedit, utei quidque *in sua corpora* rursum
Dissolvat natura:

conferas Virgilium, geo. iv. 225. Extra dubium jacet res.—*ac:* sic P. V. ed. vulgo, *et*.

Ibid. *Ocyus ac citius.* Quemadmodum Juvenalis, xiv. 31.

Sic Natura jubet: *velocius* et *citius* nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica—.

Ver. 440. *ex hominis:* sic codices longe castissimi et antiquissimi, L. M. suilli tamen editores glandibus vesci maluere; ad hanc normam vulgo versum exhibentes:

Quom semel *omnibus e* membris ablata recessit.

ex omnibus: Vind. V. ed. Π. Σ. cæteri, *omnibus ex*, vel *e:* in quibus nasuti transpositionem agnoscent, gratiâ metri factam, atque meræ librariorum importunitati adscribendam: quod enim crepant nonnulli de primâ syllabâ vocis *omnibus* in Lucretio corripiendâ, impendio puerile est. Jam vero *hominis* et *omnibus*, ob compendium scripturæ in membranis, facile invicem commutari, nemo nescit, qui libros scriptos usu triverit: vide Drakenborchium, ad Liv. i. 32. 13. et Suetonium, viii. 8. init. Hinc facillime emendem Minucium Felicem, sect. 20. quem viri docti varie tentavere: "Quid illas aniles fabulas, de hominibus aves et feras *omnes; etiam* de hominibus arbores atque flores?" Vulgo, *homines et*. De confusis autem *et* atque *etiam*, ubertim idem Drakenborchius egit, ad Liv. xxii. 47. 9.

Ibid. *recessit:* ut de eâdem animâ Virgilius, Æn. iv. ad finem:

——— atque in ventos *vita recessit*.

Ver. 441. *corpus vas:* ut S. Petrus, 1 epist. iii. 7. ὡς ἀσθενεστέρῳ, ΣΚΕΥΕΙ τῷ γυναικείῳ ἀπονέμοντες τιμήν. Adeas autem, si libeat, quæ in hanc rem uberiora dedimus, ad Silv. Crit. v. pp. 135. 136. et, si alia placeant, haud aliena, quæ contulerint interpretes ad Petronium, cap. xxiv.

Ver. 442. *Quam:* vulgo, *Cum*, vel *Quom;* sed hæc lectio ed. Basil. anni

Aëre quî credis posse hanc cohiberier ullo?
Corpore quî nostro rarus magis incohibessit?
Præterea, gigni pariter cum corpore, ut unâ

1531. Junt. et Ald. secundæ, Pio etiam in notis memorata, longe elegantior est. Ordo ac sensus sunt: "Quî credas hanc "*animam*, quam corpus conquassatum "nequit cohibere, aëre *tenuissimo* posse "cohiberi?" Quæ constructio planior est, atque expeditior.

Ibid. *conquassatum corpus*. Similiter Suetonius, de Augusto, gravibus valetudinibus tentato, cap. lxxxi. "Quâ re, *quas-"sato corpore*, neque frigora neque æstus "facile tolerabat." Neque non facit ad rem nostram Cicero, Tusc. dispp. iv. 13. "Itaque, illa duo, morbus et ægrotatio, "ex totius valetudinis *corporis conquas-"satione*, et perturbatione, gignuntur." Porro, notandum est regimen in Lucretio, "conquassatum *ex* re;" neutiquam, ut arbitror, protritum. Sic Arnobius, lib. i. p. 22.—"in incudibus deos, et *ex mal-"leis, factos*."—Denique, Π. *quassatum*, pro *conquassatum*.

Ver. 443. *Ac rarefactum:* V. ed. *Ara-re factum*. Lucretius forte an scripserit, *Atque arefactum:* quod foret in exquisitissimis Athenarum ipsarum venustatibus. Quid velim, plenius lector persentiscet, cum animadversiones meas in Sophoclis Philoct. 954. animo ponderaverit.

Ver. 444. *credis:* ita M. et usitatius est: reliqui, *credas*.—*hanc:* Π. *ac*.

Ver. 445. *incohibessit:* i. e. *in* se *cohibeat*, vel contineat. Hæc autem lectio, facilis atque luculenta, exemplarium est omnium scriptura; si Δ. excipias, in quo scriptum est, *incohibescat:* nam diversitas scripturæ in quibusdam, *incohibescit*, vitiosæ est pronunciationi jure imputanda. Editores sequuntur Lambinum, reponentem scilicet, *am cohibessit;* antiquius pro *eam:* sed hoc est potius reconditioris doctrinæ nomen affectare, quam probos auctores ad sinceras membranas castigatos edere.—Cæterum, pro *rarus*, Π. *varius*.

Ibid. *incohibessit:* est antiquarium, pro *incohibeat*. Cato, de re rust. cxli. 2.—"uti "tu morbos visos invisosque,—calamita-"tes, intemperiasque, *prohibessis*, defen-"das, averruncesque!" Plautus, Aulul. iv. 2. 4.

—— verum id te quæso, ut *prohibessis*, Fides!

Idem, in Pseud. i. 1. 12.

Ca. Misere miser sum, Pseudole! Ps. Id te Jupiter
Prohibessit!

Ultima vox legitur etiam in legibus veteribus Romanorum.

Ver. 446. *gigni cum corpore:* αυξανομενε τε σωματος, συναυξονται φρενες· γηρασκοντος δε, συγγηρασκεσι, και εις τα πραγματα παντα αμβλυνονται. Democritus.—Bentleius.

Porro, *ut* mihi oblatum est a Veronensi; alii, *et:* sed argumenti scopus nostram lectionem flagitat; nam concludere vult poëta ex notis ad ignotum. Et *sentimus*, qui mos est poëtis, prius sententiæ membrum non pariter attingit. Intentior animi injectus rem lectoribus clarabit, me interea tacente. Confer verr. 456—460. Et venustus lector libenter videbit quâ elegantiâ variaverit hos versus Lucretianos Prudentii ingenium, contra Sym. ii. 315.

———— tardis semper processibus aucta,
Crescit vita hominis, et longo proficit usu.
Sic ævi mortalis habet se mobilis ordo,
Sic variat natura vices. Infantia repit;
Infirmus titubat pueri gressusque, animusque;
Sanguine præcalido fervet nervosa juventa;
Mox stabilita venit maturi roboris ætas;
Ultima, consiliis melior, sed viribus ægra,
Corpore succumbit, mentem purgata, senectus.

Ibid. Loco, quem Bentleius posuit, similes leguntur etiam apud Eustathium, in Hom. Od. lib. Β. p. 98, 32. ed. Basil.

Ver. 447. Hæc Arnobius respexit, lib. ii. p. 47. qui breviter complexus est dispersa super hac re Lucretii argumenta, et

Crescere sentimus, pariterque senescere, mentem.
Nam, velut infirmo puerei, teneroque, vagantur
Corpore, sic animi sequitur sententia tenuis:
Inde, ubi robustis adolevit viribus ætas,
Consilium quoque majus, et auctior est animi vis:
Post, ubi jam validis quassatum est viribus ævi
Corpus, et obtusis ceciderunt viribus artus;

in uno fasciculo colligavit: "Ipse denique animus, qui immortalis a vobis et deus esse narratur, cur in ægris æger sit, in infantibus stolidus, in senectute defessus, *delirat*, *fatuus est*, *insanit?*" Sic fortasse castigandum: nam libri dant, *delira*, *et fatua*, *et insana;* quæ nullam tolerabilem constructionem admittere videntur. *Insanit* autem *ægrum animum* respicit; *fatuus* rursum, *infantem;* et *delirat* denique, *senilem*. Bentleius, quem serus animadverterim Arnobiani loci memorem, ad ver. 465. emendandum dicit, *delira fatur*, *et insana;* vel *insanit*. Lectores litem dirimant. Egomet cum Bentleiano acumine digladiari nolo. *Non ita certandi cupidus*. Insuper, sententiam illustrabunt etiam ea, quæ doctissimi animadversores dudum in Arnobii locum contulerunt.

Ver. 448. *tenero:* Vind. V. ed. Π. Σ. *tenere:* volentes, opinor, *temere;* sed falleciter, plus uno nomine.

Ver. 449. *tenuis:* P. *tempus;* haud absurde: nostræ tamen lectionis in notis mentionem facit; V. ed. Π. *tenus:* Interea, lector! versus legimus undequaque præcellentes; luculentissimis verbis et numeris facillimis feliciter elaboratos. Opportunus etiam accedet, ut qui maxime, D. Paulus, 1 Cor. xiii. 11.—*ότε ημην νηπιος, ὡς νηπιος ελαλȣν, ὡς νηπιος εφρονȣν, ὡς νηπιος ελογιζομην· ότε δε γεγονα ανηρ, κατηργηκα τα τȣ νηπιȣ.* Ubi mentem apostoli breviter et eleganter declaravit summus Grotius.

Ver. 450. Hinc effinxit Virgilius venustissimos versus suos, in geo. ii. 362.

Ac, dum prima novis *adolescit frondibus ætas*,
Parcendum *teneris* —:
Inde, *ubi*, *jam validis* amplexæ stirpibus ulmos,
Exierint, tum stringe comas—.

Ver. 451. *auctior:* Vind. V. ed. Δ. *auctor*.

Ibid. *animi vis*. Virgilius, Æn. x. 898.

——— Ubi nunc Mezentius acer, et illa
Effera *vis animi?*

Ver. 452. *quassatum est Corpus*. Hoc verbum pulchre lectorem recordari facit similitudinis in ver. 442. quâ nulla aptior argumento poëtæ commendando inveniri poterat. Ammianus Marcellinus, xiv. 5. —"ægrum *corpus quassari* etiam levibus solet offensis—."

Ver. 453. *obtusis viribus*. Verbum præteriit, sed arripuit metaphoram, Virgilius, Æn. vi. 732.

Terrenique *hebetant* artus—.

Ibid. *ceciderunt artus:* "a recto statu suo in terram declinantes." Sed, veniâ poëtarum usus, dictionem fortiorem posuit. Hinc ad *animum* Persius rem venuste transtulit, sat. ii. 61.

O *curvæ in terris* animæ, et cœlestium inanes!

In terris, ut *in terras;* vide nos ad i. 250. hic tamen magis probem *in terras*, uti legitur in nonnullis exemplaribus: nam pulchre alludit locus ad illam naturæ institutionem, Ovidio expositam, in met. i. 84. quam hoc genus homunciones invertissent:

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Ver. 454. *delirat:* V. ed. *delira.*—*linguaque, mensque:* L. *linguaque mens;* M.

Claudicat ingenium, delirat linguaque, mensque:
Omnia deficiunt, atque unò tempore desunt.
Ergo dissolvi quoque convenit omnem animaï
Naturam, ceu fumus in altas aëris auras;
Quandoquidem gigni pariter, pariterque videmus
Crescere; et, ut docui, simul, ævo fessa, fatisci.
Huc adcedit, utei videamus, corpus ut ipsum

lingua, madet mens; sed non dubitem, hoc esse correctoris, ad modulum ver. 478. hunc quoque concinnantis, nullo cum judicio tamen: nam phrasis, *madet mens,* quæ illic longe elegantissima, hic prorsus intempestiva est, omnisque proprietatis expers.

Ibid. *Claudicat ingenium, delirat lingua.* Metaphoræ sunt speciosissimæ, a senili corpore desumptæ; cujus *vacillat* pes, et gressus a *recto tramite* deflectit. Nonius Marcellus, i. 62. "*Delirare* est "*de recto recedere. Lira* autem est fossa "recta, quæ contra agros tuendos duci- "tur, et in quam uligo terræ decurrat." De radice *lira,* videndi sunt etiam rei rusticæ scriptores. Glossarii veteris confectores falluntur, ut arbitror; qui existimant, aliquid commune huic verbo et Græcorum ληρειν interesse. Terentius, Adelph. iv. 7. 43. *senex delirans:* ubi fuerit operæ pretium, Westerhovii, qui mea occupavit, notam inspexisse; et qui Lucretii insuper non oblitus est. Jam vero, si his vocabulis, *claudicat deliratque,* το absonum *madet* immisceas, oleum aquæ scilicet, omnia statim disconveniunt, atque misere conturbantur; adeo ut lepidior quivis juret, vel centum codicibus reclamantibus, nihil hujuscemodi a Lucretii manu profectum esse: et mireris Havercampum testimonio unius libri tam faciliter subscripsisse. Sed nimirum illud Venusinum apprime verum est, et criticis, qui in rebus aleæ periculosæ plenissimis versantur, memori pectore nunquam non tractandum, ut posterorum indulgentiam suâ simili in priores indulgentiâ vicissim mereantur:

Quid quisque vitet, numquam homini satis
Cautum est in horas.

Ver. 455. *tempore:* Π. *corpore:* vide i. 1104.

Ver. 456. *quoque;* P. *sic,* qui dicit tamen in notis legi etiam, *quoque;* O. Δ. *jam;* deest omnino Vind. V. ed. Π. Σ. et fortasse, quod nunc habemus, supplementum est librariorum, codicibus ab ultimâ antiquitate deficientibus.

Ver. 457. *fumus in altas.* Lego:

—— ceu *fumum* in *apertas* aëris auras.

A compendio scripturæ *aptas* factum est *altas:* confer verr. 507. 603. vi. 817. Vel:

—— ceu *somnium* in altas aëris auras.

Homerus:

—— επει κε πρωτα λιπῃ λευκ' οστεα θυμος,
Ψυχη, ηΰτ' ονειρος, αποπταμενη πεποτηται.

Chorus Troadum:

—— ut calidis *fumus* ab ignibus
Vanescit spatium per breve sordidus;
Sic hic, quo regimur, spiritus effluet:

ut Virg. geo. iv. 499. Sextus, p. 321. και εχ, ὡς ελεγεν Επικουρος, απολυθεισαι των σωματων (αἱ ψυχαι), καπνε δικην, σκιδνανται. Homerus:

—— ψυχη δ', ηΰτε καπνος,
Ωχετο τετριγυια——.

BENTLEIUS:

cujus emendationes pro suavibus ingenii lusibus sunt habendæ, et ab ipso sane in progressu suo sponte refutantur.

Ibid. *in:* O. *it in;* Ω. *it.*—*aëris:* L. M. Ω. *acris;* ut alibi peccatum est.

Ver. 458. Eodem navigat Novatianus, de reg. fid. cap. iv. "Nam et incrementa

Subscipere inmaneis morbos, durumque laborem;
Sic animum curas acreis, luctumque, metumque:
Quâ re participem leti quoque convenit esse.
Quin etiam, morbis in corporis avius errat
Sæpe animus; dementit enim, deliraque fatur:

" originem monstrant, et detrimenta mor-
" tem atque interitum probant—."

Ver. 459. *ut* abest Vind. V. ed. Π. Ω. Excidit nempe ob similitudinem præcedentis *et*.—*fatisci:* sic P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. *faetis* autem L. M. In margine M. scribitur *fatiscit*, ut in Q. cujus lectionis Pius etiam recordatus est in notis: sed minus elegans videtur, quum simplicitatem constructionis turbet. Recte igitur Pius et Havercampus, *fatisci;* rationem structuræ, ni fallor, interea nescientes. *Fessa* scilicet est casus quartus pluralis numeri, utramque vocem conjuncte respiciens, *animam* ac *corpus:* videas me ad i. 889. Ad eundem fere modum se Catullus gessit, ad lxiv. 298.

> *Hæc* circum sedes, late *contexta*, locavit.

Nam nomina, quæ præcesserint, *arbores* tantum sunt, feminini generis.

Ibid. *ævo fessa fatisci:* i. e. " vi temporis, viribus exhausta, et labefactata, " quasi rimas agere:" nam translata est, opinor, oratio ab ædificiis, ævi dente corruptis atque corruentibus: confer nostrum, ad v. 308. et cognosce vanitatem emendationis, Fabro cogitatæ, *fissa fatisci:* in quam tamen, ut verum fatear, egomet ad hunc versum sponte incideram; quasi verbis inscite consociatis Lucretius uteretur: sed statim me pœnituit, Prisciani judicio, summe improbando, ad gramm. lib. viii. p. 825. deceptum. Nimirum, Nonius Marcellus, iv. 197. probe docuit *fatiscere* esse *aperire:* i. e. in fissuras solvi. Atqui Virgilius adsit, geo. i. 180.

> ——————— cretâ *solidanda* tenaci,
> Ne subeant herbæ, neu pulvere victa *fatiscat:*

i. e. putrescat, aperiatur, rimas agat, vel *solvatur*, ut Servius. Nec minore cum proprietate poëta summus vocem adhibuit, ad geo. ii. 249. Æn. i. 123. (ubi Servii expositio, " *Hiscere* autem *aperire;*" dictione in absoluto sensu, sicut Nonius l. c. usi, nullo modo correctionis indiget) et ix. 809. ubi veram vocabuli potestatem pulchre pervidit et enarravit Heynii elegantia. Hinc Plinius, nat. hist. xvii. 11. init. *defatiscentes* arbores opposuit *firmitati* arborum. Glossas veteres in transitu corrigam: " *Fatisco*, ἀποτέμνω." Lege, ΑΠΟΚΑΜΝΩ: sed infinitus essem, si plura vellem persequi, vel in auctoribus super hac voce explicandis, vel notandis permultis erroribus commentatorum.

Ibid. *fatisci:* ut similiter de *corpore* Prudentius, cathem. vi. 149.

> *Corpus* licet *fatiscens*
> Jaceat recline paullùm,
> Christum tamen sub ipso
> Meditabimur sopore.

Conferas præterea Statium, ad Theb. xii. 140.

Ver. 460. *videamus:* V. ed. Π. *videmus.* —*ut:* P. *id;* Π. *et:* quam varietatem peperit ignorata constructio verborum, nobismetipsis ad veras grammaticas rationes primis nunc evolvenda: " Huc accedit, " uti videamus animum suscipere curas " sic, ut *videmus* corpus ipsum morbos."

Ver. 461. *laborem:* sic P. V. ed. O. soli; Vind. Q. Δ. Π. Σ. Ω. *dolorem;* ex interpretatione scilicet: vide nos supra, ad ver. 367. cæteri, Havercampo referente, *pavorem.* Aliter, *suscipere dolorem* probum est, ac venustum; ut Justinus, xii. i. 5. " Quibus varie affectus, *plus* tamen *lætitiæ*, cognitis mortibus duorum æmulorum regum, quam *doloris* amissi cum " Zopyrione exercitûs, suscepit." Ubi

Interdumque gravi lethargo fertur in altum
Æternumque soporem, oculis, nutuque cadenti:
Unde neque exaudit voces, nec noscere voltus
Illorum potis est, ad vitam quei revocantes
Circumstant, lacrumis rorantes ora, genasque.

sanissima sunt omnia, Scheffero non obstante.

Ibid. *durum laborem.* Maro, Æn. viii. 380. in versu plenissimo dignitatis:

Et *durum* Æneæ flevissem sæpe *laborem*:

i. e. infelicitatem, vel *ærumnas*.

Ver. 462. *curas acreis.* Virgilius, geo. iii. 538.

——————— *acrior* illum
Cura domat—.

Ver. 464. *Quin:* V. ed. *Quomodo;* volebat utique, *Quando;* quod cum *quin* passim confusum est, et plane scribitur in Π.—*corporis:* V. ed. *corporum.*—*errat:* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. *erret;* fortassis non male, si repetantur *videamus ut*, ex præcedentibus; nisi *corporum ut* lateat in lectione Veronensis. Interea, nihil temere mutandum est; nam veteres etiam *erreo* usurpavisse secundæ conjugationis, mihi nondum compertum est.

Ibid. *avius errat:* i. e. errat a viâ; ut Mantuanus, Æn. ii. 739.

Substitit, *erravit*ne *viâ*—.

Ver. 465. *animus:* V. ed. *animum.*—*dementit:* P. *dementia;* O. *dementa;* quasi vellet, *dementat:* sed *dementio* Tertullianus in apologetico semel usus est, Apuleius plus semel. Glossarium vetus: "*Dementio*, παραφρονῶ."—*delira:* V. ed. *delata;* Δ. *delita.*—*fatur:* Δ. *fatum.*

Ibid. *animus errat in morbis.* Cicero, Tusc. dispp. iii. 5.—"*animus*que *æger*, "ut ait Ennius, semper *errat*—."

Ver. 466. *altum soporem.* Maro, Æn. viii. 27.

Alituum pecudumque genus *sopor altus* habebat.

Græci βαθὺν ὕπνον vocitant, et aliquoties βαρύν· ut noster infra, ver. 1079. Utrumque epitheton sociavit Cicero de divin. i. 28. "Audivi equidem ex te ipso, sed "mihi sæpius noster Sallustius narravit, "(cum in illâ fugâ, nobis gloriosâ, pa"triæ calamitosâ, in villâ quâdam campi "Atinatis maneres, magnamque partem "noctis vigilasses) ad lucem denique *alte* "et *graviter* dormitare cœpisse te." Ita locus ordinandus est, ut vera constructio elucescat: ita insuper emendandus est, pro vulgatis "*arte* et graviter." Sæpissime vero codices MSS. in his vocibus turbare, Burmannus etiam docuit, ad Ovid. amor. ii. 2. 39. Drakenborchius, ad Liv. ix. 13. 11. et Oudendorpius, ad Sueton. vii. 11. p. 790. Interea, Davisius ingeniosissime reposuit *cœpisse te*, pro membranarum scripturâ, *cœpisset.*—Porro, *que* deest Ω. Forte an Carus noster scripserit:

Interdumque, *gravis* lethargo, fertur—.

Committas velim ver. 1079. Virgilium, geo. iii. 506. et Æn. ii. 436.

Ver. 467. *oculis:* V. ed. *oculi.*—*nutu:* M. *nutum;* P. O. Δ. *vultum;* haud dubie ex interpretatione. Erat, arbitror, cui locutio, *nutu cadenti*, quasi pueriliter tautologa, displiceret: sed injuriâ displicebat; nam non minus probe dicitur ἀνανεύειν, *nutu sursum facio* aliquid significare, quam κατανεύειν, *nutu deorsum.* Ponitur insuper *nutus* generaliter, pro *capite*, per quod fit nutus. Denique, Valerium Flaccum haud hæsitabundus affirmaveris Lucretii nostri memorem fuisse, ad Argon. vi. 382.

Queis, gravior, *nutuque cadens*, exterruit Idam.

Bentleius tamen probavit *vultu*, et provocavit ad verr. 594. 655. v. 839. Nollem factum; nam *vultus* statim venit.

Ibid. *Æternum soporem:* qualem Ho-

Quâ re animum quoque dissolvi fateare, necesse est;
Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi.
Nam, dolor ac morbus, leti fabricator uterque est:
Multorum exitio perdoctei quod sumus ante.
Denique, cor hominum quom vini vis penetravit
Acris, et in venas discessit diditus ardor;

merus nuncupat ὑπνον απειρονα· et Moschus,

——— μαλα μακρον, ατερμονα, νηγρετον, ὑπνον·

Horatius denique, *perpetuum soporem*.

Ver. 468. *neque:* Δ. *nec.—nec:* ita P. V. ed. M. Δ. Σ. Ω. vulgo, *neque*.

Ibid. *exaudit voces revocantes*. Ita Virgilius, ad Æn. iv. 460.

> Hinc *exaudiri voces* et verba *vocantis*
> Visa viri——.

Ver. 471. *fateare* abest V. ed. Dant *fatere*, L. M.

Ver. 473. Nempe hoc dicit Lucretius: "Eadem experientia, per quam discimus, animum non minus tentari atque affligi doloribus, quam morbis corpus ostendit insuper ex his caussis corpus interire: ideo consequitur, animum æque interire, suâ ægritudine pariter confectum." Arnobius, lib. ii. p. 52. "Quis autem hominum non videt, quod sit immortale, quod simplex, nullum posse dolorem admittere? quod autem sentiat dolorem, immortalitatem habere non posse?"

Ver. 474. *quod:* Vind. *que;* forte, *quæ:* V. ed. Π. *quam;* forte, *quom* volebant.

Ver. 475. *cor hominum:* ita exhibent P. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. Cæteri, ut vulgares editiones, *cur hominis;* sed nostra lectio multum antecellit, neque inscitiam librariorum sapit.—*vini:* P. *viri;* codices autem ejus, *vini,* recte: V. ed. *vim; ni* literis sic male exhibitis, ut solent, ob similes elementorum ductus.

Ibid. *cor hominum vini vis penetravit*. Non temere dixeris Homerum in oculis poëtæ nostro fuisse, Od. ι. 362.

> ——— Κυκλωπα περι ΦΡΕΝΑΣ ηλυθε ΟΙΝΟΣ.

Similiter Alcæus in Macrobii Sat. vii. 15.

> ΟΙΝῼ ΠΝΕΥΜΟΝΑ τεγγε.

Eupolis ibidem, quem sic constituas:

> Πινειν γαρ ΑΝΔΡ' ὁ Πρωταγορας εκελευ', ἱνα
> Προ του κυνος τον ΠΝΕΥΜΟΝ' εκλυτον φορῃ.

Neque aliter Eratosthenes:

> Και βαθυν ΑΚΡΗΤῼ ΠΝΕΥΜΟΝΑ τεγγομενος.

Euripides denique in eodem capite:

> ΟΙΝΟΣ περασας ΠΝΕΥΜΟΝΩΝ διαρροας.

Vel, si grammatici de Atticismis audiendi sint, πλευμονων. Accedat insuper Ovidius, met. xii. 220. poëtarum lepidissimus:

> ——— quam *vino pectus,* quam virgine visâ,
> Ardet——:

atque iterum in remed. amor. 806.

> Et stupeant multo *corda* sepulta *mero*.

sic etiam fast. ii. 732.

> Et fervent multo linguaque *cor*que *mero*.

Ac Psalmus civ. 15. denique, ex versione LXX. virali: ΟΙΝΟΣ ευφραινει ΚΑΡΔΙΑΝ ΑΝΘΡΩΠΟΥ.

Porro, fortasse scrupulus de metri sinceritate, grammaticis injectus, varietatem *cur hominem* in Lucretii contextu peperit; sed, ne nos eâdem de caussâ torqueamur, vetat quâ versus Ovidii celeberrimus, epist. xv. 79. quem tamen modis omnibus ingenia criticorum vexavere, quâ *cor* vocabuli Græcum etymon, κηρ scilicet; quod non contempsisse, doctissimum poëtam, castissimumque, pulchre decuit.

Ver. 476. *diditus:* Vind. V. ed. B. O. Π. Σ. Ω. *deditus;* facili errore, atque usitato: redeas ad ver. 246. hujusce libri.

Consequitur gravitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,
Nant oculei; clamor, singultus, jurgia, gliscunt;
Et jam cætera de genere hoc, quæquomque sequuntur:
Quur ea sunt, nisi quod vehemens violentia viri
Conturbare animam consuevit corpore in ipso?

Ibid. *in venas:* ut Virgilius, ecl. vi. 15.

Inflatum hesterno *venas*, ut semper, *Iaccho*.

Ver. 477. *præpediuntur:* O. *perpetiuntur;* Δ. *præpetiuntur;* qui primus gradus est corruptelæ.

Ibid. *gravitas:* quasi *pondus* illis accesserit, quo tardatur motus. Sed virtutem dictionis melius Naso declarabit, met. ii. 819.

——————————— at illi,
Surgere conanti, partes, quascumque sedendo
Flectimur, ignavâ nequeunt gravitate moveri.

Ver. 478. *tardescit:* Π. *tabescit.*

Ibid. *vacillanti.* Fabius, instt. orat. viii. 3. ex Cicerone:—" *quosdam ex vino vacillantes*—:" Scriptores autem codicum Δ. Π. ita puncta loci disposuerunt:

——————————— præpediuntur
Crura; vacillanti tardescit lingua——:

non illepide; nam lexicographi ex digest. xxii. 5. proferunt *vacillans testis*, pro *blæsus testis*. Pulchram igitur hac lege societatem verba *tardescit vacillantique* inierint; significantia non *tarde* solummodo, sed *singultim* etiam, loquentem. Nolui tamen planiorem viam atque tritiorem quidem linquere.

Ibid. *madet mens:* i. e. τεγγεται ὁ νους, et non *corpus* tantum. Suetonius, v. 33. de Claudio: "Nec temere umquam triclinio abscessit, nisi distentus (i. e. cibo) ac *madens*" (i. e. *vino*). Sic Plautus, Pseud. v. 2. 7. Statius, silv. iii. 1. 41. Sed *madidus* pro *ebrius*, ut vicissim *siccus* pro *sobrius*, pervagata sunt, et ne pueris quidem ignota. Eleganter Martialis, i. 40. 3.

Si quis Cecropiæ *madidus* Latiæque Minervæ
Artibus, et verâ simplicitate bonus—:

i. e. quasi Musarum fontibus irrigatus. Nec minus eleganter mox noster, ver. 1064. *ebrius curis:* ut εσσενημενος aliquis et κεκαρωμενος· curis eum divexantibus, atque caput circumsalientibus, usque ad vertiginem incutiendam.

Ver. 479. *Nant oculei:* i. e. "præ caligine ita trepidant, et instabiles sunt, "ut omnia nare videantur;" quo modo fit quoque morientibus. Sic Virgilius, geo. iv. 496.

Fata vocant, conditque *natantia lumina* somnus:

vel in gravem somnum delabentibus; ut idem de Palinuro, Æn. v. 856.

——— cunctantique *natantia lumina* solvit.

"*Errantia*, somni vicinitate:" Servius. *Solvit* autem, de quo Burmannus non leviter cruciatur, ideo dicit, quod Somnus, languore ac lassitudine injectis, ita *laxaret* palpebras, ut orbi pupulæque superinducerentur, et visum obsignarent.—Cæterum, apposita sunt ea Lyconis, de homine crapulâ gravedinoso, apud Rutilium Lupum, de figg. sent. et eloc. ii. 7.—"*oculis mero marcidis, humore obcæcatis*, "visco gravidis, lucem constanter intueri "non potest." Sic verissime et sagacissime Ruhnkenius emendavit, pro "mero "*madidis*." Illustrat etiam Lucretium in primis Clemens Alexandrinus, pædag. ii. p. 180. Οινῳ δε αμετρῳ, ἡ μεν γλωττα παραποδιζεται, παρειται δε τα χειλη, οφθαλμοι δε παρατρεπονται, οιον κολυμβωσης της οψεως ὑπο του πληθους της ὑγροτητος. Hunc locum, quo nihil accommodatius optari potest, doctissimo in Lupum animadversori debeo, qui videndus est ad locum.

Ver. 480. *sequuntur:* P. V. ed. B. *sequantur.*

At, quæquomque queunt conturbari, inque pediri,
Significant, paullo si durior insinuarit
Caussa, fore ut pereant, ævo privata futuro.
Quin etiam, subito, vi morbi sæpe coactus,
Ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu,
Concidit, et spumas agit; ingemit, et tremit artus;

Ver. 481. *Quur ea sunt:* L. M. *Curbascunt;* Δ. *Curvascunt;* i. e. ad amussim, *delirant;* vide nos, ad ver. 454. *Curvesco,* et *incurvesco,* jam nota sunt, atque in lexicis condita. Sane veri similitudinem præ se fert hæc lectio, quum supra captum librariorum assurgere videatur; verum tamen paullo impeditior hinc fit constructio, quæ cum nostrâ scripturâ simplicissima est: nec facile dijudices, utrum probabilius sit, in dictionem exquisitissimam scribas tantum non incidisse, an emendationem summopere elegantem, qualis certe foret *Cur ea sunt,* ex *Curbascunt,* eos suo Marte excudisse. Obstat interea aliquantulum τῳ *Curvascunt,* quod altum sit de eo silentium in reliquiis veterum grammaticorum. Hoc etiam adjiciendum est; si pro genuinâ manu Lucretii ista vox habebitur, omnino legendum erit in ver. 475. *quur hominem:* quæ tamen lectio, meâ opinione, sensum magis vulgarem sapit, et præ admissâ in contextum valde sordet. Suus autem gustus unicuique concedendus est, et me exspectant insequentia.—*viri:* sic P. solus; V. ed. *vivi;* reliqui omnes, *vini.* Sed speciosissimam rapio varietatem lætissimus; in quâ Lucretianam indolem statim agnosces, perlectis animadversionibus meis in ii. 852. Non erat nimirum somniculosorum scribarum tam feliciter aberrare. Conferas insuper inferius, ver. 500.

Ver. 482. *Conturbare:* V. ed. *Contrahere.*—*animam:* O. *animum.* Mox Π. *vique,* loco *inque;* per consuetam pronamque aberrationem.

Ver. 483. Similiter disputat Arnobius, lib. i. p. 11. " Ubi passio sita est, perturbationem consentaneum est consequi: ubi perturbatio est, ibi dolor et ægritudo est: ubi dolor et ægritudo est, imminutioni et corruptioni jam locus est: quæ duo si vexant, adest vicinus interitus, mors omnia finiens, et cunctis adimens sentientibus vitam." Quæ docte illustrata sunt Elmenhorstio, Lucretium interea non prætermittente.

Ver. 484. *insinuarit Caussa.* Similiter etiam Virgilius solitarie atque intransitive hoc verbum posuit, quemadmodum perpetuo gaudet in multis noster, ad Æn. ii. 229. Lucretium imitatus, ad v. 74. ubi notam inspice:

Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor—.

" Pro *insinuatur.* Clodius, scriba commentariorum: *Insinuem* intro eam penitus." Servius: ubi tamen ex diversis lectionibus rescribendum putem: "*Insinuo, et intro* eam, penitus."

Ver. 486. *Quin:* V. ed. Π. *Quando.*—*subito:* sic melius P. V. ed. B. L. M. Ω. ut redeat vox ad *concidit,* *αθροως καταπιπτει.* Vulgo, *subitâ.*
Porro, insignem hic habemus atque luculentam sane morbi comitialis descriptionem; de quâ nos nonnulla nuper dedimus, ad Silv. Crit. v. p. 55.

Ver. 487. *ut fulminis ictu:* *ὡς ἐμβεβροντημενος.* Rectius distinguam Ovidii locum, ad Liv. 11. qui, ut nunc editur, omnino *απροσδιονυσος* est, et menti poëtæ palam contradicit:

Scilicet exiguo percussa es *fulminis ictu,*
Fortior ut possis cladibus esse tuis?

i. e. " Hoccine audebit quisquam dicere?" —In sequente versu, vox *ingemit* deest Π. Cæterum, Hesychius, Εμβεβροντημενος·

Desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat
Inconstanter, et in jactando membra fatigat.
Nimirum, quâ vis morbi, distracta per artus,
Turbat agens animam, spumantis in æquore salso
Ventorum validis fervescunt viribus undæ.
Exprimitur porro gemitus, quia membra dolore

αναισθητος: quam vocem in hoc morbo designando Aretæus adhibuit, i. 5.—ΑΝΑΙΣΘΗΤΩΣ *μεν κειται ανθρωπος, χειρες δε οἱ σπασμῳ* ΞΥΝΕΧΟΝΤΑΙ. Sic conjeceram rescribendum esse pro vulgato *ξυνερχονται:* et postea, non sine voluptate, in variis lectionibus inveni.

Ver. 488. *Concidit—spumas—ingemit.* Virgilius hinc oculos aversos non habebat, ad geo. iii. 516.

> Ecce autem, duro fumans sub vomere, taurus
> Concidit; et, mixtum *spumis*, vomit ore cruorem;
> Extremosque ciet *gemitus*——.

Ibid. *spumas agit.* Idem, ibid. ver. 203.

> ———————— et *spumas aget* ore cruentas.

Ibid. *et tremit artus.* Ille rursus in eodem carmine, summo sane, atque omnium perfectissimo, Mantuanus, ver. 84.

> ———— micat auribus, *et tremit artus.*

Usque adeo ne verbum quidem Lucretii singulare cultissimo illi ingenio prætermittebatur inobservatum. Arnobius etiam huc videtur respexisse, lib. i. p. 11. quem sic constituam: "Et quid ergo sequitur "necessario, nisi ut ex eorum luminibus "scintillæ emicent, flammis æstuet anhe- "lum pectus, spuma jaciatur ex ore; et, "ex verbis ardentibus, labrorum siccitas "inalbescat!"

Ver. 489. *Desipit:* P. *Disipit;* V. ed. *Dissipit;* Π. *Descipit.—extentat:* Δ. *ostentat;* Σ. *extendat.*

Ibid. *extentat:* i. e. "ad plenum," vel ad ultimum, "*tentat;*" atque adeo, quod consequitur, *valde tendit.* Non aliter Plautus debet accipi, Bacch. iv. 23.

> Quæ te mala crux agitat, ad istunc qui modum
> Alieno vires tuas *extentes* ostio?
> Fores pene effregisti:

i. e. "omnes vires tuas experiaris," adeoque *proferas.* Sic idem etiam ad Most. iii. 1. 66. qui locus commentitias criticorum divinationes affatim evocavit:

> Quid tu, homo hominum omnium teterrime,
> Venisti huc *extentatum?*

i. e. cujusnam rei vis facere periculum tam fortiter et efficaciter?

Ver. 490. *in jactando;* Vind. *invalido.* An scribendum, *in volvendo?*

Ibid. *Inconstanter anhelat.* Ita voces connectendæ sunt; quod postea intellexi nec Preigero etiam displicuisse: i. e. "non uno tenore, sed identidem, et post "interjectum temporis, anhelat." Legitur autem in Fayi editione Parisiensi, *Incunctanter:* i. e. *Incontanter;* quod facile corrumpi poterat in vulgatam lectionem, uti Preigerus idem prior suspicabatur. Sed dubito, an *incontanter* aliud queat significare præter *confestim*, vel *sine morâ:* qui sensus non implet poëtæ mentem. Si pro *crebro* stare posset, in textum libenter recepissem. Virgilius, Æn. v. 199.

> ———————— tum *creber anhelitus* artus,
> Aridaque ora, quatit——.

Lucretianis autem lucem Celsus injiciet, de med. iii. 23. "Inter notissimos morbos "est etiam is, qui comitialis, vel major, "nominatur. Homo *subito concidit, ex* "*ore spumæ moventur:* deinde, interposi- "to tempore, (vide verr. 501. 504.) ad se "redit, et per seipsum consurgit.—Modo "cum *distentione* membrorum, aut *ner-* "*vorum*, prolabitur aliquis; modo sine "illâ."

Ver. 491. *quâ:* i. e. "*quâ viâ* morbus "utique se diversimode propaget; nunc

Adficiuntur; et omnino quod semina vocis
Eliciuntur, et ore foras glomerata feruntur,
Quâ quasi consuerunt, et sunt munita viaï.
Desipientia fit, quâ vis animi, atque animaï,

" hic, nunc illic, sæviens." Ita legitur in L. M. Ω. reliqui omnes, *quia*. De hac autem varietate, nos videas mox ad ver. 969.

Ver. 492. Ita mihi videor certissimis ex emendationibus versus vexatissimos sinceritati suæ restituisse; qui in vulgaribus editis scripti comparent hanc ad normam:

> Turbat agens *animum*, *spumans ut* in æquore salso
> Ventorum validis *fervescit* viribus *unda*.

Jam vero varietatem lectionum dispungamus.—*animam:* sic P. V. ed. Vind. O. Q. Ω. vulgo, *animum.*—*spumantis in:* V. ed. B. *spumatis in*, quæ re verâ est ipsissima nostra lectio; P. *spumanti ut in;* Vind. Δ. Π. Σ. *spumans in;* O. Ω. *spumantes:* L. M. *spumans velut;* quod correctorem sapit: unde enim mutatum irent tam facilem et perspicuam scripturam seriores scribæ?

Ibid. *Turbat agens.* Maro, geo. iii. 412.

> Sæpe, volutabris pulsos sylvestribus, apros
> Latratu *turbabis agens*—.

Ibid. *æquore salso:* ἁλμυρῷ, quod *amarum*, vel πικρον, vocaverat, ad ii. 463. ut explicat Virgilius, geo. ii. 238.

> *Salsa* autem tellus, et, quæ perhibetur, *amara*.

De hac re nos videas ad Silv. Crit. iv. p. 234. v. p. 155. Columella de re rust. i. 5. 1. " Si deerit fluens unda, putealis quæ-" ratur in vicino, quæ non sit haustûs " profundi, non *amari* saporis, *aut salsi*." Ubi duæ voces postremæ ex margine irrepserunt, et inducendæ sunt. Obstat idem tamen ad iii. 1. 9. adeo ut Latini in hac re inconstantes, aut saltem minus accurati, videantur.

Ibid. *æquore undæ:* i. e. " superficie " undæ;" ut passim " æquor *maris*."

Phrasis autem *æquore salso undæ* vere Lucretiana est, pro *æquore salsæ undæ:* de quo genere dicendi, nos ad i. 475. et alibi sæpius.

Ver. 493. *fervescunt undæ:* sic omnes libri; (nam V. ed. corruptelæ, *frenescunt unde*, mera sunt operarum vitia, vel typographi cæcutientis) quanquam alia ad suum gustum commentitia ausi sint editores recocta exhibere.

Ibid. *fervescunt:* comitiali scilicet morbo correpti. Et ordo est: " Fervescunt " in æquore salso aquæ, spumantis vali-" dis viribus ventorum:" omisso *ut*, vel *quasi*, ad morem animosorum scriptorum, rem aliquam fortius et vividius depingere volentium, translationemque subitaneam similitudini dispositæ præferentium. Quintilianus, instt. orat. de tropis, viii. 6. " In " totum autem metaphora brevior est, " quam similitudo; eoque distat, quod " illa comparatur rei, quam volumus ex-" primere, hæc *pro ipsâ re* dicitur. " Comparatio est, cum dico fecisse quid " hominem, *ut* leonem; translatio, cum " dico de homine, *Leo est*." Longus, past. iii. p. 95. Τοτε εσονται ανηρ και γυνη· νυν δε φιλησωσαν αλληλους αδελφοι. Ubi contra nonnullos, infercire ὡς cupientes, doctissime et prudentissime defendit receptam constructionem Villoisonus, qui omnino consulendus est; et nos, ad iv. 574. Ut noster autem dixit " undæ spumantis " validis viribus ventorum," Æschylus etiam, Pers. 109.

> Θαλασσας πολιαι-
> -νομενας πνευματι λαβρῳ.

Hæc structura longe elegantior fuerit ad Sophoclis Antigonen, ver. 334.

> Τουτο και ΠΟΛΙΟΥ περαν
> Ποντου χειμεριῳ ΝΟΤῼ
> Χωρει—.

Conturbatur, et, ut docui, divisa, seorsum
Disjectatur, eodem illo distracta veneno.
Inde, ubi jam morbi reflexit caussa, reditque
In latebras acer conrupti corporis humor;

Ver. 494. *Exprimitur:* Ω. *Et premitur;* mendose. Lucanus, ix. 1039.

> ———— lacrymas, non sponte cadentes,
> Effudit, *gemitus*que *expressit* pectore læto.

Terentius etiam ad partes vocabitur tempestivus, Eun. i. 1. 23.

> ———— unâ mehercle falsâ lacrumulâ,
> Quam, oculos terendo misere, vix vi *expresserit*.

Ver. 496. *Eliciuntur.* Nonnulli legunt, *Ejiciuntur*, hic etiam; redeas ad ver. 58. hujusce libri: sed piget hominum illepidorum, et membranas irreverenter conculcantium, temeritatem atque violationes poëtæ profligatissimas referre.

Ibid. *glomerata:* i. e. "agmine condensato;" violenter et confertim: cui contraria nempe forent, articulatim et distincte. Similiter verbum ad orationem hominum Ausonius transtulit, de actione gratiarum, sect. 19. loquens de Ulyssis eloquentiâ:—"neque ille contortius, qui "cum sensibus *verba glomeravit*."—Et ibidem rursus, sect. 68. "Quis oratorum "læta jucundius, facunda cultius, pug-"nantia *tensius*, densata *glomeratius*, aut "*dixit*, aut, quod est liberum, cogitavit?" Sic rescribendum: libri, *densius*.

Ver. 497. *munita viaï:* ut *strata viarum*, i. 316. Sed recte Havercampus observavit, Lucretium repræsentare voluisse notissimam Homeri phrasim, ἑρκος ὀδοντων scilicet, *sepimentum dentium:* quam alii veterum de *dentibus ipsis* capiunt, alii autem de *labris;* quorum sententiæ nos subscribimus. Audiamus super hac re doctissimum Hesychium: 'Ερκος—περιβολος, περιφραγμα· ὡς των ὀδοντων τα χειλη. Sic etiam scholiastes ad Il. Δ. 350. *Murum dentium* Apuleius vocat, apol. p. 8. ubi doctissima Pricæi nota dignissima est, quæ perlegatur. Elegantissime Plutarchus, de garrulitate, p. 503. C. Και τοι γε οὐδεν οὑτως ἡ φυσις ὀχυρως περιπεφραχε των παρ' ἡμιν, ὡς την γλωσσαν, βαλομενη φρουραν προ αυτης τους ὀδοντας—. Conferas nobis dicta, ad ii. 538. Hinc Philoni Judæo, i. p. 693. *labra* nominantur, ερυμα και φραγμος οχυρωτατος φωνης. Denique, salutifer Oppiano veniam, cyneg. iii. 371. ubi hyperbaton minime perspectum omnia in hunc diem conturbavit:

> Αφρον αποσταλαει τι κατα χθονος (αυταρ ὀδοντων
> 'ΟΛΚΟΝ 'ΥΠΟΚΡΟΤΕΕΙ λευκοχροον) ασθματι θερμον.

Vulgo, Πολλον επικροτεει. *Aprum* describit. De his autem hyperbatis nos paucula quædam, haud pœnitenda, diximus ad Soph. Trachin. 1139.

Ver. 498. *quia:* P. *cum;* quod voluit fortasse το *qu*, V. ed. Contra, O. Δ. Π. Σ. *qua*, nobis receptum: vide ad ver. 491.

Ver. 500. *veneno:* i. e. viro, (adi nos, i. 720.) vel vi malignâ, morbi; quam mox appellat gemello nomine, *acrem humorem*.

Ver. 501. *reflexit.* Sic ad unum vetusta exemplaria; atque editorum inscitiæ obstupesco equidem, tam nihil de Lucretiani sermonis indole cogitantium, ut de suo reponere *se flexit* non erubuerint. His intransitivis nemo libentius nostro usus est. Haud aliter dictionem simplicem Virgilius adhibuit, Æn. ix. 372.

> ———— hos lævo *flectentes* limite cernunt.

Ita sane sæpissime cum dictionibus, ex hac radice pullulantibus, se res habet. Par absoluti verbi formula valde discruciatos, et frustra, doctissimos viros dedit ad Phædrum, i. 3. 7. sic in scriptis comparentem:

> Tumens inani graculus superbiâ
> Pennas, pavoni quæ deciderant, *sustulit*,
> Seque *exornavit;* deinde, contemnens suos,
> *Immiscuit* se pavonum formoso gregi.

Justam mensuram versus postremus su-

Tum, quasi vacillans, primum consurgit, et omneis
Paullatim redit in sensus, animamque receptat.
Hæc igitur tantis ubi morbis corpore in ipso
Jactentur, miserisque modis, distracta, laborent;
Quur eadem credis, sine corpore, in aëre aperto,
Cum validis ventis ætatem degere posse?

perat. Nimirum, pronomen elidas, et omnia se confestim sanissime habebunt:

——— deinde, contemnens suos,
Immiscuit pavonum formoso gregi.

Ver. 502. *acer:* P. V. ed. Π. *ater:* c et *t* elementis facillime permutatis. Sed hanc nostram lectionem longe egomet prætulerim, quamvis illa editoribus arriserit: confer verr. 253. 476. et ver. 500. cum iv. 641. ne plures locos excitem.

Ibid. *acer conrupti corporis humor.* Non aliâ erat sententiâ Virgilius, geo. iii. 484. et ille quidem ex filiis Æsculapii:

Rursus abundabat fluidus *liquor;* omniaque in se
Ossa minutatim, morbo conlabsa, trahebat.

Quibus opportunus superveniet Justinus, xxiii. 2. 4.—"reverti eum in Siciliam—"vis morbi coëgit, per omnes nervos articulosque *humore pestifero* grassante."

Ver. 503. *quasi:* V. ed. *quis.*—*vacillans:* sic omnes libri; non tamen dubitavit Lambinus de suo substituere *talipedens,* per summum facinus. Regeres autem fortassis, alibi primam vocabuli syllabam Lucretio correptam esse. Restas ergo mittendus ad i. 454. 714. iv. 1252. v. 482. 1094. i. 178. vi. 999. quibus alia plura possent adjici. Adhuc si repugnes, tibi valide inclamandum est Homereum illud:

Ἄρες, Ἄρες, βροτολοιγὲ—.

Sin adhuc obsurdescas, admonendus tandem restas, Lucretio Latino non minus licuisse tam diserto esse, quam Græco Mæonidi.

Ibid. *vacillans.* Ob literarum *b* et *v* cognationem, Nonii etymologia, ad i. 148. magnam veri speciem præ se fert: "*Vacillare* est trepidare, vel cum lassitudine "niti: a sensibus, qui sint ævo defessi, "atque, ad sustinendam lassitudinem, "*baculo* tarditatem levent." Scribendum tamen putem, *bacillo;* quo Juvenalis, et alii, sunt usi.

Ibid. *consurgit.* Dictio est tardis motibus, et affinibus dignitati, passim dicata. Virgilius, Æn. viii. 457. *Consurgit senior.*

Ver. 504. *redit in sensus:* poëticâ conversione, pro naturali formâ, *sensus in illum redit.* Ovidius, met. iii. 631.

——— aque mero *redeant in pectora sensus.*

Ubi quidam libri, *in pectore;* exquisitius, et fortassis vere: vide ad i. 250. 889. Hinc ad Statii Theb. i. 110. recte legitur:

——— cœrulei redeunt *in pectore* nodi.

Vulgatum scilicet, *in pectora,* sciolorum est haud dubie importuna emendatio.

Ibid. *animam receptat.* Terentius, Adelph. iii. 2. 26. *Animam recipe.*

Ver. 505. *Hæc:* nempe, anima et animus: redeas ad notam in ver. 431. et in 459. ibi enim dicta non minus loco præsenti sunt accommodata. Interea, editorum inenarrabilem temeritatem, atque stuporem etiam, emirari liceat; qui suo ex arbitrio Lucretium corruperint, rescribendo contra libros universos, *jactetur* et *laboret,* in ver. 507. et *eandem,* in ver. 508. nihil actum reputantes, nisi vitium vitio, facinusque facinore, inscitissime pro libitu cumularent.

Ver. 505. *morbis jactentur.* Pariter Horatius, sat. ii. 3. 121.

Maxima pars hominum *morbo jactetur* eodem:

i. e. "se huc illuc vertat ob ejusdem "morbi cruciatus:" sic enim rationem

Et, quoniam mentem sanari, corpus ut ægrum,
Cernimus, et flecti medicinâ posse videmus;
Id quoque præsagit mortalem vivere mentem.
Addere enim parteis, aut ordine trajicere, æquum est,
Aut aliquid prorsum de summâ detrahere hilum,
Conmutare animum quiquomque adoritur, et infit;

sermonis pulchre perceperis: vide nos ad ii. 36. Dictys Cretensis, ii. vi.—" eumque " *jactatum* magnis *doloribus* consolati:" i. e. se undique commoventem.

Ver. 507. *aëre aperto*. Hinc, quamvis vulgatæ lectioni patrocinetur Nonii Marcelli auctoritas, ad iv. 5. tantum non certissimum est Maronem esse corrigendum, Æn. i. 587.

Scindit se nubes, et in *aëra* purgat *apertum:*

i. e. " in apertum, vel translucidum, *aëra*, " ex *aëre obscuro;*" quo nomine ad ver. 411. poëta prius nubem distinxerat. De harum lectionum confusione diximus ad ii. 145. Contempleris etiam versum Homeri, Od. H. 143. quem reddendum, in eâdem materie versatus, sibi procul dubio vates consummatissimus proponebat:

Και τοτε δη ῥ' αυτοις παλιν χυτο θεσφατος ΑΗΡ.

Quid, quod a nobis Servii stet etiam disertissimum testimonium? " Quia *aër* " collectus nubes *facit*, ut v. 20. *Atque* " *in nubem cogitur aër:* quæ puriore " vento dissolvitur in *aërem*." Codex insuper unus et alter non dissentit.

Ver. 510. *medicinâ:* Vind. V. ed. O. *medicinam*. Si dicerent antiqui, ut *em* pro *eum*, sic etiam *am* pro *eam*, quod affirmant viri docti supra, ad ver. 445. sed non probant; Lucretius tum scripsisse poterat:

——— et flecti medicinâ *am* posse videmus:

hinc enim variatio memorata facile exorta esset; re autem sic se habente, ut nunc habet, de mutatione temerarium est cogitare. Mox Π. *mortale*.

Ver. 512. *ordine:* Π. *ordinem*.—*trajicere:* in margine Veronensis editionis scriptum erat, referente Havercampo, ex vetusti codicis collatione, *traicere;* quod antiquius est, atque, meâ opinione, a Lucretii manu profectum. In glossario vetere leguntur, *Traice*, *traicio*, *traicit*, *traiciendum*, *traiciendo*. Sic ad Veget. art. veter. iii. 18. 3. optimi codices:— " per eadem foramina *traicies*—." Neque aliter in aliorum auctorum scriptis exemplaribus. Mihi persuasissimum est, me optime facturum fuisse, si passim per Lucretii carmina in omnibus hujusce radicis dictionibus hanc scripturam revocassem.

Ver. 513. *detrahere:* Π. *trahere*.—Et attende, lector, dum te certiorem faciam de maculis teterrimis, quibus editores, pecus invenustissimum! (sit verbo venia, quod justa indignatio ob summum ingenium misere deturpatum nobis nolentibus expresserit) versum coram nobis conspurcaverint; ita scilicet contra fidem vetustorum exemplarium haud verecundati scribere:

Aut *aliud* prorsum de summâ detrahere *illum*.

Vidistine unquam fedius aliquid, aut vulgarius? Imæ cathedræ puero vix dignum esse hoc tentamen confiteberis.

Ibid. *hilum:* i. e. " breve quoddam," uti Nonius generaliter exponit, ad ii. 402. Explicatior est Festus: " *Hilum* putant " esse, quod grano fabæ adhæret: ex quo " *nihil*, et *nihilum*." Quemadmodum Græci nominibus γρυ, κεραια, et ιωτα, pro rebus omnium minutissimis, usurpant. Poëta vetus apud M. Tullium, Tusc. dispp. i. 5.

——————— Quod Sisyphus versat
Saxum, sudans nitendo; neque proficit *hilum*.

Ubi nonnulli codices, *illum;* i. e. *hillum:*

Aut aliam quam vis naturam flectere quærit.
At neque transferri sibi parteis, nec tribui, volt,
Inmortale quod est, quidquam; neque defluere hilum.
Nam, quodquomque suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante.
Ergo animus, sive ægrescit, mortalia signa

uti sæpe variatur in membranis Lucretianis, habito respectu ad aliud etymon Varronis, quem Sosipater Charisius, instt. gram. lib. i. p. 79. ad partes vocavit: "*Hilum* Varro, rerum humanarum, intestinum dicit tenuissimum; quod alii *hillum* appellaverunt:—unde intelligimus *nihil* sine aspiratione vitiose dici." Postrema autem verba grammatici in transitu lector sedulo animadvertat velim: hinc enim discet, nos ex Cari carminibus το *nil* consultissime ejecisse, integro *nihil* passim restituto. Crasse Priscianus, lib. vi. p. 687. neque ut grammaticum doctum decuit: "*Nihil* autem, vel *nihilum*, a *non* et *hilum* est compositum; quod sine dubio est nomen. *Hilum* enim pro *ullum* vetustissimi proferebant. Lucilius in xiv.

"Naumachiam licet hæc, inquam, alveolumque
"putare.
"*Ecce, age*, delectes te: *hilo* non rectius vivas."

Ita forsan poëta corrigendus est. Vulgo, "*Et calces* delectes te."

Ver. 514. *infit:* i. e. aggreditur: vel, per hendyaden, *adoritur et infit*, pro *incipit adoriri;* in quo significatu sæpissime legitur apud Virgilium, aliosque. Glossarium vetus: "*Infit*, αρχεται, λεγει "αρχεται." Ennium liceat in transcursu nobis emaculare, apud Priscianum, lib. x. p. 891.

Infit: *Io* cives! quæ me fortuna ferox sic
Contudit *indignom;* *et* bello confecit acerbo?

Libri, "*O* cives," et "*indigno* confecit." Cæterum, vice *et infit*, P. *is ipsum;* Δ. autem *et insit.*

Ver. 516. *At transferri:* V. ed. *Atque terra ferri;* vitio typographi formas codicis non callentis, et vix mentione digno.—*tribui:* Pius in notis, *minui;* per divinationem longe longeque ineptissimam. Nam *το tribui τοις parteis addere*, et rursum *το transferri τοις ordine trajicere*, in ver. 512. vicissim respondere, vel ad acumen talparum oculati vident.

Ibid. *volt:* i. e. potest, εθελει, δυναται. Inspicias velim, si tanti sit tibi, collibeatque, nobis commentata haud ita pridem, ad Bion. idyll. i. 96.

Ver. 517. *neque:* Δ. *nec.*—*defluere:* P. *diffluere;* minus proprie et accurate: vide ver. 198.—*hilum:* Π. *hillum*.

Ibid. *defluere:* απορρειν. Hanc metaphoram propugnatores atomorum deamant: vide nostrum, ii. 1127. ut alibi sæpissime. Locus exstat in quæstionibus naturalibus Plutarchi, unde multum lucis Lucretio diversimode oboritur; sed insigniter depravatus: quem, ut est sane pretii magni scriptor, non pigebit emendatiorem dare; tom. ii. p. 916. vel ix. p. 627. ed. Reiskii. Σκεπτει δη κατ' Εμπεδοκλεα,

Γνωθ', ὁτι παντων εισιν ΑΠΟΡΡΟΑΙ, ὁσσ' εγενοντο.

Ου γαρ ζωων μονον, ουδε φυτων, ουδε γης, και θαλαττης, αλλα και λιθων, απεισιν ενδελεχως πολλα ῥευματα, και χαλκου, και σιδηρου· και γαρ ΘΕΩΡΕΙΤΑΙ (vulgo, φθειρεται: vide Lucret. iv. 158. 218.) παντα, και ολωλε, τῳ ῥειν αει τι και φθειρεσθαι συνεχως. Και γαρ ἑλξεις, (Lucret. vi. 1000.) και επιπηδησεις, ποιουσι ταις απορροιαις· οἱ μεν εμπλοκας αυτων, οἱ δε πληγας, οἱ δ' ωσεις τινας και ΠΕΡΙΕΛΑΣΕΙΣ (libri, περιελευσεις) ὑποτιθεμενοι. Μαλιστα δε των παραλων πετρων επιρραινομενων και ΨΗΧΟΜΕΝΩΝ (vulgo, ψυχομενων: vide Lucret. i. 327.) ὑπο της θαλαττης, απιεναι μερη και θραυσματα πολλα ΚΑΤΑΛΕΠΤΑ (libri, και λεπτα) συνεχως.

Mittit, ut edocui; seu flectitur a medicinâ:
Usque adeo falsæ rationis vera videtur
Res obcurrere, et ecfugium præcludere eunti;
Ancipitique refutatu convincere falsum.
Denique, sæpe hominem paullatim cernimus ire,
Et membratim vitalem deperdere sensum.

Ver. 520. His apposita sunt, quæ dixit Arnobius, lib. i. p. 11. "Ubi *dolor* et "*ægritudo* est, *imminutioni* et *corruptioni* "jam locus est."

Ver. 521. *ut edocui.* Quum in promptu sit arbitrari, Lucretium voluisse carmini varietatem aliquam inspergere, et librarii in tritissimam formulam facile essent prolapsuri, non dubitavi lectionem, a V. ed. et B. exhibitam, admittere; cui non nihil suffragatur codex Δ. in quo super rasurâ voces *uti docui* sunt exaratæ; et Π. qui *ut ideo* præbet.—*seu:* Δ. *si.*—*a medicinâ:* Vind. *ut medicinam.*

Ver. 522. *rationis:* sic omnes ad unum libri præter P. unde non dubito vulgatum, *re rationi*, esse correctoribus, constructionem verborum minime assecutis, attribuendum. Nimirum, *rationis vera res* formula est, Lucretio passim frequentata, pro *res veræ rationis:* inspicias nuper notata, ad ver. 492. Certe, non negaverim structuram vulgatorum, *res vera videtur occurrere falsæ rationi*, usui scriptorum tritiori magis esse consentaneam; sed colores orationis Lucretianæ proprii fuco adventitio neutiquam obducendi sunt, et simul susque deque habenda fides consentiens castissimorum exemplarium.

Ver. 524. *refutatu:* P. Vind. V. ed. B. O. L. M. Ω. *refutatur;* nec tamen horum librorum conspiratio, neque solitarius nostræ dictionis usus, (qui sane scribarum importunitatem facile provocaret) me ita absterrent, ut defugiam credere *re refutatu* scripturam esse Lucretianæ manûs sincerissimam. Confer v. 726. 727.

Ibid. *Ancipiti refutatu.* Elegantissimam translationem quilibet statim callet. "Argumentum verum utique, ad instar gladii ancipitis, utrinque secat objectorem."—Π. *Ancipiti atque.*

Ver. 525. *cernimus:* V. ed. O. *terminas;* per literarum usitatissimum errorem.

Ibid. *ire:* i. e. πορευεσθαι, οιχεσθαι· abire, *mori;* de hoc euphemismo nos egimus ad Silv. Crit. iv. p. 105. et seqq. alibique.

Ver. 526. *deperdere:* M. *disperdere;* minus probe; nam loci scopus potius passivæ potestatis dictionem, quam activæ, manifesto postulat.—Et lector animum advertat solertiam atque artificium poëtæ, ope numerorum, articulatim intercisorum, ipsam rem felicissime designantis.

Ibid. *vitalem sensum.* Arnobius, lib. ii. p. 65.—"in ipsis corporibus *sensus* eis "deperit, exstinguiturque, *vitalis.*"

Ver. 527. *livescere.* Hæc vocis forma in sensu proprio minime protrita est. Glossarium vetus: "*Livesco*, πελιδνουμαι." Martialis, viii. 51. 3.

Livescit, nullâ caligine fusca—

Denique, Scribonius Largus, cap. clxxxi. "Altercum—qui biberunt,—mente abalienabuntur:—postea sopiuntur, et omni sensu carent, *livescentibus membris* "eorum."

Ver. 528. *post inde.* Prior vox ad successionem temporis referri debet; posterior, ad progressionem serpentis mali.

Ver. 529. "*tractim*, pro lente:" vet. comment. in Plaut. Amphit. i. 1. 157. Rursum, "*tractim*, jugiter:" Servius, ad Virg. geo. iv. 260. Vere, ut existimo equidem, uterque; sed crasse, et rationibus vocabuli non expositis, quas sic aperuerim: *Tractim* nempe, *sese trahendo*, per omnes, quæ interponuntur, partes; ut anguis, qui pedetentim serpit, neque per *saltus* solet progredi; atque ideo, sensu

In pedibus primum digitos livescere, et ungueis;
Inde pedes, et crura, mori: post inde per artus
Ire alios tractim gelidi vestigia leti.
Scinditur atque animo hæc quoniam natura, nec uno
Tempore sincera exsistit, mortalis habenda est.
Quod, si forte putas ipsam se posse per artus
Introrsum trahere, et parteis conducere in unum,
Atque ideo cunctis sensum deducere membris;
At locus ille tamen, quo copia tanta animaï
Cogitur, in sensu debet majore videri:
Qui quoniam nusquam est, nimirum, ut diximus ante,
Dilaniata, foras dispargitur. Interit ergo.

secundario, uti par est, et se res plurimum habebit, *tarde*, gradatimque. Glossarium vetus: "*Tractim*, jugiter, continuatim, επισεσυρμενως."—Cæterum, nomina *tractim* ac *vestigia* in hoc versu amicissime conjunguntur.

Ver. 530. *atque:* Σ. *atqui;* ut editi, ex arbitrio: sed recentior est hic codex, quam cui soli tuto citra necessitatem confidi possit.—*animo:* Δ. *animæ;* et *hæc* in Σ. post *quoniam* ponitur; abest autem Δ. ut etiam B. L. M. Q. si fides collatoribus habenda sit.

Ibid. *animo natura sincera;* ut mox de *corpore*, ver. 717. *sinceris membris*. Valerius Maximus, ii. 6. 8. utrumque copulavit:—"nonagesimum annum transgressa, cum summâ et *animi* et *corporis sinceritate*—." Glossator vetustus: "*Sincerus*, ἁπλυς:" uti pulchre S. Matthæus, vi. 22. εαν ὐν ὁ ΟΦΘΑΛΜΟΣ σε ʽΑΠΛΟΥΣ ῃ, ὁλον το σωμα σε φωτεινον εσται.

Ver. 534. *ideo:* P. V. ed. Π. *adeo.*—*deducere:* L. M. *diducere;* mendosissime: vide ad ii. 316. Juvenalis, sat. i. 157.

Et latum mediâ sulcum *diducet* arenâ.

Vulgo scribitur, *deducet;* corruptissime.

Ver. 538. *dispargitur:* sic L. Δ. Π. vulgo, *dispergitur.*—*interit:* V. ed. *niterit*, confusis literarum ductibus.

Ver. 539. *Quin:* V. ed. *Quando;* i. e. *Qū*.

Ibid. *lubeat*. Vulgo, *libeat:* sed nos antiquos sequimur. Priscianus, lib. i. p. 553. "Antiqui *lubens*, pro *libens*." Jam vero Plauti Terentiique consuetudinem nemo nescit.

Ver. 541. *Lumina linquunt*. Quemadmodum Homerus, Od. Λ. 92.

———————— ΛΙΠΩΝ ΦΑΟΣ ηελιοιο.

Ver. 542. *tamen* abest Π. haud dubie ob præeuntium syllabarum similitudinem, *talem*.

Ver. 543. *disparsa:* L. *disperse.*—Diogenes Laërtius, x. 65. Και μην, και λυομενυ τυ ὁλυ αθροισματος, ἡ ψυχη ΔΙΑΣΠΕΙΡΕΤΑΙ—.

Ver. 544. Piget toties editoribus grave crimen intendere; sed nonne sunt pro temerariis atque facinorosis habendi, qui contra libros Noniumque Marcellum, ii. 75. ex penu proprio nobis hunc horridiorem versum deprompserint, atque etiam in contextum intruserint?

An *contractis in se* partibus obbrutescat?

—*e:* Q. *se.*—*obbrutescat:* plures cum *b* simplice; B. *ebrutescat;* Q. *obpurtesca;* id volens, quod in quibusdam exemplaribus Pius invenit, nempe *obputrescat*. Similis aberratio scribarum ad Lactantium, ii. 6. fin. quosdam codices vitiaverat: "Animal enim quia sensu præditum est,

Quin etiam, si jam lubeat concedere falsum,
Et dare, posse animam glomerari in corpore eorum,
Lumina quei linquunt moribundei particulatim;
Mortalem tamen esse animam fateare, necesse est:
Nec refert, utrum pereat disparsa per auras,
An, contracta suis e partibus, obbrutescat;
Quando hominem totum magis, ac magis, undique sensus
Deficit; et vitæ minus, et minus, undique restat.
Et, quoniam mens est hominis pars una, locoque
Fixa manet certo; velut aures atque oculei sunt,
Atque aliei sensus, quei vitam quomque gubernant:
Et, velutei manus, atque oculus, naresve, seorsum,

" etiam membra ejus habent sensum; nec, " nisi a corpore divulsa, *brutescunt*." Aliter, *putrescunt*. Idem scriptor, uberrimâ dicendi profluentiâ præclarus, ad vii. 12. " Non enim anima, corpore deficiente, " sed *corpus*, animâ decedente, *brutescit*; " quia sensum omnem trahit secum."

Ver. 545. *magis ac magis;* ver. 546. *minus et minus.* Hæ formulæ suavissimam rei ipsius evidentiam præ se ferunt. Virgilius, Æn. xii. 406.

——— sævus campis *magis, ac magis*, horror
Crebrescit—:

ut geo. iii. 185. Mamertinus, in geneth. Maxim. sect. 10. " Ut vero *propius propiusque* cœpti estis agnosci, omnes agri " oppleti—." In quem locum Jaegerus eruditissimus copiam exemplorum ad hanc formam dabit.

Ibid. *suis partibus:* quas utique proprias dispersa dudum occupabat.

Ibid. *obbrutescat*. Festus: " *Obbrutuit*, " obstupuit: a bruto, quod antiqui pro " gravi, interdum pro stupido, dixerunt. " Afranius:

" —— Non possum verbum facere: *obbrutui*."

Hoc usus occasionis, veram et elegantissimam scripturam Prudentio restituam ac vindicabo, Hamartig. 655.

Damna aures, Pater alme! meas, et claude meatus
Obbrutescentis capitis, ne pervia tales
Concipiat flexura sonos. Est perdere tanti
Exstinctum vitæ officium de parte cerebri,
Immunem modo sese anima, expertemque nefandi
Auditûs, felix *stolidâ* conservet ab *arce*.

Stolidâ arce est *obbrutescente capite*. Nonnulli, minus venuste, *aure* malunt. Serenus Samonicus, de med. 13.

Principio, celsâ de corporis *arce* loquamur.

Ad quem locum, atque ad Claudianum, iv. cons. Honor. 235. docti interpretes de hac re multa attulerunt.

Ver. 548. *Fixa* Π. deest; *fissa*, dat codex Σ.

Ibid. *Fixa manet.* Virgilius, Æn. ii. 650.

Talia perstabat memorans, *fixus*que *manebat*.

Ver. 550. *oculus:* Δ. *oculi;* haud dubie ex correctore: nam ita noluit Lucretius, ut τῷ *manus* præcedenti τὸ *oculus* melius conveniret.

Ver. 551. *ab:* sic P. V. ed. Π. vulgo, *a*.—*nequeunt:* Π. Σ. *nequeant*.—*neque:* O. Δ. *nec*.

Ibid. *Secreta*. Notes neutrum genus, diversi generis substantiva complectens: hinc nos recte ad ver. 505. i. 867. et alibi. Julius Obsequens, cap. lxxix. " nocte *cœ-* " *lum* ac *terra* ardere *visum*:" quæ sunt sanissima.

Arnobius, lib. vi. " Neque enim manus,

Secreta ab nobis, nequeunt sentire, neque esse;
Secta etenim in parvo liquuntur tempore tabi:
Sic animus per se non quit sine corpore, et ipso
Esse homine, illius quasi quod vas esse videtur,
Sive aliud quid vis potius connexius ei
Fingere; quandoquidem connexu corpus adhæret.
  Denique, corporis, atque animi, vivata potestas,

"a capite separata, aut pes, divisus a "corpore, summam possunt præstare totius—." Lambinus.

Ver. 552. Non habui in hoc loco, quid facerem, nisi ut emendationes Vossianas, valde ingeniosas ac probabiles, tametsi quam vellem sane numerosiores, ultro amplecterer: nam me undique versando nihil facilius excogito. Vulgo legitur in libris omnibus:

Sed tamen in parvo *linquuntur* tempore *tali.*

nisi quod nonnulli habeant *linguntur*, et *liguntur*. Illa *tempore tali* vera puto; vide i. 94. et ulcus initio versûs insidere, nondum persanati.
Porro, repetens iterum in animo rem, non sine pulsato cerebro et demorsis unguibus, me loco satis esse facturum arbitror, ad hunc modum constituto, si *Sed* solummodo in *Si* mutetur: quo quid minus in casu deplorato plane, et deposito, quis vivorum emendatorum sibi concedendum postulet? De harum vero particularum commutatione, vide Drakenborchium ad Liv. xxi. 13. 5. Sic igitur cogitabam:

Secreta ab nobis nequeunt sentire, neque esse,
(*Si* tamen in parvo linquuntur) tempore tali.

i. e. "si modo sint vel minimo spatio di- "visi." Sed lectores suo judicio fruantur.

Ver. 553. Hujusce porro conjunctionis necessitatem vel in vitam, post fata denique venturam, extendi, sacris literis edocemur: hoc enim ex S. Paulo, in 1 Cor. xv. 35—45. tuto videtur colligendum.—Cæterum, hæc dilatatio sermonis, *corpore et ipso homine*, per hendyadem poni videtur, pro *corpore ipsius hominis*, quod est *quasi vas*. Aliter structura non procedit.

Ver. 554. *homine:* Vind. Π. Σ. *hominem.*

Ibid. *quasi vas.* Redi collata de hac figurâ in ver. 441. et in Silv. Crit. iii. p. 83. Prudentius, cathem. vii. 190.

Firmans salubri scilicet jejunio
Vas appetendis imbecillum gaudiis.

Gemella vox redonanda est, ni fallor, Plutarchi symposio, p. 159. D. Ατεχνως δε των πολλων ιδοι τις αν, ως περ εν μυλωνι, τῳ σωματι την ψυχην εγκεκαλυμμενην· (forte, εγκεκλεισμενην) και περι την της ΣΚΕΥΗΣ (vulgo, ψυχης) χρειαν κυκλουσαν.

Ver. 555. *aliud:* O. Π. Ω. *aliquid.*—*quid vis:* Π. *quod vis.*—*potius:* Vind. Q. Σ. *potis es.*—*connexius:* hoc procul dubio voluit *connectinus* in V. ed. et *connectimus* in B. Cæteri, *conjunctius;* ex glossâ, ut opinamur: nam, quæ sequitur, vox *connexu* plane quasi repetitio est, præcedentem cognatam respiciens.—*ei:* sic P. V. ed. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *eii.*

Ver. 556. *quandoquidem connexu.* Hic est sermo de re jam probatâ, atque in concessis numerandâ, confidentissime loquentis: vide sis autem ad ver. 218.

Ver. 557. *vivata:* Π. et quoddam exemplar Pii, *innata;* nec mirum est, ita aberrari, quum iidem sint literarum ductus. Idem Pii exemplar legit etiam *animai;* quod correctorem sapit, metro suffulcientem.

Ibid. *vivata.* Festus, Lucretium, nisi fallimur cum Preigero, certe respiciens: "*Vivatus* et vividus (vide i. 73.) a poëtis "dicuntur, a vi, *magna:*" i. e. etymon est *vis*, et significatio, *magnus*. Sic ille

Inter se conjuncta, valent, vitâque fruuntur:
Nec sine corpore enim vitaleis edere motus
Sola potest animi per se natura; nec autem,
Cassum animâ, corpus durare, et sensibus uti.
Scilicet, avolsus radicibus ut nequit ullam
Dispicere ipse oculus rem seorsum corpore toto;
Sic anima, atque animus, per se nihil posse videtur:

locus distinguendus videtur, et capiendus. Alibi vocabulum non invenio. Quod legitur in glossario vetere quidem: " *Vi-* " *vatis*, diu viventis:" tu possis castigare scribendo, " diu *viventibus;*" sed promptius est credere *τι t*, ut solet, *c* supplantavisse; atque reponendum esse, " *Vi-* " *vacis*, diu viventis."

Ver. 558. *vitâque:* Δ. *vivata.—fruuntur:* Vind. V. ed. B. ΙΙ. Σ. *feruntur:* uti voces eædem ad ver. 201. permutatæ sunt.

Ibid. *valènt:* i. e. " hæ *duæ* potestates, " potestas corporis et potestas animi:" quæ formula regiminis rarissima est, et diligenter animadvertenda. *Conjuncta* autem in neutro genere, quamvis substantiva feminina sint, ad morem nostro poëtæ familiarissimum: vide nuper monita ad ver. 551.

Ver. 560. *nec autem:* οὐδ' αὖτε· nec rursus, vel vicissim; παλιν.

Ver. 561. *Cassum animâ:* i. e. *spiritu*, aurâ ætheriâ, æthere; ut Virgilius, Æn. xi. 104.

Nullum cum victis certamen, et *æthere cassis.*

Vide Nonium, i. 217.

Ver. 562. *avolsus:* P. ΙΙ. *avolsis;* non probo: et editiones quædam *radicitus*, contra libros, ideoque minime probandæ. Utrique varietati Virgiliana obstat imitatio, ad Æn. v. 449.

Aut Idâ in magnâ, *radicibus eruta*, pinus:

ubi variant codices similiter, magno numero dantes *radicitus;* quod, ad nostrum saltem sensum, prosaïci magis sermonis colorem refert. Silius etiam, Pun. vi. 196. quem alii jam laudavere, hanc scripturam genuinam esse evincit; sed in primis Catullus, lxiv. 108. ad quem locum exprimendum Virgilius se totum manifestissime composuit: temporis tamen parcus, non admoveo. Porro, hanc lectionem in codicibus Juvenci Presbyteri tunc temporis comparuisse, locus, quem ad ver. 905. hujusce libri proferemus, non obscure loquitur. Avianum interea, fab. xvi. 1. non pigebit attulisse, ut elegantissimâ emendatione castum scriptorem mactem:

Montibus e summis, *radicibus eruta*, quercus
Decidit, insani turbine victa noti:
Quam *subitus* tumidis decurrens alveus undis
Suscipit, et fluvio præcipitante rapit:

i. e. " Quam *subiens* alveus." Vulgo, " Quam *tumidis subter—:*" sed codex habet, " Quam *subtus tumidis—;*" unde castigationem propositam facillime extraximus: vide nos, de hac voce disputantes, ad ii. 363. Transeuntes etiam Venantio Fortunato salubrem medicinam faciemus, ad poëm. iv. 30. 4.

Cum graderer festinus iter, pater alme, Gregori!
Quâ præcessoris sunt pia signa tui;
Quo fertur, convulsa jacens *radicibus*, arbor
Martini ante *pedes* exsiluisse comis—.

Vulgo, *radicitus;* quod fortasse verum: et *preces;* quod certe vitiosum est.

Ibid. *avolsus radicibus oculus:* ut de *oculo* Polyphemi Mæonides, Od. I. 390.

——————— σφαραγευντο δε οἱ πυρι ῬΙΖΑΙ.

Venustus est Q. Calaber, iii. 396.

Γληναι δ', αργαλεῃσι πεπαρμεναι αμφ' οδυνῃσι,
ῬΙΖΟΘΕΝ εκλονεοντο:

radicitus exturbabantur; ut Catullus, loco laudato: confer etiam Apoll. Rhod. ii.

Nimirum, quia per venas et viscera mixtim,
Per nervos atque ossa, tenentur corpore ab omni:
Nec magnis intervallis primordia possunt
Libera dissultare; ideo conclusa moventur
Sensiferos motus; quos, extra corpus, in auras
Aëris, haud possunt post mortem, ejecta, movere:

96. Ita etiam Euripides, Herc. fur. 932. nec non Eusebius, Mart. Palæst. viii. init.

Ver. 563. *ipse oculus:* Vind. V. ed. Π. *oculus ipse.—oculus:* Δ. Π. *oculis.*

Ibid. *Dispicere.* Auscultandum esse existimaverim Cassiodoro de orthographiâ, cap. x. " Quæcunque verba primo loco " ab *s* literâ incipient, ea cum præposi- " tione *ex* composita literam eandem *s* " habere debent;—ut salio exsilio, specto " exspecto.—Nonnulli *dispicio* per unum " *s* scribendum putant;—sed melius est " per duo *ss* scribi, *disspicio.*" Locum adeas. Sic nos etiam passim in similibus faciendum putamus, quamvis nihil leviter mutari placeat.

Ver. 564. *videtur:* O. Δ. Σ. Ω. *videntur.—posse:* Vind. *esse.*

Ver. 565. *mixtim:* Δ. Π. *mixtum;* L. M. *mixti;* quam lectionem, ob Lucretii consuetudinem, ad ii. 908. et alibi sæpius memoratam, amplexus essem, nisi longe facilius το *mixti* ex *mixtim* vitiose fieri potuisset, quam vicissim.

Ver. 566. *tenentur:* nempe animus et anima, jam conjuncti: vide me ad ver. 431.

Ver. 568. *dissultare:* V. ed. *dissolvere.*

Ibid. *moventur motus.* Exemplum hujusce regiminis multo notabilius Horatius suppeditat, in epist. ii. 2. 125.

Nunc *Satyrum,* nunc agrestem *Cyclopa, movetur:*

i. e. " *se movet* secundum Satyrum." Quid autem? exspectabas, opinor, *agrestem Satyrum;* vide art. poët. 244. 233. et passim poëtæ loquuntur de *Faunis agrestibus, rusticis numinibus,* ac similiter. Non aliter Ausonius in Mosell. 170.

——— *agrestes Satyros,* et glauca tuentes
Naiadas—.

Constat etiam liquidissime ex enarratione Ascensii ad locum, eum nostris suspicionibus obsecundare; sic diserte se habente: " Id est, dum nunc *Satyrum agrestem,* " *et* nunc Polyphemum Cyclopa, move- " tur." Ocyus igitur, et meo periculo, rescribas:

Nunc *Satyrum agrestem, nunc et* Cyclopa movetur.

Qui versus dulcissimus est, atque rotundissimus. Nempe, dictionibus semel transpositis, το *et* mox ejectum est, quum frangeret numeros, et horrificaret: vel contra, τῳ *et* forte fortunâ elapso, voces transpositæ sunt, ut metro corruenti consuleretur. Sane alibi per se *Cyclops agrestis,* vel Κυκλωψ αγριος, non spernendum esset; sed in hoc loco, ut alias omittam rationes, ob vicinitatem τȣ *Satyrum,* cui quasi proprium est illud adjunctum, nullus probem.—Cæterum, idem Flaccus, sat. i. 5. 63. *saltare Cyclopa,* ut hic *moveri Cyclopa:* et quidem *pastorem Cyclopa,* vel *agrestem;* sed solitarie. Hinc autem Reiskius obiter refellendus est, et ab ejus manu Plutarchus vindicandus, in symposio, vi. p. 569. Και συ γε, εφη, βραδυς, και ΤΡΕΧΕΙΣ ΤΟΝ ʽΗΜΙΟΝΟΝ. Criticus acutissimus interponebat, ΚΑΤΑ τον ἡμιονον: vide nos ad i. 834. ii. 206.

Ver. 570. *haud:* V. ed. *aut;* L. *at;* M. Π. *ut.*—Editores autem, libris repugnantibus, dederunt *moveri;* inscitissime. Hoc genus verba, vel active, vel cum potestate vocis mediæ, passim probatissimis scriptoribus indifferenter adhiberi solent. Nuper profecto Lucretius aliam formam malebat, ver. 568. sed nemo omnium poëtarum condimenta suavia variarum locutio-

Propterea, quia non simili ratione tenentur.
Corpus enim atque animam serit aër, si cohibere
Sese anima, atque in eos poterit concludere motus,
Quos ante in nervis, et in ipso corpore, agebat.
Quâ re, etiam atque etiam, resoluto corporis omni
Tegmine, et ejectis extra vitalibus auris,

num studiosior insecutus est, aut in hac parte laudem majorem meruit. Vegetius, art. vet. i. 47. "Quodcumque jumentum ex quâlibet caussâ inveneris *volutare*, oleo manum perunges—." Quidam *se* inculcant, indocte et citra necessitatem.

Ver. 571. *tenentur:* Π. *moventur;* qui error est e fine versûs præcedentis importatus.

Ibid. *Propterea, quia.* Ita Plautus, Asin. ii. 3. 6.

Propterea, huc *quia* habebas iter—:

et similiter alibi quoque, Most. v. 2. 34. Pœn. prol. 62. 63.

Ver. 572. *animans erit.* Hoc Lambinus solertissime protraxit ex librorum discrepantiis, *animam serit*, (*ferit*, Δ.) vel *animum serat.*—*si:* P. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. *sic;* adhærescente sequentis dictionis literâ.

Ver. 573. *Sese:* M. *Esse.*—*poterit:* Δ. *potitur.*

Ibid. Sensus est: "Aër erit integer animalis, si anima, vel spiritus, cum efflatur, et auris immiscetur, se cohibere poterit, indivulsa nec dispertita; atque etiam se in eos motus colligere, (i. e. moveri conglobatim) quos dudum in corpore consummabat." Aliter hunc sensum noster extulit in verr. 444. 445. ad quam normam sic erat mens ejus concipienda:

Corpus enim atque animans erit aër, si cohibere
In se animam, et—:

sed Lucretius varietati sermonis semper merito studebat, atque ut hominem decuit compotem uberioris eloquentiæ. Non erat igitur caussa sufficiens, quare Bentleius conjecturam Fabri, *in eo*, vice *in eos*, suo puncto comprobaret: nam Creechii judicium multo minoris facio.

Sed heus! tu, lector. Hæc scripseram scilicet, et loco movere nolui, quum veram expositionem nihil interpellent: sed ex diligentissimâ rei contemplatione certe colligo, sincerissimam esse librorum B. L. M. Π. Σ. Ω. lectionem, quam curavi denique exhibendam; neque re verâ deterior foret, si Latinitatem spectes, Pii scriptura, *animam serat;* sed ea moris est Lucretiani non ita fidelis conservatrix. Dicit autem poëta: "Aër est, qui serit" (vel gignit; in quo significatu elegantem esse atque usitatissimam vocem *sero*, vel σπειρω, nemo nescit) "corpus et animam," (i. e. animantem, ex utroque compositum) "si in aëre se continere possit, atque ab aëre cohiberi." Nihil simplicius et luculentius; et ita plane, Lucretio tamen multum improbante, Anaxagoras censebat, et Stoïcis quidem vix latum unguem discrepantibus, Plutarcho teste, de plac. phil. iv. 3.—οἱ δ' απ' Αναξαγορυ αεροειδη ελεγον (ψυχην) τε και σωμα· οἱ Στωϊκοι, πνευμα θερμον. Quod insuper Lambinianam divinationem per se prorsus conficit, nomen *animans* nusquam stat in toto Cari carmine, pro *anima*, sic ut hæc dictio contra *corpus* poni passim solet. Nisi fallor igitur, rem prudenter administravi, castissimorum exemplarium testimoniis obsecutus.

Ver. 574. *nervis:* P. *venis.* Scriptum erat fortasse *nevis*, per ductus elementorum similes. Sed *nervis* signatius est et appositius: animam coërcentibus quasi, ac *constringentibus:* videas autem ver. 697. v. 926.

Dissolvi sensus animi fateare, necesse est,
Atque animam; quoniam conjuncta est caussa duobus.
Denique, quom corpus nequeat perferre animaï
Discidium, quin in tetro tabescat odore;
Quid dubitas, quin, ex imo penitusque coorta,
Emanarit, utei fumus, diffusa animæ vis?

Ver. 575. *corporis:* Δ. *corpore ab:* i. e. "corpore resoluto ab omni tegmine:" nescio an non elegantius. Sabinus, epist. 66.

Retulit illa domûs eadem mala; meque querentem
Fugit, *ab amplexu* ter *resoluta* meo.

Quem versum Heinsius pro solito venuste, sed frustra etiam, tentabat.

Ver. 576. *Tegmine corporis:* i. e. corpore tegente; quod Arnobius, lib. i. p. 37. *tegmen materiæ solidioris* appellavit.

Ver. 580. *Discidium:* P. *Dissidium.*—*quin:* V. ed. *quando.* Et sic omnes nostri: tacet Havercampus de L. M. Idem est τῳ *vi* cod. B. quamvis id Creechium latuerit: adi ii. 196. 237. Vulgo, *id.* Jam vero *in* potest *cum:* perlege dicta, ad i. 881. 994. ii. 167. Cæterum, nisi fallor, illud *in* pro *vis* locum J. Obsequentis, de prodigg. gravissime corrupit, sic emaculandum, sect. cxiii. "Medorum *vis Macedoniam ingens* provinciam cruente vastavit." Vulgo, *in Macedoniâ gens.* Ita in sect. cxxviii. "*ingentem* viperarum *vim:*" et sect. cxxx. "vulturum *ingens vis.*"

Ibid. *tetro tabescat odore.* Pariter Virgilius, Æn. iii. 228.

——— tum vox *tetrum* dira inter *odorem.*

Aurelius Victor, de Cæs. xxxix. 1.—"*odore tabescentium membrorum* scelus proditum est."

Tabescat autem, κατατηκηται, liquescat, diffluat, et solvatur in tellurem. Hinc Statius, Theb. xii. 209. vitiosâ lectione, doctis omnibus consensuris, levari potest. De Argiâ loquitur alti spiritûs poëta, sui Polynicis cadaver investigante:

Anne, ait, hostiles ego te *tabente* per agros,
Heu dolor! exspectem, quænam sententia lenti
Theseos?

Libri, *labente;* et sic scholiastes, qui haud dubie tamen ejusdem medicinæ egeat: "*Tabente:* i. e. putiscente, in tabum abeunte." Huic expositioni τῳ *labente* nihil quadrat: vide nos ad i. 806. Locus Quintiliani, declam. vi. 3. quem viri eruditi non inscite tentant, se fortassis, aliter positis distinctionibus, bene tueri poterit: "Juvenis insepultus jacet.—Jam hominis figuram vetustas pene consumpsit: jam, lenta *tabes,* in terram defluxit:" i. e. nihil nisi *tabes;* in tabem evanuit. Burmannus et Almeloveenus, *lentâ tabe.* Sciscat lector eruditus.

Porro, hinc dixit Plautus, Trin. ii. 4. 91. *salillum animæ,* quod eâ quasi *condiatur* corpus, et a putredine defendatur. Videas Cleanthis dictum de *sue,* vel Chrysippi, ut quidam volunt, apud Clem. Al. strom. vii. 6. et Cic. nat. dd. ii. 64. Neque aliâ de caussâ nominavit Christus apostolos το ἁλας της γης, Matt. v. 13. ob salutarem doctrinæ suæ vim scilicet, ad propulsandam hominum tabitudinem. Ammianus Marcellinus, xix. 9.—"nostrorum *cadavera* mox cæsorum fatiscunt et *defluunt,* adeo ut nullius mortui facies post quatriduum agnoscatur: interfectorum vero Persarum inarescunt in modum stipitum corpora, ut nec *liquentibus membris,* nec sanie perfusa, madescant." Lege, *diffluunt.*

Ver. 581. *quin:* V. ed. *quando.*—*ex imo:* sic soli P. B. Σ. reliqui omnes, *ea imo;* præter Π. *ea uno;* O. *ex uno;* Q. *eanimo.*

Atque ideo tantâ mutatum putre ruinâ
Conciderit corpus penitus, quia mota loco sunt
Fundamenta; foras animâ emanante per artus,
Perque viarum omneis flexus, in corpore quei sunt,
Atque foramina? multimodis ut noscere possis
Dispartitam animæ naturam exisse per artus;

Ibid. *ex imo penitusque:* ita ut vel minutissimas partes et abditissimos recessus corporis penetraverit anima, impleverit, atque roboraverit.

Ver. 582. *Emanarit:* V. ed. *Et manarit.—fumus:* Δ. *furati.—diffusa:* O. Δ. *diffisa.—animæ vis:* Vind: M. Σ. *anima ejus;* sulcis literarum, plene exaratarum, non discrepantibus; Π. autem *animæ ejus.*

Ibid. *Emanarit fumus:* ut *undantem fumum,* in Virgilii Æn. ii. 609.

Ver. 583. *putre:* V. ed. *putte;* P. *pute;* quod nonnulli verum credunt, et inde fluere *puteo,* et similia. Ipse quidem, dum cogito, quam proni scribæ fuissent vetustum *pute* in recentius vulgatiusque *putre* mutare, tantum non inducor, ut doctorum sententiæ subscribam.

Ibid. *ruinâ:* i. e. clade, vel infortunio. Sic Virgilius, Æn. xi. 310.

Cætera quâ *rerum* jaceant perculsa *ruinâ.*

Obiter Servium emendabimus:—" quæ *si* " *sic* videatis afflicta, quid restat, nisi ut " pacem petamus?" Nonnulli libri habent *si* solum; alii, *sic* solum. Una nimirum vocula ob sociæ suæ similitudinem exciderat utrobique.

Interea, quam vellet constructionem verborum noster, temere quis dixerit? Utrum, " Atque ideo putre corpus, (utpote) " mutatum tantâ ruinâ, conciderit peni- " tus:" vel ut *ruinâ* ad verbum *conciderit* referatur. Ovidius, ex Pont. i. 9. 13.

Cum domus ingenti subito mea lapsa *ruinâ*
Concidit, in domini procubuitque caput.

Hoc si vellet, stationem nimis ignavam vox *mutatum* videtur occupasse, et reponendum putem:

Atque ideo tantâ, mutatum *in* putre, ruinâ
Conciderit corpus penitus:

nam præpositionem *in* frequentissime elapsam esse scriptis post terminationem *um,* id saltem novimus universi.

Ver. 585. Idoneis, nisi multum fallimur, rationibus impulsi, metas nobis positas transcendere non reformidavimus, emendationem hujusce versûs ex ingenio periclitati. In communibus editionibus ad hunc modum locus ordinari solet:

——————— quia mota loco sunt
Fundamenta foras *animæ, manantque* per artus.

Pium sequuntur scilicet; nam in libris omnibus ita scriptus comparet versus:

Fundamenta foras *manant animæque* per artus—:

unde nequit ambigi, transpositionem istam correctoribus, nescio quibus equidem, primitus deberi, in proclivi utique jacentem. Incommoditate autem plane insuperabili premitur hæc ratio, ob orationis inconcinnitatem ex metaphorarum confusione, qualem in elegans Lucretii ingenium nullus harum venustatum dignus arbiter cecidisse dixerit. Ex quo genere enim necesse est illæ *ruinæ* sint collapsi ædificii, quæ *manent* per foramina? Vides, opinor, delphinum in sylvis magno cum molimine frustra insæstuantem. Nobismetipsis igitur, uti cernis, verba confingentibus, minime temerarii vidęmur, neque violento conatu rem transegisse; Lucretiani sermonis ingenio simul, quod potuimus, consulentes: amat enim ille, ut hic *emanante,* post *Emanarit,* ver. 582. voces subinde similes juxta collocare, quasi animum lectoris inibi intentum facere studeret. Commit-

Et prius esse sibi distractam corpore in ipso,
Quam, prolabsa foras, enaret in aëris auras?
Quin etiam, fineis dum vitæ vortitur intra,
Sæpe aliquâ tamen e caussâ labefacta videtur
Ire anima, ac toto membratim corpore solvi;
Et quasi supremo languescere tempore voltus,

tas in proximo tantum verr. 570 et 576. verr. 568 et 573. verr. 538 et 543. verr. 555 denique, et 556. Jam vero particulam *que*, fertilem esse corruptarum lectionum matrem, omnibus, qui hanc materiem tractaverunt, in confesso est. Denique, pene oblitus eram monere, phrasim *fundamenta mota loco foras*, quasi basis et columnæ domûs per fenestras possent egredi, longe insulsissimum esse dicendi genus, atque etiam piaculi affine, sulphure saltem et ovis, ne videar immodicus, averruncandi. Ad nostras lectiones, nomen *fundamenta* respicit molem ac nexus *corporis;* quam incolit, quibus cohibetur: neque aliud mens poëtæ patitur.

Ver. 586. *flexus atque foramina:* quæ *caulas* vocat, ad ver. 702. et ii. 950.

Ver. 588. *Dispartitam:* sic O. Δ. Ω. reliqui, ut vulgo scribitur, *Dispertitam;* de quâ scripturâ in hoc vocabulo et similibus, satis supra dictum est.

Ver. 589. *prius distractam.* Dicit poëta, multis ex argumentis colligi posse, et concludi, animam etiam prius divulsam esse et dispersam, quam de corpore novissime decedat in æternum. Hoc autem potissimum patet ex homine sensim ac membratim moriente, ver. 525—532. quando anima discerpitur particulatim: patet etiam ex cadavere putrescente, ver. 579—587. ea enim anima, quæ per omnes artus dudum continuaretur, dispartitur, loco movetur, et divellitur; id autem gradatim, nec uno quasi impetu, videtur evenire: necesse est ergo, ut quasi per partes emanet anima, atque ideo distrahatur et dilaceretur.

Ver. 590. *enaret:* V. ed. Π. *enatat.*

Ibid. *enaret in aëris auras.* Hinc haud dubie de solito suas venustates mutuas Maro sumpsit, ad geo. iv. 59.

> ——— emissum caveis ad sidera cœli
> *Nare per æstatem liquidam* suspexeris agmen:

aut ab Ennio saltem, apud Servium videndo, et nobis alicubi in hos commentarios relato. Auctor incertus in Anthol. Lat. iii. 82. 47.

> Spe duce, *per* medias *enavit* Dædalus *auras:*

ad quem locum ubi Burmanni notam consulueris, cum Silio Italico, xii. 95. 98. et Drakenborchio dictis, additis etiam, quæ contulimus ipsi ad iv. 178. v. 277. pauca super hac re desiderabis. Boëtius, lib. v. met. 5.

> Sunt, quibus alarum levitas vaga verberetque ventos,
> Et liquido longi *spatia ætheris enatet* volatu.

Cæterum, voces *prolabsa* et *enaret* in hac metaphorâ convenientissime concurrunt. Orosius, hist. i. 2. de *Nilo:*—" inde—" vastissimo lacu exundare, atque—ori-" entem versus per Æthiopica deserta " *prolabi*—."

Ver. 591. *Quin:* V. ed. Π. *Quando.*

Ver. 592. *e:* Ω. *est;* forte, *ex.*

Ibid. *labefacta anima.* Virgilius, Æn. iv. 595.

> Multa gemens, magnoque *animum labefactus* amore.

Ver. 593. Quod potuimus, huic loco maxime conturbato fecimus. Vulgo ad hunc modum exhiberi solet:

> Ire anima, et toto solvi de corpore membra;
> Et quasi supremo languescere tempore voltus,
> Molliaque exsangui cadere omnia corpore membra.

Cum varietates lectionum percensuero,

Molliaque exsangui cadere omnia corpore membra.
Quod genus est, animo male factum quom perhibetur,
Aut animam liquisse; ubi jam trepidatur, et omnes
Extremum cupiunt vitæ reprehendere vinclum.
Conquassatur enim tum mens, animæque potestas
Omnis; et hæc ipso cum corpore conlabefiunt:

lectores, aut multum fallor, fatebuntur, nos melius administrare rem nullo modo potuisse, si versus omnes retinendi sint, neque ex illis vel versus præsens, vel ver. 595. ut adscititius omnino, ac spurius, ejiciendus sit.

ac: Vind. B. Δ. Π. *et.—membra:* Vind. V. ed. L. M. Σ. *omnia membra;* ut in ver. 595. quod per se, si Musæ sinerent, hanc lectionem condemnaret: Pius interea versum integrum non agnoscit. Bentleianam igitur divinationem accipiendam existimavi, sed tamen transponendam: ille enim *membratim* posuit ad finem versûs, ut esset ὑπερμέτρος, contra Lucretii consuetudinem.

Ibid. *solvi corpore.* Maro, Æn. iv. 703.

——— teque isto *corpore solvo.*

Fortassis etiam, si versus omnes genuini sint, non male rescribamus, neque magnam quidem per mutationem:

——— et toto solvi de corpore *mentem.*

Speciem habet hæc divinatio: mox enim, in ver. 599. *anima* et *mens* eodem modo copulantur.

Ver. 594. *tempore:* Ω. *corpore;* quæ voces confundi solent: vide ad ver. 455. Hic autem versus cum sequente deest Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. me propensissime plaudente. Videtur profecto temerarium versus abscindere poëtâ, quos codices ulli retinent, atque injucundum est: meo tamen si judicio obsequi non reformidassem, ita locum constitutum exhibuissem, multâ cum persuasione veram esse Lucretii scripturam:

Sæpe aliquâ tamen e caussâ labefacta videtur
Ire anima, ac toto solvi *omnia* corpore *membra.*
Quod genus est—.

Ibid. *supremo tempore:* cum vita scilicet versari in periculo videtur, et mors instare. Ita pulcherrime Catullus, lxiv. 151.

——— potius germanum amittere crevi,
Quam tibi fallaci *supremo* in *tempore* deessem.

Ver. 595. *Mollia:* Q. *Molli;* et omittit *corpore.*

Ver. 596. *est:* P. *aut;* probante Bentleio: sed contra vim librorum nihil in hac re novo.—*perhibetur:* Vind. V. ed. O. Π. P. *perhiberet;* qui tamen in notis lectionem nostram, ut sinceriorem, laudat; B. *prohibetur.* Nempe, ita scriptores loqui solent, quoties phrasin popularem et crassiorem velint propriâ magis accuratâque secernere. Nimirum, hoc loco, το *animo male factum* vulgi est locutio; το *animam liquisse* autem, vel λειποψυχησαι, liberaliter doctorum. Pariter Virgilius, ad geo. ii. 238.

Salsa autem tellus, et quæ *perhibetur* amara:

i. e. "salsa tellus, quæ vulgariter *amara* "nominatur."

Ibid. *animo male factum.* Locum Plauti, mil. glor. iv. 8. 21. quem Lambinus suscitavit, numeris suis ita restituit Bentleius in exemplari suo penes me:

——— Pa. Post quam abs te abit, *animo male*
Factum est huic repente miseræ. Py. Adcurrite
intro: adferte aquam:

Omisso *atque* post *intro.*

Ver. 597. *trepidatur:* i. e. "cum quodam metu ac solicitudine *festinatur,* et "discurritur:" vide Nonium, i. 7. minus subtiliter tamen, quod solitum grammaticis, disserentem. Apuleius, met. ii. p. 98. "Hæc tibi *trepide* cavenda censeo:" i. e.

Ut gravior paullo possit dissolvere caussa.
Quid dubitas tandem, quin, extra prodita corpus,
Inbecilla, foras, in aperto, tegmine dempto,
Non modo non omnem possit durare per ævom,
Sed minumum quod vis nequeat consistere tempus?
Nec sibi enim quisquam moriens sentire videtur

anxie, sedulo. Vulgo, male legitur *sedula:* sed verum Heinsius ante me perspexit. Adi Silv. Crit. iii. p. 51. Hinc Ovidius emaculandus est, amor. ii. 8. 20.

> Tu, dea, tu jubeas animi perjuria puri
> Carpathium *trepidos* per mare ferre notos:

i. e. properos, festinos, *celeres.* Vulgo scribitur, *tepidos;* quod ibi sane frigidum est, atque otiosum. Varietas quorumdam codicum, *rapidos,* se manifesto prodit ex glossâ genitam. Alicubi in Nasone plus semel recte istud epitheton adhibetur; probe tamen, opinor, ex ingenio dictionem nostram epist. xi. 76. prius redonaveram, quam nonnullas membranas consentientes intellexerim:

> Ut mare fit tremulum, tenui cum stringitur aurâ:
> Ut quatitur *trepido* fraxina virga noto.

Triviale fuerit *tepido* vulgatum, et pueriliter inane. Ibidem insuper codex singularis præbet *rapido,* adeoque emendationi meæ videtur adstipulari. De vocabulorum *tepidus* et *trepidus* confusione, Drakenborchius egit ad Sil. Ital. iv. 182. et, quicunque, ab hac notione vocis *trepidus,* quam declaramus, doctis viris non ubique probe perspectâ, exorsus, loca veterum diligenter investigabit; ille pretium laboris feret, multos ex certissimis rationibus emendando, hodieque cubantibus in mendâ. Appositus est Hirtius, bell. Alex. 75. "Cæsar—eodem tempore milites ab "operibus vocat, arma capere jubet, le-"giones opponit, aciem instruit: cujus "rei subita *trepidatio* magnum terrorem "attulit nostris:" i. e. *festinatio;* ut sæpe Livius. Glossarium vetus: "*Trepidat,* "*festinat,* περιδινοῦμαι." Forte, περιδινεῖς ἐστι. Editores Papiniani, vim ventilatæ dictionis ignorantes, sincerissimam lectionem ejecerunt, ad Theb. v. 677. a me, postliminio quamvis, restituendam:

> —— Tumidone parum, quod, gentibus actis
> Undique in arma tuis, inter *trepida* agmina pacem
> Solus habes?

Vulgo, *rapida.* Res eruditis viris non penitus intellecta est ad Virgilii Æn. xii. 403.

> Multa manu medicâ, Phœbique potentibus herbis,
> Nequidquam *trepidat:*

i. e. "anxius et *festinus* admovet." Eleganter Phædrus, ii. 5. 2.

> Est ardelionum quædam Romæ natio,
> *Trepide* concursans, occupata in otio——:

ubi *metûs* vel tenuissima notio non inhæret. Videas ibidem Schefferum, iv. 5. 3. Tantilla res fraudi fuit Heinsio ad fab. iii. 16. 18. quo te recipias. Horatius, epist. i. 10. 21.

> Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
> Quam quæ per pronum *trepidat* cum murmure rivum?

"*Trepidat:* i. e. præcipitanter delabitur:" Ascensius, verissime. Alius interpres nihil vidit. Porro, quum plerumque plus τῷ *trepidare,* quam τῷ *festinare,* sicuti ex præmissis liquido constat, insit, Sallustius non male sociavit, ad Catil. xxxi. "re-"pente omnes tristitia invasit; *festinare,* "*trepidare*—." Ignoscant autem mihi manes Cortii et Gronovii, si dicam, tantis viris veritatem per nebulas tantummodo visam esse, illi ad Sallustium, Jugurth xxxviii. huic ad Livium, xxvii. 1. 8. Labem prius eluam, quæ Mamertinum, gratt.

Ire foras animam incolomem de corpore toto;
Nec prius ad jugulum, et superas subcedere fauces;
Verum deficere in certâ regione locatam,
Ut sensus alios in parti quemque suâ scit
Dissolvi: quod, si inmortalis nostra foret mens,
Non tam se moriens dissolvi conquereretur;

act. Julian. sect. 14. 5. devenustat, quam hanc rem dimittam: "Cum Romani po-"puli victus, et exercitûs commeatus, "esset in *maribus*, in mediâ expediendæ "annonæ *trepidatione*, nuntius venit, plu-"rimas *naves*, Africano tritico graves, "litus Achaïcum prætervectas, Constan-"tinopolin pervolasse." Codices fluctuant inter *navibus* et *manibus*: nos litem feliciter videmur diremisse. Casûs istius insolentia scilicet displicuit librariis. Adeas Oudendorpium, hanc formam nominis asserentem Cæsari, de bell. Gall. v. 1. 2. In Livii xxv. 37. 15. videas adverbium *trepide* dictionibus *sedato gradu* e contra rectissime respondere.

Denique, nomen *pavidus* cognatam significationem aliquoties sibi vindicat. Ita Plinius, nat. hist. xi. 50. "(Aures) in "equis—indicia animi præferunt: fessis "marcidæ, micantes *pavidis*:" ubi rem tantum non tenuit Harduinus. Supersunt multa; sed satis digressi sumus, et redeundum est in viam.

Ver. 598. *vitæ*: P. Vind. Q. Δ. Π. Σ. *vires*.—*reprehendere*: sic P. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *reprendere*.

Ver. 600. *hæc*: V. ed. *hoc*.—*conlabefiunt*: P. V. ed. B. *conlabescunt*. Exemplum autem vocis *conlabefio* non habemus præter depromptum lexicis e Cæsaris bell. civ. ii. 6.

Ver. 602. *quin*: V. ed. Π. *quando*.—*prodita*: P. V. ed. B. *perdita*.

Ver. 603. *tegmine dempto*: vide ad ver. 576.

Ver. 604. *omnem*: P. *omne*: sed vel unus Plauti locus, multis laudatus, receptam lectionem, quam librarii scriptores vix dubitarent solicitare, satis superque vindicat, Pœn. v. 4. 14.

Jupiter, —— per quem vivimus *vitalem ævum*.

Ver. 608. *subcedere*: P. Vind. V. ed. B. O. Q. Π. Σ. Ω. *accedere*; sed ex interpretatione, ut videtur; nam vulgata lectio longe longeque elegantior est. Jam vero *succedere* pro *subire*, i. e. intrare, ingredi, surgere ad, passim frequentatur. Virgilius exemplum ejusdem prorsus structuræ dedit, ad Æn. xii. 234.

Ille quidem *ad superos*, quorum se devovet aris,
Succedet famâ, vivusque per ora feretur.

Ver. 609. *in certâ*: O. Δ. *incertâ*, junctim.—*locatam*: P. Vind. V. ed. Π. Σ. *locatum*; quasi præcesserat *animum*, vice *animam*, in ver. 607. O. *locorum*.

Ibid. *in certâ regione*: vide verr. 141. 617.

Ver. 610. *in parti*: V. ed. *imparti*; Π. *impartim*.—*suâ scit*: V. ed. *sua sit*; Π. *suasit*.

Ver. 611. *quod*: Δ. *quia*.—*si* deest Vind. Δ. Π. Σ.—*inmortalis*: V. ed. *mortalis*. Similiter erratum erat in i. 756. aliter non male tentavissemus ad hunc modum, literâ tantum mutatâ:

——— quod, *si mortalis* nostra foret mens.

Ver. 612. *tam*: sic P. V. ed. B. Δ. Π. Σ. et Lactantius, vii. 12. M. *tamen*: vulgo, *jam*.—*conquereretur*: Σ. *conquererentur*; neque invenuste, varietatis ergo.

Ver. 613. *vestem*. De hac notissimâ pro *humano corpore* metaphorâ, nos pauca diximus ad Silv. Crit. i. sect. 44. et alibi in isto opere, nisi fallimur memoriâ. Similiter Arnobius, lib. ii. p. 73. de *animis*, sermone, quo solet, Lucretiano: "Ut "*percelebrarent* hæc mala, habitare jussæ

Sed magis ire foras, vestemque relinquere, ut anguis,
[Gauderet, prælonga senex aut cornua cervus.]
Denique, quur animi numquam mens, consiliumque,
Gignitur in capite, aut pedibus, manibusve; sed unis
Sedibus, ac certis regionibus, omnibus hæret;
Si non certa loca ad nascundum reddita quoique
Sunt, et ubei quidquid possit durare creatum;

" sunt has partes, et humani corporis cir- " cumjectione *vestiri?*" Confer nostrum, iv. 56. 59. Stobæus, ecl. phys. p. 141. ex Porphyrio, ita scribendus: Αυτης γαρ της μετακοσμησεως εἱμαρμενη και φυσις ὑπο Εμπεδοκλεους δαιμων ανηγορευται·

Σαρκων ΑΛΛΟΧΡΩΤΙ περιστελλουσα ΧΙΤΩΝΙ,

και μεταμπισχουσα τας ψυχας. Statius metaphoram ad Theb. x. 937. adhibuit:

—— sed membra virum terrena relinquunt,
Exsuiturque animus—.

Lactantius: " Mire *exsuitur* dixit: quia " anima exsuitur corpore, ideo *metapho-* " *ram a vestibus posuit.*" Ita scholium istud rectius distinguas. Vetus ibidem scholiastes: " Philosophice, tamquam *exo-* " *sis* quibusdam *vestibus.*" Forte scribendum, " *exoletis* quibusdam vestibus."

Ibid. *ut anguis:* de cujus renovatione sic Alcimus Avitus eleganter, poëm. ii. 126. ubi pro *motibus*, forte *solibus:* vide nostrum, v. 667.

Qualis, vere novo, primis cum mensibus æstas
Præmittit lætos post frigora pigra tepores,
Evadens veterem reparatis *motibus* annum,
Et siccum nitido discingens corpore tegmen,
Procedit coluber; terrarumque abdita linquens,
Præfert terribilis metuendum forma decorem.

De hac re plura desiderantibus impertientur interpretes eruditi ad Tibull. i. 4. 35.

Ver. 614. Sublestioris fidei est hic versiculus. In libris omnibus, præter editionem Pii, desiderari videtur; nam de codicis Bodleiensis testimonio nihil super hoc loco nobis compertum est: prima vox etiam, το *Gaudeπet*, in Lactantio, vii. 12. comparet; sed quæ facile interpolari poterat vel librariis vel editoribus, ut constructio perficeretur. Nos minime dubitamus spurium atque insititium esse versiculum fidenter pronunciare, quum caussam manifestissime deprehensam habere videamur, ob quam scribæ tale assuerint Lucretio supplementum. Hoc scilicet in consuetudine est auctorum purissimorum, et præsertim poëtarum, qui ornatui ac brevitati student, quum novum verbum interponi exspectares, prius positum, sed paullo diversius intelligendum, aliquoties repetendum linquere: quam scribendi rationem sciolis et indoctis fraudi fuisse, unde est quod admiremur? De hac autem sermonis formulâ, ita ex professo disputavimus in hisce notis, ad i. 1085. ut jam nunc otiari liceat: illuc igitur lector amandandus est. Hinc me persuasissimum habeo, locum, hoc pacto constitutum, Lucretii mentem sincerissime exhibere, numeris omnibus absolutam:

Non tam se moriens dissolvi conquereretur,
Sed magis ire foras, vestemque relinquere, ut anguis:

i. e. " non conquereretur, sed gauderet, " vestem relinquere:" quæ non indocti cujusdam glossa contextum processu temporis invasit. Aures insuper nostræ nihil amplius desiderarent, neque periodus præ se mancæ constructionis speciem tulisset, nisi ex opinione præjudicatâ; quia interpolato versui dudum scilicet insueverimus.

Porro, de hoc cervorum more, Plinius, nat. hist. viii. 50. et interpretes ejus consulendi sunt. Incertus auctor in Mæcenatis obitum, lib. ii. epig. 119. ver. 115. apud Anthol. Lat. Burmanni:

Atque ita, multimodis, pro totis artubus, esse;
Membrorum ut nusquam exsistat præposterus ordo?
Usque adeo sequitur res rem, neque flamma creari
Fluminibus solita est, neque in igni gignier algor.
Præterea, si inmortalis natura animaï est,
Et sentire potest, secreta a corpore nostro;
Quinque, ut opinor, eam faciundum est sensibus auctam:

Redditur arboribus florens revirentibus ætas:
Ergo non homini, quod fuit ante, redit?
Vivacesque magis *cervos* decet esse paventes,
Si quorum in torvâ cornua fronte rigent?

Distichon posterius vitiatum est, et dupli-ci viâ emendandi tentaverim. Hac prius:

Vivacesque magis cervos decet esse, *novantes*
Si quorum in torvâ cornua fronte rigent?

Deinde, sed audacius:

Vivacesque magis cervos decet esse paventes?
*Siccorum*que *novâ* cornua fronte *vigent?*

Siccorum utique, sui roboris atque juventutis destitutorum; *aridorum*, senescentium. Conferas Juvenalem, xiv. 251. nos ad Soph. Philoct. 954.

Ver. 615. *animi:* Ω. *animæ.*—Versus integer in M. desideratur.

Ibid. *mens animi.* Plautus, Epid. iv. 1. 4.

Pavor territat *mentem animi.*

Sic alibi noster sæpius, et alii. Cicero, de finn. v. 15. "*Animi* autem, et ejus "*animi partis*, quæ princeps est, quæque "*mens* nominatur, plures sunt virtutes—." Virgilius etiam dignus, qui adscribatur, Æn. iv. 203.

Isque, *amens animi*, et rumore adcensus amaro:

i. e. "*animi mente* privatus." Alibi separatim noster, ver. 403. *mens* et *animus:* de his vero consulas animadversores doctissimos ad Florum, iv. 11. 3.

Ver. 616. *unis:* P. V. ed. Δ. Π. *imis;* quæ facillima est atque usitatissima permutatio: vide ver. 581. Fortassis etiam nonnullis librariis, quæ gentis istius est venustas, *το unis*, in numero scilicet multitudinis, scrupulum injecerit: de quâ re nos ad ii. 917.

Ver. 617. *ac:* Ω. solus; vulgo, *et:* sed illam particulam, quum deamet Lucretius, et frequentet, restituendam censui.

Ibid. *omnibus:* i. e. hominibus: quo quid planius, aut scriptoris menti convenientius? Facessant igitur eo, unde malum pedem tulerint, *omni inhæret*, et *omne ibus hæret*, vel audaculorum editorum interpolationes, vel criticorum doctorum somnia. Unanimi membranarum sincerarum testimonio, non autem commentitiis emendatorum suppositionibus, sobrios decet auscultare.

Ver. 619. *quidquid:* P. *quicquam;* V. ed. B. *quiquam.*

Ver. 620. *pro:* V. ed. B. L. O. *per;* P. *de;* Π. *par:* sed in receptâ lectione nihil difficile est, nihil obscurum, nihil denique non castissime Latinum; adeo ut turbis, quas viri eruditi excitaverint, obstupescam: quorum alii variis conjecturis versum solicitent; alii, ut inculcatum, omnino eliminandum putent. Sensus est planissimus: "Atque ita se res habere multis "modis (ob ingentem scilicet numerum, "quâ animalium ipsorum, quâ membro-"rum corporis) pro totis artubus:" i. e. ad integram structuram et totam artuum magnitudinem; ita ut series partium, et mensuræ proportio, in singulis membris et compositis, undequaque conservetur. Hanc autem vim præpositionis *pro*, longe usitatissimam, si pergerem locis admotis confirmare, insulsorum omnium essem in-

Nec ratione aliâ nosmet proponere nobis
Possumus infernas animas Acherunte vagare.
Pictores itaque, et scriptorum secla priora,
Sic animas introduxerunt sensibus auctas.
At neque seorsum oculei, neque nares, nec manus ipsa
Esse potest animâ, neque seorsum lingua; neque aures
Auditum per se possunt sentire, neque esse.

sulsissimus. Quæ supersunt igitur, nihil moratus, persequar.

Ver. 622. Editores putidissime inferciunt, ita ut plane nauseam nobis provocent, particulam *in* ad finem versûs, exemplaribus omnibus reclamantibus: immemores profecto, in serie nominum, priori substantivo præpositionem sæpissime non præfigi, atque a sequentibus revocandam esse. Nos haud ita pridem diligentius de hac re, ad Bionis idyll. i. 81. quo lector remittendus est. Pudet hæc trivialia attingere: sed aliena inscitia cogit me.

Ver. 623. *est* non legitur in V. ed. B. L. O. Δ. Π. Σ. Ω. nec fortasse perperam. —*gignier:* Δ. *gignitur;* quod, varietatis gratiâ, quam in omnibus sequitur Lucretius ad constructionem orationis suæ adornandam, longe malim: Π. *ginier.*

Ver. 624. *inmortalis:* Δ. Π. *mortalis.* Mox Δ. *primo*, vice *potest.*

Ver. 626. *Quinque:* P. *Quando;* error, a brevitate scripturæ derivatus, unde *quin* et *quando* passim commutantur.—*auctam:* L. M. *auctum.* Similis error est ad ver. 609. ob voces *animam* et *animum* scilicet, idem in hoc argumento nusquam non pollentes.

Ibid. *sensibus auctam.* Sic Catullus, lxiv. 165. in loco elegantissimo elegantissimi carminis:

> Sed quid ego ignaris nequidquam conqueror auris,
> Externata malo? quæ, nullis *sensibus auctæ*,
> Nec missas audire queunt, nec reddere, voces.

Ex his versibus sua Virgilius videtur sumpsisse, ad Æn. vi. 689.

> ——— et notas *audire*, et *reddere*, *voces?*

Sed enim in Catulli loco, ne frigeant sequentia, et omnem prorsus venustatem perdant, reponendum censeo:

> Sed quid ego *ingratis* nequidquam conqueror auris?

i. e. nihil profecturis. "Quid infructuose "cum auris queror?" Vide mox ad verr. 950. 955. 971. Virg. Æn. vi. 213. Voces utique *ingnarus* et *ingratus* negligentia librariorum commiscuit ad Ovid. met. vii. 711. Adi Drakenborchium, in Sil. It. x. 86.

Ver. 628. *vagare:* ita legitur in B. M. Q. pro *vagari*, si fides collatoribus adhibenda est, quam tamen in hoc loco valde suspensam habeo; vero sit quamvis simile, inusitatam formam verbi *vagare*, in activâ voce, librarios ad novandum impulisse: cujus usûs multa nobis exempla Nonius Marcellus congessit, ad vii. 2.—P. L. dant *vacare;* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *vocare:* quod sincerum puto; ut sensus sit: "Neque aliter possumus nobismet "proponere nominare animas defunctas:" i. e. de illis loqui.

Ver. 631. *neque neque:* Δ. *nec nec.*—*seorsum:* V. ed. *sorsum;* vocem scilicet, uti proferebatur, exprimens. Similiter statim infra, et alibi.

Ver. 632. *neque* posterior: vulgo, *nec;* contra libros.—*aures:* L. M. *auris;* errore facili.

Ver. 633. *per se possunt:* Δ. *possunt per se.*—*neque:* Vind. *nec.*

Hoc autem dicit poëta: "Nullum mem-"brum seorsim potest esse anima; quod "omnes haud ægre fatebuntur: neque "rursus potest ullum membrum suo

Et, quoniam toto sentimus corpore inesse
Vitalem sensum, et totum esse animale videmus;
Si subito medium celeri præciderit ictu
Vis aliqua, ut seorsum partem secernat utramque,
Dispartita procul dubio quoque vis animaï,
Et discissa simul cum corpore, disicietur.
At, quod scinditur, et parteis discedit in ullas,

"officio seorsim fungi; ab animâ nempe "separatum. Jam vero animam emana- "visse, tum putrescens cadaver, tum alia "bene multa argumenta, sicuti in supe- "rioribus disputatum est, cumulatissime "ostendunt: ideoque, utcunque corpo- "reas imagines et res gestas animarum "pictores effinxerint et poëtæ, ea omnia "pro fabulis habenda sunt: hæc igitur "*inania corpora* sensu carent; eo utique "caritura, vel solidâ ex materie constan- "tia, postquam anima effugit, ac deperiit, "aëris in auris dissipata."

En! vero versum, quem ex officinâ suâ in contextum importaverint, auctoritate librorum omnium conculcatâ, audacissimi vivorum editores Lucretiani!

Absque animâ per se possunt sentire, *nec* esse.

Ver. 635. *totum:* L. M. *toto;* i. e. nisi ratio me fugit, *totō;* vel, antique, *totom.*

Ver. 636. *præciderit:* P. V. ed. Σ. *præsciderit;* Musis reclamantibus; Π. *præsiderit.* In Vind. totus versus desideratur.

Ibid. *præciderit:* παρακοψῃ. Vox est elegans et efficax in primis; designans vulnus, non profundum et directum, sed superficiarium atque obliquum; quod partem aliquam prominentem, vel in fronte aut extremitate sitam, delibet: vide Ciceronem, de invent. ii. 20. Q. Curtium, iii. 8. 15. Valerium Maximum, ix. 2. 5. Claudianum, de bell. Get. 595. ne plures locos advocem. Hic autem vocabuli sensus Livio non videtur fideliter servatus, ad viii. 24. 14. "Ibi feda laceratio cor- "poris facta: namque, *præciso* medio, "partem Consentiam misere—." Statim intellexi legendum esse, *perscisso:* neque aliud variatio codicis volebat, *præscisso* scilicet.

Ver. 639. *discissa:* M. *discisa.*—*disicietur:* sic præstantissimi codices L. M. Π. pro communi, *disjicietur:* nam vetustiores Romanorum in compositis magis affectabant, *ico* et *icio*, quam *jacio*, quod placuit recentioribus, aut saltem librariis recentiorum: Ω. *dissicietur;* quod eodem redit: sed τȣ *ss* geminati non indigemus; aliud enim suadet tam mos Lucretii constantissimus, elemento simplice contentus; quam consuetudo polysyllabarum vocum, quoties opus sit, producendarum, a Græcis derivata: Δ. Σ. *dissipetur;* quod glossam esse τȣ *disicietur* non inepte judicaveris. Verum enim vero lectores eruditos fortasse demerebor, si hujusce dictionis rationes, locis ex quibusdam collatis, investigem, et persequar diligentius: an probe subductas habeam, aliorum sit judicium; nam res est neutiquam in trivialibus et protritis. Antea autem lector monendus est, nihil omnino commune intercedere *disico* vel *disicio*, et *disseco*, sicuti quidam opinati sunt, pravâ scribendi formâ, *dissico* nempe, decepti.

Prudentius, peristeph. ii. 209. Lucretium videtur in animo habuisse, et simili orthographiâ redonandus est:

> Quum *membra* morbus *disicit*,
> Animus viget robustior—.

Vulgo, *disjicit:* et glossator, qui declarat vocabuli vim per *secat*, *lacerat*, alteram scripturam librorum, *dissicit* dico, secutus est, atque pro *dissecat* accepit: mendosis-

Scilicet æternam sibi naturam abnuit esse.
Falciferos memorant currus abscidere membra
Sæpe ita de subito, permixtâ cæde calenteis,

sime. Iso, *disperdit;* longe melius. Idem rursus, cathem. i. 97.

> Tu, Christe, somnum *disice;*
> Tu rumpe noctis vincula.

Vulgo, *dissice*, quod ineptissime barbarum; vel *disjice;* vulgariter, pro *disice:* ubi veteres glossæ: "Dissipa, effuga, "discute." Undæ variæ lectionis *discute* fons satis aperitur. Accuratam dedit dictionis interpretationem glossarium Philoxeni: "*Disicio*, διαῤῥιπτῶ, διασκορπίζω, "διασπῶ." Simile est de Plauti loco judicium, Curc. iii. 54.

> Clypeatus elephantum ubi machærâ *disicit.*

Nihil certius. Salmasius, quod ei non insolitum, doctissime hariolatur ad locum, et Homeri somnia profundit. Quid memorem Virgilium, Æn. xii. 308. similiter scribendum? Quid Statium, ad Theb. i. 590? Quid Silium, Pun. xv. 730? Quid Lactantium, ii. 8. p. 140? qui locus eis videtur adstipulari, vocis etymon ad *seco* referentibus: sed frustra. *Dissice*, imo *disice;* interpreteris licet *Divide:* sic etiam apud eundem, iii. 17. Sic etiam Sidonius Apollinaris, v. 424. Avienus, orb. desc. 964.

> ——— heic late Rhebas extenditur amnis;
> Rhebas, cyanei qui *disicit* æquora ponti:

i. e. disjicit, dividit, dirumpit. Unde idem castigandus, ad ver. 925.

> ——— juxta protendit Sugdias agros;
> Sugdias, ingenti quam flumine *dissecat* Oxus.

Libri, *dissicit.* Eandem dictionem Wernsdorfius recte restituit, in Iliados epitome, ver. 349. sed minore cum judicio Virgilii Æn. xii. 98. aliâ prorsus ratione versum, cum illo comparavit:

> ——— laterique volatile telum
> Incidit; et tunicam, ferro squamisque rigentem,
> *Dissecat.*

Vulgo, *Desecat:* vix dubitaverim tamen egomet, quin *Disicit* unice vera sit scriptura; i. e. *perrumpit:* tu conferas Virg. Æn. ix. 432. x. 337. Ovid. met. xii. 117. Ex sequioribus tamen Martianus Capella, ix. 4. 17. videtur posuisse *dissiciens*, pro *intersecans:* quem lector adeat, atque super his omnibus suo judicio utatur; collatis etiam iis, quæ dedimus ad ii. 193.

Ibid. *disicietur vis animaï*, cum disjecto corpore. Ammianus Marcellinus, xxiv. 4.—"architectus,—reverberato lapide, "quem artifex titubanter aptaverat fun"dæ, obliso pectore supinatus, profudit "*animam, disjectâ compage membrorum* "adeo ut ne signa quidem totius corpo"ris noscerentur."

Ver. 640. *parteis ullas:* P. V. ed. *partem ullam.*—*discedit:* Π. *descendit.* Et notandum est, sicuti hujusce versûs τo *scinditur* respicit τo *discissa* præeuntis, phrasem *parteis discedit in ullas* similiter pro interpretatione verbi *disicietur* stare, et nostram sententiam de illo eatenus confirmare. Similem autem usum vocis *discedere* perelegantem supra habuimus, in ver. 17. hujusce libri; ad quem locum redeas.

Ibid. Pariter Julius Firmicus, p. 415. ed. Gronov. "Et enim, quod potest di"vidi, corpus est: quod autem corpus "est, necesse est esse mortale: ergo, si "anima dividitur, corpus est: si corpus "est, necesse est sit res mortalis."

Ver. 642. *abscidere:* sic optimi et vetustissimi codices, L. M. Ω. cæteri, *abscindere;* quæ vox multoties nostram expulit, et vicissim cedere loco debet: vide Heinsium et Burmannum, ad Virg. Æn. v. 685. cum commentariis in Prudent. peristeph. x. 975. xi. 65. apoth. 950. Glossarium vetus: "*Abscidit*, ἀποτέμνει, "ἀποκόπτει." Adeas insuper Gronovium, ad Liv. xliv. 5. cum var. lectt. ad Flor. ii. 18. 4. iii. 4. 7. et alios mille lo-

Ut tremere in terrâ videatur ab artubus id quod
Decidit abscisum; quom mens tamen, atque hominis vis,
Mobilitate mali non quit sentire dolorem:

cos. Notionem *violentiæ* indicari credo voce *abscindo*; sed alterâ non item.

Hunc autem locum intuitus fortasse Curtius similia memorat de falcatorum curruum vulneribus, iv. 15. 17. "Amputata "virorum membra humi jacebant; et, "quia calidis adhuc vulneribus aberat "dolor, trunci quoque et debiles *quidam* "arma non omittebant, donec, *vi multâ* "*sanguinis effusi* exanimati, procumbe-"rent." Sic legendum: τὸ *quidam* Bentleii est, cujus collatio codd. duorum penes me est; in quorum altero invenit *quidem*. Vox autem *vi* absorpta est primâ literâ sequentis dictionis, quæ in characteris minusculi codicibus nihil discrepat; nam vulgo legitur:—"donec, multo *sanguine* "*effuso*:" sed unus liber MS. *sanguinis effusi*.

Ver. 643. *calenteis*: P. V. ed. *cadentis*, vel *cadenteis*.

Ibid. Lego, *calentis*, in casu genetivo: vel *calenti*. Favet tamen lectioni vulgatæ Silius, ii. 21.

——— notum, quid *cæde calentibus armis*,
Quantum iræ, liceat; *motus*que quid audeat *ensis*.

Sic etiam noster, v. 1312. BENTLEIUS. Non probo *calentis*, quum anticipet, atque reddat supervacanea, aut saltem frigida, quæ sequuntur, a ver. 645. ad ver. 649. hunc sensum respicientia. Recte referas igitur *calenteis* ad *currus*; quorum velocitati significandæ multum, atque eleganter etiam, inservit. In hanc rem non alienus est Horatius, od. i. 1. 4. quem vexatissimum locum conjecturâ tentabo, quæ minimam vim facit librorum lectioni, si brevitatem scripturæ reputes; et explicat turbatissimam constructionem:

Sunt, quos curriculo pulverem Olympicum
Conlegisse juvat; metaque, *fervidis*
Evitata *rotis*; palmaque nobilis,
Terrarum dominos *quæ vehit* ad deos.

Si locus in morbo cubet, quod liquidissimum videtur, leniorem medicinam vix sperari posse confidenter dixerim. Novi, quibus ita legi placuit:

——— metaque fervidis
Si vitata rotis———:

me saltem judice, conatu longe infelicissimo: inspicias annotata ad v. 624.

Ibid. *permixtâ cæde*. Hinc ne dubites me Virgilio veram suam atque venustiorem longe scripturam redonaturum esse, codicibus invitis licet, ad Æn. xi. 634.

Tum vero et gemitus morientum; et sanguine in alto
Armaque, corporaque, et, *permixtâ cæde* virorum,
Semanimes volvuntur equi: pugna aspera surgit.

Libri dant, *permixti*; sed more minime Virgiliano. Sic ibid. xii. 340.

——— spargit rapida ungula rores
Sanguineos, *mixtâ*que cruor calcatur *arenâ*.

Aliter sane in geo. iii. 516.

——— et, *mixtum spumis*, vomit ore cruorem.

Sed caussa mutationis hac occasione in aperto est: aures nempe delicatissimi poëtæ superbissimas jure absterruit *κακοφωνιας* formido. Rursus, Æn. v. 470.

Quassantemque utroque caput, crassumque cruorem
Ore rejectantem, *mixto*que in *sanguine* dentis.

Sic ad Medicei fidem omnino legendum est, pro *mixtos*; neque aliter censebat Heinsius: conferas Æn. ii. 609. iii. 99. x. 871. Denique, ita summus vates, ad candem sermonis formulam, omnino rescribendus est, in Æn. ix. 349.

Purpuream vomit ille animam; et, cum *sanguine mixto*,
Vina refert moriens.

Libri plures, *mixta*, ad vulgi gustum; quod librariis indoctis reddas: quidam, *mixtam*. Nempe, primitus scriptum est, *mixto*; deinde, *mixtō*, i. e. *mixtom*; tunc,

Et, simul in pugnæ studio quia dedita mens est,
Corpore cum reliquo pugnam, cædeisque, petessit:
Nec tenet, amissam lævam cum tegmine sæpe
Inter equós abstraxe rotas, falcesque rapaceis:

mixtum; denique, *mixtam.* Cæterum, phrasis *de subito* ad amussim quadrat cum Græcâ ἐξαπίνης.

Ver. 644. *tremere ab artubus:* i. e. palpitare. Virgilius eodem modo, Æn. iii. 627.

——— vidi atro quum membra fluentia tabo
Manderet, et tepidi *tremerent* sub dentibus *artus.*

Miror Heinsium, *trepidi* præferentem.

Ver. 645. *abscisum:* ita L. M. Σ. Ω. reliqui, *abscissum.*—*quom:* P. *quando.*—*tamen* deest P. V. ed. Δ. Π. Σ.

Ver. 646. *Mobilitate mali:* i. e. subitanei vulneris celeritate. Virgilius, Æn. iv. 174.

Fama, *malum* quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget——.

Ita locum distinctum esse oportuerat. Et, ne eandem rei naturam poëtâ castissimo bis expressam arbitreris, monendus es, notionem quandam *vigoris,* cum *celeritate* sociatam, in nomine *velocius* contineri. Horatius, epod. xviii. 9.

*Velocius*ve miscuisse toxicum:

i. e. celerius et efficacius: unde venenum simile Suetonius non aberravit cum vocitaret *velocissimum* ac *præsentaneum,* in vi. 33. Neque nomen ὠκὺς Græcorum discrepare judico.

Ver. 647. *simul in:* P. *similis;* V. ed. *similis in.*—*pugnæ studio:* Π. *studio pugnæ;* me probante.—*quod* vulgo: P. *cui;* Δ. *qui:* unde nos *quia,* quod numerosius, reponendum censuimus.
Cæterum, nisi gravissime fallor, scriptura brevior et orthographia vetustior fedissimum errorem huic versui impegerunt, quum Lucretius olim scripserit:
Et simul in pugnæ *studiom* quia dedita mens est: nempe *studiō.* Multi sane, ut Terentius, Q. Curtius, ac Tertullianus, dixerunt *dedere in* cum accusandi casu; sed cum auferendi, opinor, nemo. Non ausus sum tamen, sobriam volens criticen exercere, pro imperio rem administrare plus semel in eodem versu.

Ver. 648. *cum:* Δ. *tum.*—*pugnam:* Π. *pugnas;* sed, quum *pugnæ* statim præcedat, Lucretius haud dubie scripsit:

Corpore cum reliquo *pugnat,* cædeisque petessit.

—*petissit:* V. ed. *petestat;* sed typotheta certissime *t* posuit loco *c,* usitatissimâ permutatione; et codex dedit *petescat,* sicuti in P. comparet: Vind. Δ. Σ. *petescit;* Π. *patescit;* qualia vocem rariorem errata vexare soleant.

Ibid. *petissit,* vel *petessit,* quæ rectior est scriptura, uti ex ipsis Festi verbis, quamvis parum sibi constet grammaticus, liquido patet: "*Petissere* antiqui pro *pe*-"*tere* dicebant; eâ quidem formâ verbi, "quâ sunt *lacessere,* et *incessere*—." Sic etiam meliores libri scribunt infra in Lucretio, v. 808. neque aliter in Cicerone vox bis invenitur exarata, de divin. i. 11. et Tusc. dispp. ii. 25. Glossarium vetus haud dissentit: "*Petesso,* sis, μνῶμαι:" et, "Μνῶμαι, *petesso,* sis." In compositis quidem litera pro more mutata est; ut *Appetisso* in Accii armorum judicio apud Nonium, iv. 8. quamvis in pluribus locis Plauti, Asin. iii. 1. 23. Epid. ii. 2. 70. Trin. ii. 1. 4. et alibi, non aliter, quam *expetesso,* meis exemplaribus ostenditur.

Ver. 649. Lego:

Nec tenet amissam *hic* lævam.——
BENTLEIUS.

Minime necessarium vel in pedestri sermone, nedum in poëtis, sic in omnibus compleri constructionem, ut singula singulis lege severissimâ vicissim respondeant.

Ibid. *tegmine:* i. e. clypeo. Mantua-

Nec cecidisse alius dextram, quom scandit, et instat.
Inde alius conatur adempto surgere crure,
Quom digitos agitat propter moribundus humi pes:
Et caput, abscisum calido viventeque trunco,

nus dictionem similiter usurpat, Æn. ix. 577.

——— ille manum, projecto *tegmine*, demens
Ad volnus tulit——:

et rursus ibidem, x. 887.

——————— ter secum Troïus heros
Inmanem ærato circumfert *tegmine* sylvam.

Ver. 650. *abstraxe:* V. ed. Ω. *abstrasse.* —*rotas:* L. M. Δ. *rotæ;* quod miror: et, quid sibi velit, plane nescio.

Ibid. *abstraxe:* i. e. "cum *violentiâ* "abstulisse et abscidisse." Appositus est Valerius Maximus, ii. 7. 11. "Omnium "enim, qui—transfugerant,—manus *ab-* "*scidit;* ut, trunca præ se brachia ges- "tantes, defectionis metum reliquis inji- "cerent. Rebelles itaque manus, a cor- "poribus suis *distractæ*,—cæteris—docu- "mento fuerunt." Ubi variæ lectiones, *districtæ*, *discretæ*, *disjectæ*, sunt nihili faciendæ. Philoxenus: "*Abstraho*, ἀπο- "χωρίζω." De hoc autem contractionum genere, *abstraxe* dico, pro *abstraxisse*, nos ad i. 986. egimus, et alibi. Plautus, in Trinum. iii. 3. 15. habet *detraxe*. Vide Burmannum, plura exempla hujusce formulæ conferentem, ad Propert. i. 3. 27. Horatius, sat. i. 9. 73.

———————— Hunccine solem
Tam nigrum *surrexe* mihi!

Ver. 651. *instat:* O. *istat;* Δ. *ista.*

Ibid. *cecidisse dextram.* Homerus, Il. Ε. 81.

Τον μεν αρ' Ευρυπυλος, Ευαιμονος αγλαος υἱος,
Προσθεν ἑθεν φευγοντα, μεταδρομαδην ἐλασ' ωμον,
Φασγανῳ αϊξας· απο δ' ἐξεσε χειρα βαρειαν·
Αἱματοεσσα δε χειρ πεδιῳ πεσε—.

Ver. 653. *propter:* P. *prope jam;* et quidam Pii ejusdem codices, *propere*, exhibent; ut editio Juntina: sed omnino male.

Ibid. *digitos agitat moribundus pes.* Virgilium, ad Æn. x. 395. ex hoc loco profecisse Lambinus etiam observavit:

Te decisa suum, Laride, *dextera* quærit;
*Semanimes*que *micant digiti*, ferrumque retractant.

Ubi quidam codd. *descissa:* vide nobis nuper dicta, ad ver. 642.

Ibid. *moribundus pes.* Idem Mantuanus, ibid. ver. 341. ut nihil, quod Lucretius præberet, intactum linqueretur:

*Dextera*que ex humero nervis, *moribunda*, pependit.

Ver. 654. *abscisum:* sic L. M. Σ. Ω. cæteri, *abscissum:* redeas notata in verr. 642. 645. neque aliter codex Mediceus in consimili loco Maronis, Æn. xii. 511.

——————— curruque *abscisa* duorum
Suspendit *capita*——.

His autem scriptis atque constitutis, postmodum incidi in animadversiones eruditas Arntzenii, ad Aurel. Vict. p. 539. quæ sunt dignæ, lector, quas consulas hac re super. Quin etiam operæ pretium fuerit Oudendorpium consuluisse, de verbis *abscissus* et *abscisus*, ad Apul. met. iv. p. 260.

Ibid. *caput abscisum calido trunco.* Neque horum etiam immemor erat idem summus vates, et studiosissimus Lucretii, ad Æn. x. 554. dum Mæonidem potissimum exprimeret:

Tum *caput* orantis nequidquam, et multa parantis
Dicere, deturbat terræ; *truncum*que *tepentem*
Provolvens, super hæc inimico pectore fatur.

Ex quibus manifesto patet, qui successus sit Heinsii, locum demutare proponentis. —Porro, Lucretius hos versus ex duobus Ennii præstantissimis, et Servio ad Æn.

Servat humi voltum vitalem, oculosque patenteis;
Donec reliquias animaï reddidit omneis.
Quin etiam, tibi si, linguâ vibrante, minanti
Serpentis caudâ, et procero corpore, utrumque
Sit lubitum in multas parteis discidere ferro;
Omnia jam seorsum cernes, amcisa recenti
Volnere, tortari, et terram conspargere tabo;
Ipsam seque retro partem petere ore priorem,
Volneris ardenti, ut morsu premat, icta dolore.

x. 396. servatis, effinxit; nec magistrum superavit tamen:

> Oscitat in campeis caput, a cervice revolsum;
> Semianimesque micant oculei, lucemque requirunt.

Conferas Maronem, in geo. iv. 523. Scribonius Largus, de compos. med. sect. 194. —" cogitque exululare, et palpitare lin- " guâ, similiter decollatorum capitibus."

Ver. 656. *reliquias animaï reddidit;* *αφηκε τα λειψανα της ψυχης.* Virgilius, geo. iii. 495.

> Et dulcis *animas* plena ad præsepia *reddunt.*

Ver. 657. Hunc locum longe difficillimum, et lectionibus variis impeditum, integritati suæ, ni fallor, feliciter restitui, nullâ interim a libris optimis discessione factâ, quos alii editores minus observatos habuerunt. Manum lectores, ut spero, dabunt, cum vitia codicum percensuero, et verborum intellectus declaratus commentario procedente fuerit.

Ibid. *Quin:* Π. *Cum.—si:* Π. *sit.—minanti:* Δ. *minaci;* editi vulgares, *minantis;* contra libros omnes.

Ibid. *linguâ vibrante.* Sic passim de *serpentibus* poëtæ, quorum loca copiose congessit Heinsius ad Ovid. met. iii. 34. Pro solito Virgilium apponam, Æn. ii. 211.

> Sibila lambebant *linguis vibrantibus* ora.

Ver. 658. *caudâ:* P. Vind. Q. *caudam;* sed fides penes collatorem sit; Π. *causa;* L. M. *caudæ;* i. e. *cauda ē,* ni fallor, quæ librarius conjunxit; nam aliis omnibus deest *et*, vacillante quamvis constructione.—*utrumque:* Vind. M. Q. *utrimque;* quod mendose relatum puto, vice *utrunque*, vel *utrumque*, librorum reliquorum: et phrasis *utrumque serpentis* eâ est naturâ, quâ *utrum horum, aliud mercedis, hoc noctis,* ac similia centum notissima, et lectoribus passim obversantia. *Utrumque* autem *serpentis* hinc etiam proprietatem habet, quod tum hinc caput finiat, illinc cauda; adeo ut pars utraque serpentem integrum quodammodo referat. Vulgo legitur:

> Quin etiam tibi si linguâ vibrante *minantis*
> Serpentis *caudam* procero corpore, *utrimque*
> Sit libitum—:

in quibus non intelligo, quo sensu το *utrimque* accipiendum sit; et prudenter dissimulat interpres.

Ver. 659. *multas:* Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. *multis.—discidere:* sic L. Δ́. Σ. vulgo, *discindere;* ut P. V. ed. O. Q. quod rectius forsan esset, geminato *s*, *disscindere;* Vind. M. Π. Ω. *discedère;* i. e. opinor, *discædère*, vel *discidere*, sicuti nos edidimus; atque usitatius est in compositis: apud Festum tamen habemus *Ancæsa*, pro *Ancisa*, i. e. *Amcisa;* vasa quædam sic ab antiquis nominata, quod *circum cædendo* talia fiant. Pro *discissos* ad Maronis geo. iii. 514. codex unus præbet *discisos:* et credibile est, exquisitiorem vocem culpâ librariorum scribarum, vulgaria, et suo sensui convenientia, semper an-

Omnibus esse igitur totas dicemus in illis
Particulis animas? at eâ ratione sequetur
Unam animantem animas habuisse in corpore multas.
Ergo divisa est ea, quæ fuit una simul cum
Corpore: quapropter mortale utrumque putandum est;
In multas quoniam parteis disciditur æque.
Præterea, si inmortalis natura animaï
Constat, et in corpus nascentibus insinuatur;
Quur super ante actam ætatem meminisse nequimus,

teponentium, multis in locis, quos primitus occupaverit, desiderari. Saltem scintillulæ veritatis, corruptelarum ruderibus subinde intermicantes, nullâ de caussâ prudentibus sunt editoribus temere negligendæ.

Ver. 660. *amcisa:* Vind. Q. Σ. Ω. Pii codd. prisci, *ancisa*, ad scripturam recentiorem: V. ed. *aversa;* P. O. Δ. *incisa.* De hoc autem vocabulo *amcisa*, videas nonnulla ad versum præcedentem observata.

Ver. 661. *Volnere:* V. ed. *Volnera.*—*tortari: tornari*, quidam Pii codices; Δ. *contari.*—*conspargere:* sic Vind. L. M. Q. Δ. Π. Ω. vulgo, *conspergere.*

Ibid. *tortari:* i. e. *se tortare*, vel torquere. Sic *tortor*, pro *torqueor*, Pomponius apud Nonium, ii. 872. Arnobium emendabimus, ad lib. i. p. 30. "Imperio "ille uno exturbavit a corporibus dæmo-"nas, et exanimatis suos restituit sensus: "sub eodem *tortantes* et illi *succussibus*, "jussione non aliâ, sanitati et constantiæ "reddiderunt." Codices dant *portantes*, et *se casibus.* Emendant quidam, *tortatos:* sed non necesse est tam late discedere; nam in verbis, *motum* significantibus, *activæ* vocis forma, non minus quam *passivæ*, sibi vindicat *mediæ* potestatem; quod nemo sæpius usu comprobavit, quam noster Lucretius: redeas ad ver. 570. hujusce libri. Eundem Arnobium Canterus verissime castigavit ad lib. iii. p. 106.—"alias (deas), telis gravibus et dolorum "acuminibus fixas, ejulare, *tortari*, et in-"ter hæc omnia suppetias Junonis implo-"rare Lucinæ." Libri scripti, *hortari.* Denique glossator vetus adsit: "*Torto*, "*διαστριβλοω.*" Et vicissim in Græcis.

Ibid. *terram conspargere tabo.* Pariter Virgilius, Æn. iii. 29.

Et *terram tabo maculant*——.

Ver. 662. *partem:* V. ed. *partam.*—*petere:* Π. *petes.*

Ibid. Ordo est: "Et partem priorem "*serpentis* ipsam retro petere se ore." Bentleius.

Vere; sed alii non aliter.

Ver. 663. *ardenti dolore.* Maro, Æn. ix. 66.

——————— duris *dolor* ossibus *ardet.*

Ibid. *icta dolore:* i. e. quasi *telis* doloris; ut nuper Arnobius, *acuminibus doloris:* *αχεϊ βεβλημενη*, plures Græci: inspicias notata ad ii. 360. Suaviter Prudentius, perist. x. 579. de S. Romani corpore, sub tormentis perdurante:

Quod perseverans tam resistit nequiter
Sacris vetustis; nec, *dolorum spiculis*
Victum, fatiscit; fitque pœnis fortius.

Addam Virgilium, Æn. vii. 291.

——————— stetit, acri *fixa dolore.*

Ver. 665. *Particulis:* Δ. *Partibus.*—*at:* O. Δ. Π. Ω. *et;* non male, si locus sine interrogandi notâ constituatur: rationem tamen vulgatorum facile prætulerim, librorum vi favente.

Ver. 668. *quapropter:* i. e. quum divi-

Nec vestigia gestarum rerum ulla tenemus?
Nam, si tanto opere est animi mutata potestas,
Omnium ut actarum exciderit retinentia rerum;
Non, ut opinor, id ab leto jam longiter errat.
Quapropter fateare necesse est, quæ fuit ante,

sionem patiatur; de quâ nuper generaliter concluserat, ad ver. 640.

Ver. 669. *disciditur:* sic L. M. Σ. Ω. cæteri, *discinditur;* Π. *discedditur*, pro *discæditur*, opinor; ut supra, ver. 659.

Ver. 670, *inmortalis:* O. Δ. Π. *mortalis.*

Ver. 671. Sic loquitur Ennius:

> Inde venit divinitus pulleis *insinuans se*
> Ipsa *anima.*
>
> LAMBINUS.

Quem locum Lucretius respexit ad i. 117. quod ibidem debuerim admonuisse: sed *non omnia possumus omnes.*

Ibid. *in corpus insinuatur.* Similis est structura Gellio, noctt. Att. iii. 7. "Milites Romani, uti res nata est, *in locum insinuant*, fraudi et perniciei obnoxium." Ubi vides activam formam *insinuo*, ut apud Virgilium quoque, Æn. ii. 229. idem posse, quod Lucretii passiva; ob rationem scilicet, nobis datam nuperrime, ad ver. 661.

Ver. 672. *super ante actam:* V. ed. O. *superante actam.*

Ibid. *ante actam ætatem:* i. e. "ante actam, quam nos nati simus, et se anima in corpus insinuarit:" conferas ver. 844. Mirifice Creechiana interpretatio: "Quam ob caussam *vitæ* ante actæ memores non simus?" Quasi scilicet omnis omnium rerum memoria humano generi excidisset.

Porro, post hunc versum repetitur ver. 678. in P. Vind. V. ed. Q. Δ. Π. Σ. sed omnino male.

Ver. 673. *vestigia tenemus.* Ita Virgilius, ad Æn. v. 331.

> ———————— *vestigia* presso
> Haud *tenuit* titubata solo——.

Cæterum, *rerum* Π. codex omittit, et inculcat insuper *esse* post *ulla.*

Ver. 674. *est animi:* P. V. ed. Vind. L. M. Σ. Ω. *animi est:* sed hac cæsuræ potestate non solet abuti Lucretius, ad nonnullorum poëtarum consuetudinem.—*mutata:* P. *vitiata.*

Ver. 675. *Omnium:* sic P. Vind. V. ed. B. Q. Δ. Ω. vulgo, *Omnis;* Π. *Omnibus*, omisso *ut.*

Ibid. *exciderit retinentia.* Eodem modo vocem adhibuit Virgilius, Æn. i. 25.

> Nec dum etiam caussæ irarum, sævique dolores,
> *Exciderant* animo——.

Ibid. *retinentia.* Vox μνήμης· neque enim alibi quam apud Lucretium reperitur: significat autem recordationem. Faber.

Ver. 676. *longiter:* ita Δ. Π. Σ. ut Sosipater Charisius, p. 183. et Nonius Marcellus, xi. 49. mendose tamen exhibens *lecto rati*, vice *leto errat;* vulgo, *longius:* et sane extra Lucretii pomœria dictio non videtur inveniri.—*errat:* Π. *erat.*—Cæterum, quod rarissimum evenit, notari dignum est, codices utique optimos et antiquissimos hac occasione falsos deprehendi, τὸ *longius* vulgarium editionum præbentes.

Ver. 677. *quæ fuit ante:* i. e. "anima illa, vel animarum ea portio, quæ dudum inerat humano generi, et ætatem præteritam occupabat, jam periit, quum memoria rerum gestarum interciderit; et ea anima, quæ nunc homines agitat, tum demum cœpit vivere, cum primitus recordari cœperit."

Ver. 679. *perfecto:* V. ed. B. Ω. *profecto.*

Ver. 680. *est animi:* V. ed. B. L. M. Π. Σ. Ω. *animi est;* eundem per errorem, quem habuimus ad ver. 674. nam a me nequeo impetrare, ut non errorem putem.

Interiisse; et, quæ nunc est, nunc esse creatam.
Præterea, si, jam perfecto corpore, nobis
Inferri solita est animi vivata potestas,
Tum, quom gignimur, et vitæ quom limen inimus;
Haud ita conveniebat, utei cum corpore, et unâ

—*vivata:* Π. *innata;* qui facilis error est ob consimiles elementorum ductus: vide sis ver. *557*.

Ver. 681. *quom* secundum deest Δ. Π. quasi legendum vellent:

Tum, quom gignimur, et *vitaï* limen inimus:

quæ non spreverim, quum usitatior sit hæc aberratio in scriptis exemplaribus Lucretii: vide ii. 1062.—*limen:* P. O. *lumen;* quam confusionem vidimus ad ii. 959. de illâ autem, et ipsâ phrasi *limen vitæ*, docte Burmannus commentatus est, ad Anthol. Lat. iv. epig. 324. Hinc fortasse Cicero in Arateis, ver. 472. emendari debet:

Dum Nepa et Arcitenens invisant *limina* cœli:

vulgo, *lumina:* nam vox *invisant* τῷ *lumina* minus commoda videri potest; vide me ad Virg. Æn. vi. 829. Nec dissimulem tamen ver. *524*. ejusdem carminis Ciceroniani vulgatæ dictioni adstipulari, et conjecturæ nostræ probabilitatem infirmare:

Inde, Sagittipotens superas quom *visere luces*
Institit, emergit Nisi caput.

Ad quem locum, ut id obiter moneam, Grotius male rem administravit. Eodem modo libri turbant ad Claudianum, in prim. cons. Stil. ii. 63:

——— *vitæ*que et *lucis* in ipso
Limine:

in quo versu se dat infelicissimum Burmannus, dum vult *laudis*, pro *lucis*, inculcare; quasi *vitæ et lucis limine* non per hendyadem optime dicatur more poëtico, pro *limine vitalis lucis.* Haud multo aliter Horatius, od. iv. 8. 14.

Per quæ *spiritus et vita* redit bonis
Post mortem ducibus.

Cæterum, V. ed. *lumine;* perperam: sed, si codices in *limine* consensissent, non ausus essem rejicere, quum primores poëtarum non raro compositis verbis eundem casum nominis applicent, qui solitariæ præpositioni convenit.

Ibid. *vitæ limen.* Marius Victor, in gen. iii. 280. de Abrahamo:

——— primo a *limine vitæ*
Verum mente Deum venerans.

Gemella est Homerea phrasis, Il. Ω. 487.

——— *ὀλοῷ ἐπὶ* ΓΗΡΑΟΣ ΟΥΔΩ.

Neque Statius, Theb. v. 260. accesserit intempestivus, Gratiarum Venerumque haud alienus:

——— positique patrum super ora gementûm,
Semineces pueri, trepidas in *limine vitæ*,
Singultant animas:

i. e. "trepidantes ad ipsum limen, gradu "nondum firmo nec stabilito satis, utpote ingredientes tantum quod lubricum et ignotum locum." Ita capienda est auctoris mens, si velis elegantias ejus degustare. Interpretationi meæ lumen injiciet Virgilius, Æn. x. 283.

——— ultro obcurramus ad undam,
Dum *trepidi*, egressisque *labant vestigia prima*.

Adeas eundem Thebaïdos auctorem ad v. *535*. silv. ii. 1. 38. iv. 2. 13. Idem, ibid. v. 3. 72.

——— mihi *limine* primo
Annorum, et viridi, genitor, ceu raptus ab ævo,
Tartara dura subis.

Ita conjeceram rescribendum, pro *Fatorum:* neque aliter Marklandus. Jam vero vellem perlegas, quæ dedimus ad ii. *576*. superius.

Ver. 682. *Haud:* P. *Aut;* Σ. *Hac.*—*ita* deest Π.

Ibid. *Haud conveniebat:* quum scilicet perfecta, et maturitatem suam adepta,

Cum membris, videatur in ipso sanguine cresse:
Sed, velut in caveâ, per se sibi vivere solam
Convenit, ut sensu corpus tamen adfluat omne.
Quâ re, etiam atque etiam neque originis esse putandum est
Experteis animas, nec leti lege solutas:
Nam neque tanto opere adnecti potuisse putandum est
Corporibus nostris, extrinsecus insinuatas;
(Quod fieri totum contra manifesta docet res:

corpus intraverit; adeoque simul cum infante crescere videri ratione nullâ potuerit.

Ver. 683. *in:* Π. *et;* quod primo intuitu fortasse non displiceat: sed vulgatis adhærendum arbitror; committas ver. 43. Idem liber mox *causâ*, pro *caveâ*.—Cæterum, hujusce formulæ, *cresse* scilicet, magnam copiam volentibus præbebit diligentissimus atque accuratissimus Drakenborchius ad Liv. vi. 18. 10. Quam valde talibus noster Carus delectabatur, in superioribus plus semel admonuimus.

Ver. 685. Nonnulli, prave sentientes, neque carminis Lucretiani meracissimam simplicitatem atque ubertatem vere lacteam probe degustantes, hunc versum pro spurio habuerunt, imo de contextu non dubitaverunt exterminare: sed consilio pessimo usi, et audacissimo. Ita concipiendum est poëtæ absolutissimi argumentum, quo nihil evidentius ac facilius æstimatores æqui desiderabunt: "Quoniam anima, omnimodis perfecta, primitus in corpus venerit, neque cum membris, gradatim crescentibus atque maturescentibus, concreverit et maturuerit; in promptu est arbitrari, eam his membris, cum quibus nihil habeat commune, nisi ut agitet vivificetque, nullo modo promiscue immiscere; sed domicilium solitarium tenere, ut rex in arce, unde virtutes ejus dominatrices in omnem partem dispergantur. Quomodo enim vis immortalis, extrinsecus insinuata, mortali fabricæ tantopere penitus annectatur?"

Ibid. *adfluat:* "quasi *scaturigo* quædam scilicet salubris, aridum corpus permeans reficiensque." Hac translatione in hoc negotio Lucretius valde delectatur: videas verr. 582. 699—702. nec minus elegantem, quam in hoc loco, se dedit ad ii. 262.

———— *motus* per membra *rigantur.*

Sed dies me deficeret, omnes hoc genus venustates Lucretianas recensere cupientem.

Ver. 686. *neque:* ita P. V. ed. O. Π. Σ. Ω. vulgo, *nec.*

Ver. 687. *leti solutas:* V. ed. *uti solitas.*—*lege:* Π. *longe.*

Ibid. *leti lege solutas.* S. Paulus, ad Rom. viii. 2. 'Ο *γαρ νομος του πνευματος της ζωης εν Χριστῳ Ιησου* ΗΛΕΥΘΕΡΩΣΕ *με απο του* ΝΟΜΟΥ *της ἁμαρτιας και του* ΘΑΝΑΤΟΥ.

Ver. 688. *tanto opere:* i. e. tantâ curâ studioque; atque adeo, per consequentiam, "tam arte uniterque."—Cæterum, vox *potuisse* deest Π.

Ver. 691. *Namque:* V. ed. *Nam quæ.* —*connexa est:* P. *connexæ;* i. e. animæ corporibus: non male; sed, ob nimiam evidentiam, correctorem sapit. Varietatem constructionis Lucretio passim quæri, jam nobis multoties contigit admonere.

Ver. 692. *sensu participentur.* Sic in voce passivâ eodem verbo Plautus etiam usus est, in Truc. iv. 2. 35.

Si volebas *participari*, auferres dimidium domum:

et ad idem regimen, mil. glor. ii. 2. 107.

Namque ita connexa est per venas, viscera, nervos,
Ossaque, utei dentes quoque sensu participentur;
Morbus ut indicat, et gelidaï stringor aquaï,
Et lapis obpressus subitis e frugibus asper)
Nec, tam contextæ quom sint, exire videntur
Incolomes posse, et salvas exsolvere sese
Omnibus e nervis, atque ossibus, articulisque.
  Quod, si forte putas, extrinsecus insinuatam,

Nam ille non potuit, quin *sermoni* suo aliquem familiarium
Participaverit de amicâ heri—.

Ver. 693. *Morbus et gelidaï:* V. ed. *Morbibus gelidi.*

Ibid. *Morbus:* i. e. "non tantum dolor dentium, quoties exesi sint, aut fracti, aut alioquin morbosi; sed quoties extrinsecus venientibus incommodentur." Ita locus intelligendus est.

Ibid. *stringor aquaï:* "aqua horrore nempe et frigore præstringens;" i. e. oris superficiem feriens. "Stringere, *percutere*," Nonius, iv. 442. laudans Virg. Æn. ix. 295. Livius xxii. 51. "Adsurgentes quidam ex strage mediâ cruenti, quos *stricta* matutino *frigore* excitaverant vulnera, ab hoste obpressi sunt." Fert suppetias Horatius, sat. ii. 1. 61.

——— majorum ne quis amicus
Frigore te *feriat.*

Hinc, ob asperiorem corporis tractationem, *mordere* dicuntur *frigora* ab eodem Horatio, et aliis; quasi foret illidens nobis suos dentes animal quodlibet.

Ver. 694. *Et lapis:* Ω. *E lapsis.*—*subitis:* B. *subitus;* Π *subinis.* Vulgo, *sub dente.*

Ibid. *subitis:* i. e. "frugibus lapidosis dentes *subeuntibus:*" quam verbi usitatissimam potestatem nos strenue ventilavimus, ad ii. 363. Tantilla res, nemini percepta, viros eruditos adeo habuit exercitos, ut concertavisse videantur, uter utro pluribus correctionibus, contra membranarum purissimarum fidem factis, gravius Lucretium corrumperent, et obliterarent. Neque aliam depravationem Valerio Flacco meditabatur Heinsius, eâdem de caussâ minus intellecto, in notis ad Argon. ii. 50.

An non experti, *subitus* cum, luce fugatâ,
Horruit *imbre* dies?

nempe, "dies subitus imbre:" i. e. interceptus imbre; quem imber subiit. Tempestivus adveniet Messalæ Corvini locus, de Augusti progenie, cap. 23. quem et interpretabor et resarciam: "Superfuit Romulus; qui demum, victis Fidenatibus ac Veientibus, ad Capreæ paludem concione habitâ, *subito* turbine et imbre lumine solis adempto, inter fulgura et obstrepentia cœli *murmura* ereptus, nusquam apparuit." Ordo est: "Lumine solis adempto per turbinem *subortum* et imbrem." Et MS. dat, "fulgura *et* obstrepentia cœli ereptus:" unde expulerunt editores τὸ *et*; quum manifestissimum sit vocem aliquam desiderari. Hinc salus Ammiano Marcellino, ad xxx. 6. vestigiis membranarum lectis pressissime: "— *et repente subito* sanguine, letali sudore perfusus,—ad conclave ductus est intimum:" i. e. "sanguine statim per vomitum *subeunte*, vel surgente, et irruente." Vulgo, *erumpente subito;* sed libri MSS. *ecrepene cubito*, vel *egre pene cubito.*

Ver. 696. *salvas:* V. ed. *solvos;* P. *solas.* Forte:

——— et *lotas* exsolvere sese:

i. e. non discerptas, sed laceratas, i[illegible]

Permanare animam nobis per membra solere;
Tanto quoique magis, cum corpore fusa, peribit.
Quod permanat enim, dissolvitur: interit ergo.
Dispartita ergo per caulas corporis omneis,
(Ut cibus, in membra atque artus quom ducitur omneis,
Disperit, atque aliam naturam subficit ex se)
Sic anima atque animus, quam vis integra recens in
Corpus eunt, tamen in manando dissoluuntur,
Dum, quasi per caulas, omneis diduntur in artus

perituras: vide ver. 640. 641. Sed nihil sine libris novandum est. Porro, in versu præcedente, V. ed. habet, *videtur.*

Ibid. *exsolvere.* In gemello usu Virgilius, ad Æn. xi. 829.

——————— Tum frigida toto
Paullatim *exsolvit* se *corpore*—.

Neque aliunde, quam ex hac colligatione corporis et animæ, proprietas locutionis petenda est ad Æn. iv. 652.

Adcipite hanc *animam*, meque his *exsolvite* curis.

Arnobius, lib. ii. p. 65.—" cum dies mor-" tis advenerit, et *corporalibus* fueris *vin-" culis exsolutus.*" S. Lucas, evang. ii. 29. Νῦν ΑΠΟΛΥΕΙΣ τὸν δοῦλόν σου, Δέσποτα, κατὰ τὸ ῥῆμά σου, ἐν εἰρήνῃ. Sic etiam Tullius, et alii permulti.

Ver. 699. *Permanare:* V. ed. B. Π. *Permanere:* ut rursus Π. ad ver. 701.

Ibid. *Permanare:* i. e. " non in caveâ " quasi constrictam, sibi per se solam vi-" vere; et ex suo domicilio sensum per " omnes artus diffundere;" ut ver. 684. cui nunc contrariam positionem noster comminiscitur.

Ver. 700. *quoique:* P. Q. Π. Σ. *quæque*, non incommode prorsus; O. Ω. *quippe;* Vind. V. ed. B. L. M. Δ. *quique;* unde veterem scripturam *quoique* viri docti recte excuderunt, quos ipsi libenter sequimur.

Ibid. *cum corpore fusa:* anima nimirum. Virgilius, Æn. i. 98.

——— tuâque *animam* hanc *effundere* dextrâ!

Quemadmodum idem rursus, ibid. xi. 665. locutus est:

——— quot humi morientia *corpora fundis?*

Ver. 702. *Dispartita:* omnes libri, *Dispartitur;* nec versu, nec constructione, permittente.—*ergo:* sic V. ed. L. M. Π. Σ. reliqui, *enim;* unde, quamvis Lucretius eandem dictionem ex proximo repetere non reformidet, malim equidem reponere in hoc loco:

Dispartita *et enim* per caulas—.

Ibid. *caulas corporis.* Sic alibi Carus locutus est, et plus vice simplici. Paullo aliter Virgilius, ad Æn. ix. 580.

——————— abditaque intus
Spiramenta animæ letali volnere rumpit.

Caulæ corporis itaque foramina sunt, vel pori, per quos anima exspiratur.

Ver. 703. *ducitur:* Π. *dicitur;* unde conjecturâ assecuti eramus nostram lectionem, quam diserte proferunt Vind. V. ed. B. O. Q. Σ. reliqui, *diditur;* quod tritius, et minus rei proprium. *Ducitur* nempe, ἕλκεται, *trahitur, hauritur:* vide sis nostram Silv. Crit. i. p. 142. nam *ducere*, pro *bibere*, pervulgatum est. Noster haud minore cum elegantiâ se dedit supra, ad i. 353.

Quod *cibus* in totas, usque ab radicibus imis,
Per truncos, ac per ramos, *diffunditur* omneis.

In hac translatione torrentissimus Arnobius non veritus est Lucretium suum æmulari, lib. v. p. 163.—" illo tempore,

Particulæ, quibus hæc animi natura creatur:
Quæ nunc in nostro dominatur corpore, nata
Ex illâ, quæ tunc peritât, partita per artus.
  Quapropter, neque natali privata videtur
Esse die natura animæ, nec funeris expers.
  Semina præterea linquuntur, necne, animaï
Corpore in exanimo? Quod, si linquuntur, et insunt,
Haud erit, ut merito inmortalis possit haberi;
Partibus amissis quoniam libata recessit.

"quo in utero lapidis fuit clausus, quibus "*alimoniis irrigatus* est, quibus *succis*?"

Ver. 704. *atque aliam subficit ex se.* Virgilius, geo. iii. 65.

> *Atque aliam ex* aliâ generando *suffice* prolem.

Cæterum, pro *Disperit*, Π. *Dispergit.*

Ver. 705. *quam vis:* V. ed. B. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. *quamvis est;* quibus omnibus, præter M. deest *in*. Transposita sunt insuper dictiones *anima* et *animus* in Π.

Ibid. *recens:* i. e. primitus, adverbialiter; uti pariter ille Mantuanus, geo. iii. 156.

> Sole *recens* orto——.

Glossarium vetus: "*Recens*, νεωστί." Ut Plautus, Capt. iii. 5. 60. "*Recens* captum hominem." Dictys Cretensis, ii. 25.—"eorumque fortia facta, ac *recens* "partam gloriam—." Sallustius, hist. i. apud Sosip. Charis. instt. gramm. ii. p. 192. "*Recens* scripsi." Plura si velis, inveniri possunt in lexicographorum corpore.

Ver. 706. *dissoluuntur:* i. e. separationem subeunt, ac discidium; adeoque, interitum: vide verr. 640. 701.

Ver. 707. *diduntur:* Π. *dividuntur:* de quo errore diximus ad ii. 1109. et alibi.—*in artus:* V. ed. *martus;* quod indocti et inexperti in primis commissum est. In versu sequente, idem liber *hic*, pro *hæc*.

Ver. 710. *peritât:* sic. P. V. ed. Vind. Q. Δ. Σ. Ω. Π. autem, *perurit;* L. M. *periit:* haud dubie ex interpretatione. *Peritât* nempe, pro *peritarat*, ut *inritât*, i. 71. et has contractiones Lucretio frequentatas esse, quis ignorat? vide modo ver. 683. v. 445. Plautus, Pœn. prol. 50.

> Ne et ipsæ sitiant, et pueri *peritent* fame.

Vetus glossator: "*Perito*, as, ἀπόλλυμαι."

Ibid. *peritât:* i. e. jam perierat, et se mortalem esse demonstraverat, quum discinderetur, et in artus dispergeretur.

Ver. 712. *nec:* ita P. V. ed. O. Δ. Σ. Ω. reliqui, *neque*, præter Π. qui, *ne*. In præeunte, Δ. *nec*.

Ibid. *die natali animæ;* ut *mundi* Hilarius, gen. 9. sic emendandus:

> Dignum opus et justum est, semper tibi dicere grates,
> Omnipotens mundi genitor, quo principe cuncta
> *Natalem* sumpsere *diem;* atque, exorta repente,
> Post tenebras *stupidi* spectarunt lumina *cæli*.

Libri, *stupido cælo.*

Ver. 714. *in* abest Π.—*quod:* Δ. *qui.*—*insunt:* Π. *insint.*

Ver. 715. *Haud:* V. ed. *Aut.*—*inmortalis:* Σ. *mortalis.*

Ver. 716. *libata:* i. e. detrita, deminuta. Hinc Arnobius, lib. ii. p. 64. de *animâ* itidem verba faciens: "Quod enim "—ab legibus dissolutionis tutum est,—"*illibatum* necesse est permaneat, et *in*"*tactum*." Redi ad ver. 24. Huic translationi non abludit illud Virgilianum, Æn. xii. 376.

> ——— summum *degustat* volnere corpus:

i. e. delibat; cujus locutionis origo ad Homerum referenda est, in Il. Υ. 258.

Sin ita, sinceris membris ablata, profugit,
Et nullas parteis in corpore liquerit ex se;
Unde cadavera rancenti jam viscere vermeis
Exspirant? atque unde animantum copia tanta,
Exos et exsanguis, tumidos perfluctuat artus?
  Quod, si forte animas extrinsecus insinuari

——————— *ἀλλ', ἄγε, θᾶσσον*
ΓΕΥΣΟΜΕΘ' *ἀλλήλων χαλκήρεσιν ἐγχείῃσιν.*

Ver. 717. Bentleii demiror judicium, conjecturalem emendationem Fabri probans:

> Sin ita *sincera ex* membris——:

libris omnibus lectiones vulgatas confirmantibus. Nempe, communi morbo viri doctissimi tentabantur, poëtæ mentem minime percipientes. Per *membris* utique intelligere debemus "partes *animæ*, non "*corporis;*" quas noster variato nomine nuper *particulas* vocitabat, ver. 708. *Sinceris* scilicet est *indelibatis*, *non præfloratis*, uti Pius elegantissime exposuit; *puris*, *intactis:* sic passim alias.

Ver. 718. *Et:* sic L. M. O. Ω. reliqui, *Ut.* Nihil interest: hoc autem magis videtur emendatorem sapere.—*nullas:* P. *nullam.*

Ver. 719. *cadavera:* P. O. Ω. *cadavere;* non male, si hac ratione interpungas, et rescribas cum V. ed. etiam:

> Unde *cadavere*, rancenti jam viscere, *vermes*
> Exspirant?

ut τὸ *Exspirant* intransitive capiatur, ad delicias Lucretii. Et sane hanc loci constitutionem doctiorem et venustiorem judico.—*rancenti:* V. ed. B. *recenti*, vocabulo rariore decepti.—*viscere:* P. V. ed. O. Σ. *vivere.*—*jam* desideratur in Π.

Ibid. Quidam codices *cadavere*, et *effervent.* Lego:

> Unde *cadaveri'* rancenti jam viscere *vermes*
> *Effervent?*

Arnobius, lib. vii.—"*viscera fervescere* "*vermibus*, et *fluctuare.*" BENTLEIUS.

Quos codices autem vir egregius memorat, ego quidem juxta cum ignarissimis ignoro. Nihil mutandum arbitror.

Concludit igitur poëta, partem animæ in cadavere relinqui; animamque adeo ipsam mortalem esse, quum discerpatur in partes.

Ver. 720. *animantum :* Π. *animatum;* Gassendus, *animarum;* ingeniose: sed a libris non discedendum est.

Ibid. *Exspirant*, quasi *animas* scilicet, *animatos vermes.* Virgilius, Æn. xi. 883.

> Confixi, *exspirant animas*——.

Ibid. *copia tanta perfluctuat.* Apuleius, met. vi. p. 400. de innumerabili formicarum agmine: "Ruunt aliæ, super-"que aliæ, sepedum populorum *undæ*—." Committas Virg. geo. ii. 462.

Ver. 721. *tumidos:* V. ed. Nonius, ii. 267. versum laudans, *timidos.*

Ibid. *Exos.* Vocem bene declares Orosii verbis, hist. iv. 8. "Vermis, cui spinæ "rigor non est." Arnobius, lib. iv. p. 131.—"si *exos* genus humanum, velut "quidam *vermiculi*, nasceremur." Glossarium vetus: "*Exos*, ἄνοστος." Lege, ἀνόστεος. Serenus Samonicus, de med. ver. 677.

> Nec non e stagnis cessantibus *exos* hirudo
> Sumitur——.

Cum his autem compares velim poëtam nostrum, ad iv. 1265.

Ibid. *tumidos:* i. e. "tumescentes, et "quasi prægnantes, partu vermium erum-"pentium, atque superficiem cadaveris "extollentium." Ornatissime. Ex hac "translatione, ni fallor, pendet etiam Vir-"gilius, geo. ii. 324.

> Vere *tument* terræ——:

parturientes scilicet. Elegantissima est

Vermibus, et privo si corpore posse venire,
Credis; nec reputas, quur milia multa animarum
Conveniant, unde una recesserit: hoc tamen est, ut
Quærundum videatur, et in discrimen agundum;
Utrum tandem animæ venentur semina quæque
Vermiculorum, ipsæque sibi fabricentur, ubei sunt:

Servii glossa: " *Tument*, suspenduntur;" solo nimirum putrescente, et soluto; committas ibid. i. 44. 68.

Ibid. *perfluctuat.* Elegantiam, proprietatem, atque evidentiam, hujusce dictionis ægre pro merito laudet aliquis et admiretur satis: adeo rem ex omni parte feliciter depingit; sive *multitudinem* vermium, quam latenter designat, contempleris, sive motus animalium, se *undatim* protrudentium. Hinc Apuleius, met. x. sub fin. " Leviter *perfluctuante* spinu-" lâ, et sensim annutante capite, cœpit " incedere—." Ubi consulas editores. Idem, met. iii. p. 213.—" membris levi-" ter *fluctuantibus*—." Similiter Arnobius, lib. ii. p. 73. verbis usus improbâ curiositate concinnatis:—" ut—coxendici-" bus sublevatis lumborum crispitudine " *fluctuaret?*" Idem rursus, lib. vii. p. 239.—" clunibus *fluctuare* crispatis—;" quod per *extortis* (i. e. se vehementer torquentibus) *clunibus* Petronius extulit in cap. xxi. Addam Manilium, i. 423. pereleganti carmine commendatum:

Quam propter Cetus, convolvens squamea terga,
Orbibus insurgit tortis, et *fluctuat* alveo.

Hospites autem in hac venustate ne credas Græcos. Testis sit Achilles Tatius, i. 12. 'Ο δε ἱππος, τῃ των ποδων κυρτεμενος ἁμιλλῃ,—δικην νηος χειμαζομενης, τοις νωτοις ΕΚΤΜΑΙΝΕΤΟ.
Sed de hac re satismulta.
Hinc Nicander, in ther. 295. viam *serpentis*, quasi *navigationem*, feliciter exhibuit, ob *undantem* motum animalis:

——— βαιον ΠΛΟΟΝ ειςιν ΟΚΕΛΛΕΙ·

Ver. 723. *privo:* sic levissimam per mutationem ausus sum ex conjecturâ reponere, Lucretii ipsius sensu atque argumento deposcentibus: i. e. " Si vermes " proprias animas et corpora propria, non " putri cadavere derivata, possidentes, ibi " convenisse arbitreris." Hæ sunt lectionum varietates: *privo si:* P. Vind. L. M. Δ. Σ. *priva si;* V. ed. *privasse si;* O. *privos in;* Π. *prima in;* Ω. *privas in.*—*corpore:* sic. P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Ω. reliqui, si rem probe teneo, *corpora;* ut ex nostris etiam Σ. liber. Verum enim vero, usque adeo non sum amator mei, et apud animum meum tam confirmato proposito semel statueram veterum exemplarium auctoritatem conjecturis minime necessariis anteponendam esse, Nonii lectiones, cap. ii. sect. 694. omnino admisissem, si probe intellectas habuissem, et hac ratione argumentum loci prospere procedere visum esset:

——— et *privas in corpora* posse venire.

Alii rem expendant: nos enim, quod nostra quivit mediocritas, strenue effecimus, et doctioribus parati sumus auscultare.

Ver. 724. *Credis:* Π. *Credit.*—*quur,* vel *cur:* Π. *qur;* antiquioris scripturæ, quam nos adoptamus, subinde tenax.—*milia:* sic V. ed. redeas ad ii. 538. Cledonius in Putschii collectaneis, p. 1091. " In plura-" li *mille* declinatur, *milia*, *milium*, *mi-*" *libus*, uno *l* sublato; ut,
" *Milia* multa daret leto—." (Virg. Æn. v. 806.) Beda, de orthographiâ, ibid. p. 2339. " *Mille* per duo *l*, licet *milia* per " unum *l* scribatur." Aliâ erat sententiâ Cassiodorus, p. 2295.

Ver. 726. *discrimen:* Vind. O. Q. Δ. *discrimine;* constructione quidem minus tritâ, sed, si penitius attendas, non de-

An quasi corporibus perfectis insinuentur.
At neque, quur faciant ipsæ, quâ reve laborent,
Dicere subpeditat; neque enim, sine corpore quom sunt,
Solicitæ volitant morbis, alguque, fameque:
Corpus enim magis hiis vitiis, et fine, laborat;

teriore. Mantuani versus, Æn. i. 574. est in pervagatissimis:

Tros, Tyriusque, mihi nullo *discrimine agetur.*

Ver. 727. *Utrum animæ:* i. e. Utrum animæ disquirant particulas materiæ illius, e quâ corpora vermiculorum constant, in quam collectam et conglobatam se immittunt, suaque sibi domicilia fabricentur; an, sine hac investigatione corporibus vermium jam alio opere perfectis incidant, et se insinuent.

Ver. 728. *ipsæ:* V. ed. *ipsa.*—*sint:* L. M. O. *sunt;* quod admisi.

Ver. 729. *quasi perfectis:* i. e. "quasi "fuerint sibi factæ, et in usus proprios "formatæ." Reponunt editores *jam*, pro *quasi*, libris omnibus antiquis reclamantibus. Actum est de veterum monumentis, si sint nobis nunc dierum, subtiliores linguæ demortuæ proprietates minime callentibus, sic temerariis manibus conscribillanda. Cæterum, vocabulo *quasi* noster alibi usus est peculiariter: videas modo ver. 816. hoc libro.

Ver. 730. *At:* Π. *Aut.*—*neque:* Δ. *nec.* —*faciant:* Vind. O. Σ. *faciunt.*

Ver. 731. *subpeditat:* P. *suppeditant.*—*sunt:* Vind. B. Q. *sint.*

Ibid. *Dicere subpeditat:* i. e. *τo dicere*, nominativi casûs officio fungens. Hic autem verbi *suppedito* usus intransitivus jam notus est ex ipso Lucretio, i. 548. et Tullio frequentatur.

Ibid. *neque enim:* i. e. ægre dicas animas tanto opere sibimetipsis infensas esse, ut ægritudines adventitias venentur, et corporeis incommoditatibus se libenter implicent; a quibus, carneorum involucrorum liberæ, longissime remotæ vivunt.

Ver. 732. *Solicitæ:* O. *Solicitent;* Δ. Σ. *Solicitant;* Π. *Solicitat.*—*volitant:* P. V. ed. Δ. Σ. *evolitant;* perperam: attracta est utique præcedentis vocabuli finale elementum.—*algu:* omnes libri, *algo;* et Nonius Marcellus quoque, ii. 28. quum vero ponatur Lucretii locus inter exempla formæ, *algus*, *ûs*, quartæ declinationis, ex Accio, Varrone, et Lucilio, dubitari nequit, grammatici codices vitiatos esse. Sosipater Charisius, instt. gramm. i. p. 23. formam exhibet Hoc *algu;* et p. 98. citat Plautum, Rud. ii. 7. 24.

Tu vel suda, vel peri *algu*—.

Priscianus, lib. vi. p. 699.—"etiam hic "*algus*, hujus *algûs* dicitur." Deinde, versum eundem Plauti laudat, et alterum ex Vidulariâ; quem nescias an trochaïcus sit, an iambicus, adeoque ita scribendus:

——————— inopiam,
Luctum, mœrorem, paupertatem, *algum, famem:*

qui voces easdem sociavit iterum, ut Lucretius, in Most. i. 3. 36.

——————— siti, *fame*que, atque *algu:*

et prior Accius, l. c. apud Nonium:

——— senio, pædore, *algu*que, et *fame.*

Ex his igitur, quicquid libri reflent, nostra lectio Lucretii videtur in portu navigare.

Ibid. *volitant.* Ita poëtæ solent loqui, de animis gravi membrorum mole liberatis, quæ deprimit in terram: inspice notam meam ad Euripidis Herc. fur. 111. Virgilius, Æn. vi. 292.

Et, ni docta comes tenuis sine corpore vitas
Admoneat *volitare* cavæ sub imagine formæ,
Inruat, et frustra ferro diverberet umbras.

Conferas eundem ibid. verr. 329. 706. Claudianum, in Rufin. i. 126.

Ibid. *morbis, fameque.* Maro, geo. iv. 318.

Et mala cuncta animus contagi fungitur ejus.
Sed tamen hiis esto quam vis facere utile corpus,
Quod subeant; at, quâ possint, via nulla videtur:
Haud igitur faciunt animæ sibi corpora, et artus.
Nec tamen est, quî cum perfectis insinuentur

> Amissis, ut fama, apibus *morboque, fameque.*

Ver. 733. *et fine:* sic omnes libri; quibus pro more spretis, editores ex emendatione Lambini sic solent exhibere versum:

> Corpus enim magis his vitiis *adfine* laborat.

At quali demum constructione? Quamvis enim proba sit et elegans locutio, *vitiis adfine;* si dicas: "Corpus enim, magis "adfine his vitiis, laborat;" illud *laborat* ineptissime caudam trahit, et non habet, ex quo pendeat. Sin rursus ita constituas locum: "Corpus enim magis laborat "his vitiis;" quid, malum! cum τῷ *adfine* facias? Reddamus igitur inventoribus ejus hanc bellulam divinationem; quæ, utcunque ad primum intuitum nobis arridere possit, penitius inspecta stationem suam tueri nequit: et exemplarium scripturâ contenti simus. *Fine* autem valet *morte;* atque efficaciter facit sane ad poëtæ argumentum. "Corpus scilicet non solummodo his infortuniis, "sed *leto* laborat insuper." Tacitus, ut alibi, sic ann. iv. 19. fin.—"Silius immi"nentem damnationem voluntario *fine* "prævertit." Velleius Paterculus, ii. 123. 3.—"nec quicquam jam de *fine*, si fata "poscerent, recusans:" ad quem locum perlegas, quæ magnus Ruhnkenius contulerit. Tertullianus contra Gnost. cap. xi.—"si bestiis *finiendus*, ursas septen"trio emittet—." Seneca, Herc. Œt. 1479.

> Nil querimur ultra: decuit hunc *finem* dari,
> Ne quis superstes Herculis victor foret.

Juvenalis, sat. x. 163.

> *Finem animæ*, quæ res humanas miscuit olim,
> Non gladii, non saxa dabunt, non tela—.

Horatius, epist. ii. 1. 12. de *Hercule:*

> Comperit invidiam *supremo fine* domari:

quem idem, ibid. 2. 173. vocat, *morte supremâ:* ut mirer Ruhnkenium affirmantem, se non habere vetustiorem suo Velleio auctorem, qui *finem*, pro *fine vitæ*, sive *morte*, dixerit. Quintilianus, declam. iv. 10. "Faciamus potius de *fine* reme"dium, de necessitate solatium—." At at nos etiam finem faciamus.

Ver. 734. *cuncta:* sic solus Π. quem statim secutus sum, quum vulgata lectio *multa* mentem loci non adimpleat, imo videatur potius contradicere. Quin etiam, animadversione digna est antiquior scriptura, *concta* scilicet, hoc codice servata.—*animus:* V. ed. Π. *animis.*—*contagi:* sic Lambinus probabiliter reposuit, pro *contage*, librorum omnium præter P. ille autem dat *contagia;* quod per appositionem dictum, *mala multa* nempe, quæ sunt *contagia ejus*, nullo modo spernendum judicamus, vulgatæ tamen scripturæ posthabendum. Sed an dederit Lucretius, *contage e*, vel *ex?* unde facile absorpta esset præpositio. Id edicant alii. Voce *contages* noster alibi usus est, iv. 337. vi. 279. 1241. et Arnobius, lib. vii. Lambino citante:—"Lues infesta,—continuâ po"pulum *contage* conficiens."—*fungitur:* Vind. *fungitus;* V. ed. *fingitur.*

Ibid. *mala fungitur:* i. e. patitur; ut i. 444. Sic Plautus, Menæch. i. 4. 5. etiam cum quarto casu, sicut poëta noster:

> Nam parasitus octo hominum *munus* facile *fungitur:*

et similiter Amphit. ii. 2. 197. Justinus, xix. 1. 1. "Mago, Carthaginiensium im"perator,—*diem fungitur*, relictis duobus "filiis." Alia exempla reperias in lexicis vulgaribus, et Nonio Marcello, ix. 4. et 5.

Ver. 735. *tamen hiis:* Δ. *his tamen.*—*facere:* V. ed. *facile.*

Corporibus: neque enim poterunt subtiliter esse
Connexæ; neque consensu contagia fient.
Denique, quur acris violentia triste leonum
Seminium sequitur, volpeis dolus; et fuga cervis

Ibid. *quam vis utile:* i. e. *quantum vis utile:* et sic Lambinus, nam interpres vocem negligit.

Ver. 736. *Quod:* sic bene videtur amicus Fabri reposuisse, pro lectione librorum omnium *Cum;* quæ, licet fortasse ferri posset, pro *Quoniam subeant*, i. e. "Quum, argumentationis gratiâ, hoc concedimus:" non satis explicatà est pro eâ simplicitate Lucretii, quâ solet argumentum persequi. Cum nobis etiam sententia Bentleii stat. Et facilis est declarari quoque progressus corruptelæ: *quod* nempe, *quom*, *cum*. Nec Creechius etiam rem non tenuit.—*at quâ:* V. ed. L. M. Σ. *atque;* O. Π. Ω. *qui;* quod non deterius.—*possint:* Δ. *possunt.*

Ver. 737. *Haud:* Δ. Σ. *Aut.*—*corpora:* Π. *corpore.*

Ibid. *corpora et artus:* per hendyadem, poëtis adamatam, dictum est, pro *corporeos artus.* Hinc lectiones membranarum Claudiano vindicabimus, et emendatum probe constituemus, ad rapt. Pros. i. 59.

> Qui vitam letumque *seris:* nam, quidquid ubique
> Gignit materies, hoc, te donante, creatur,
> Debeturque tibi; *functis*que ambagibus ævi,
> Rursus *corporeos* animæ mutantur in *artus.*

Nonnulli libri, "*certis* ambagibus;" plures, *cunctis:* unde nos sinceram lectionem elicuimus. Has dictiones confusas vidimus etiam ad i. 856.

Ver. 738. Edidimus ad fidem librorum, nisi quod P. Vind. V. ed. L. M. Ω. interponant *ut*, post *est;* quod respuit justa versûs longitudo: B. omittit *qui;* et Π. habet *quid*, atque *insinuetur.* Prisca Pii exemplaria, ver. 729. respicientia, mendose scribunt,

> Nec tamen est, *quasi cur* perfectis——.

Ver. 740. *neque:* Δ. *nec.*—*consensu:* Vind. V. ed. B. Δ. Σ. Ω. *cum sensu;* quam monuimus esse frequentissimam commutationem ad ver. 149. hujusce libri; et sæpe alias: O. *tum sensu.* Ad Juvenalis sat. i. 32. pro *cum veniat*, scribitur *conveniat* in codice MS. membranaceo, pulchro, et vetusto, in bibliothecâ publicâ Academiæ Cantabrigiensis, nobis collato.

Ibid. *neque contagia fient:* ob rationes datas nuper, a ver. 679. ad ver. 686. quum non sint utique hoc pacto corpus et anima satis artâ societate vincta, atque, ut ita dicam, primitus condepsita in unam *συμπαθη* congeriem.

Ver. 741. *triste:* i. e. *sævum.* Nonius Marcellus, i. 9. "*Triste*, crudele, immite. Virgilius, Æn. ii. 548.

> "—————— illi mea *tristia* fata——."

Ibid. *triste leonum Seminium.* Verbum verbo reddidit Mantuanus, geo. ii. 151.

> At rabidæ tigres absunt, et *sæva leonum Semina*——.

Subjungam Statium, Achill. ii. 408.

> ———— *tristes* turbare cubilibus *ursas.*

Ver. 742. *Seminium:* Σ. *Senimium;* confusis elementorum ductibus.—*volpes dolus:* hæc est omnium librorum scriptura, Lambino per summam audaciam in *dolus volpibus* mutata; aliis editoribus temere et inscite consentientibus. Conferas v. 861. in omnibus parallelum locum.—*cervis:* Vind. V. ed. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. *cervos;* unde conjecturâ extudimus maxime indubitabilem, nisi valde fallimur, hujusce loci restitutionem: quam quicquid est hominum venustiorum in contextum receptam lubentissime vidissent; sed modestiæ fines nolumus transcendere, neque malignis, quibus ætas nostra est

A patribus datur, et patrius pavor incitat artus?
Et jam cætera de genere hoc, quur omnia membris
Ex ineunte ævo generascunt, ingenioque;
Si non, certa suo quia semine, seminioque,

abundantior, occasionem acriter oblatrandi dare:

Denique, quur acris violentia triste leonum
Seminium sequitur, volpeis dolus, et fuga *cervos?*
A patribus datur, et patrius *vapor* incitat artus.

Interrogat utique, et sibi responsum poëta reddit. Qui vero Lucretium perleget a ver. 291. ad ver. 308. hujusce libri, atque potissimum ea, quæ nos commentati sumus ad ver. 306. illum nihil ultra desideraturum puto.

Ibid. *Seminium*, pro genus. Hinc libet emendare versus quosdam in *solem*, qui leguntur in lib. v. carm. i. ver. 9. Anthologiæ Latinæ Burmannianæ:

Sol rumpit tenebras, rutiloque ubi fulget ab ortu,
Spargit in ætherios flammantia lumina campos.
Hinc homines, armenta simul, *semenque ferarum*
Hinc, alit; hinc *pecudum* vivit genus omne natantum.

Distichon posterius ita vulgo legitur longe corruptissimum:

Hinc homines, armenta simul, *et semina rerum*,
Alitis hinc *pecudes*, vivit genus omne natantum.

De phrasi *pecudum natantum* adhibeas velim in concilium tibi Lucretium nostrum, ad ii. 343. et nos ibidem. Statius interea, quod solet, *αποτελμα*, cum dicit, in Achill. i. 189.

——— canit ille libens immania laudum
Semina:

pro "semina, i. e. homines, laudum im- "manium;" ad eam formulam sermonis, quam sæpius attigimus in Lucretio: vide nos ad i. 120. Falsus est interpretationis suæ Barthius. Idem Papinius, Theb. vi. 334.

Quin et Thessalicis felix Admetus ab oris
Vix steriles compescit equas; Centaurica dicunt
Semina—.

Ibid. *fuga cervis:* unde Virgilius, geo. iii. 539. *fugaces cervi:* i. e. ad fugam proclives. Horatius, od. iii. 2. 14.

Mors et *fugacem* consequitur virum:

i. e. utcunque *citus* fugiat, *citior* Mors insequitur; cujus tacitæ comparationis veneres Marklandus pessum dedit, scribendo *efficacem* pro *et fugacem*, in explicatt. vett. aliquot auctorum, p. 257. quamvis alioquin conjectura sit critico docto atque ingenioso digna.

Ver. 744. *jam* deest Δ.—*omnia:* O. *nomina.*—*membris:* Π. *membrum.*

Ver. 745. *generascunt:* Π. *grandescunt*; et nobis impense placet hæc scriptura. "Peculiares nempe qualitates animalium "crescunt unâ cum corporibus, et reli- "quis dotibus ingenii:" conferas ver. 747. et ver. 446. ad ver. 460. Nolui tamen plurium librorum auctoritatem singulari codici posthabere, quamvis receptæ lectioni aliquantulum obstare videatur, quod verbum *generasco* non alibi per totum Latium compareat.

Ante vero, lector, quam pergamus, miremur Lambini temeritatem, hoc modo versum contra libros demutantis:

Ex ineunte ævo *ingenerascunt, inque genuntur:*

et supinam dicamus, an stupidam, aliorum negligentiam, tantum facinus calculo suo approbantium, et carmen sic fedissime habitum in editiones suas admittentium. Miseram profecto Cari sortem, tales nacti curatores!

Ibid. Omnes MSS. non *inque genuntur*, sed *ingenioque*. Optime. "Cur om- "nia, ait, tam *ingenio*, sive moribus, et "naturâ, et indole, *genus* suum referunt, "quam *corporis* formâ?" Vide i. 592. ii. 664. v. 895. BENTLEIUS.

Vis animi pariter crescit cum corpore quoque?
Quod, si inmortalis foret, et mutare soleret
Corpora, permixtis animantes moribus essent:
Ecfugeret canis Hyrcano de semine sæpe
Cornigeri incursum cervi; tremeretque, per auras
Aëris, adcipiter, fugiens, veniente columbâ:
Desiperent homines, saperent fera secla ferarum.
Illud enim falsâ fertur ratione, quod aiunt
Inmortalem animam mutato corpore flecti;

Ver. 746. *Si non:* i. e. "Si vis animæ, "certa, *vel fixa*, suo semine et seminio, "*vel seminis propagine*, non pariter cres- "cit cum corpore *suo peculiari*." Propertius, iii. 7. 20.

Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis:
Naturæ sequitur *semina* quisque suæ.

Seminium scilicet non tantum σπερμα est, sed etiam *genus*. Varro, de re rust. ii. 6. 1. "Ego, inquit, de asinis potissimum "dicam, quod sum Reatinus, ubi optimi "et maximi fiunt; e quo *seminio* ego "heic procreavi pullos—."

Ver. 747. *animi:* Δ. *animai.—quoque:* Lambinus et alii, *toto*, contra libros. Quænam hæc est licentia mutandi?

Ver. 748. *mutare corpora:* ex alio scilicet in aliud vicissim demigrando; quod Pythagorei fingunt.

Ver. 750. *canis Hyrcano de semine.* Plinius, nat. hist. viii. 61. "Is vero *ca-* "*nis*, cui nomen *Hyrcani* reddidit Duris, "accenso regis Lysimachi rogo, injecit "se flammæ—." Accedat Cicero, Tusc. dispp. i. 46. "In Hyrcaniâ plebs publi- "cos alit canes; optimates, domesticos: "*nobile* autem *genus canum* illud scimus "esse." Proditum est utique Hyrcanos canes esse ex tigride et cane progenitos. De hac re Gratius, cyneg. 161.

Sed non *Hyrcanæ* satis est vehementia *genti*
Tanta; suis petiere ultro fera semina sylvis.

Ubi omnia invenies huc spectantia apud doctos animadversores, Lucretii interea, non immemores. Sed enim dubitare liceat interea, an scripserit Lucretius,

——— canis, Hyrcano de semine *sæva*—?

Lucanus non aliter, i. 548. et alii.

——— flebile *sævi*
Latravere canes.

Ver. 751. *Cornigeri cervi.* Hanc et aliam locutionem Lucretianam Ovidius in loco pulcherrimo politissimi carminis adhibuit, met. vii. 701.

Cum me, *cornigeris* tendentem retia *cervis*,
Vertice de summo *semper florentis* Hymetti
Lutea mane videt pulsis Aurora tenebris.

Ibid. *incursum cervi.* Maro, geo. iii. 407.

——— *incursus*que luporum.

Ver. 752. Idem Ovidius, met. v. 605.

Ut fugere accipitrem pennâ trepidante columbæ,
Ut solet accipiter trepidas agitare columbas.

Ver. 753. *Desiperent homines:* i. e. *οἱ λογικοι μεν γινοιντ' αν αλογοι· οἱ δ' αλογοι αν, λογικοι·* ut cum Græcis loquar.—Porro, Δ. *Dissiperent:* et, in sequente versu, V. ed. *agunt*, pro *aiunt*.

Ver. 756. Eodem modo Novatianus, de *Deo*, reg. fid. cap. iv. "Hic ergo sem- "per sui est similis, nec se unquam in "aliquas formas vertit, aut mutat; ne per "immutationem etiam mortalis esse vi- "deatur. Immutatione enim conversio- "nis portio cujusdam comprehenditur

Quod mutatur enim, dissolvitur: interit ergo:
Trajiciuntur enim partes, atque ordine migrant;
Quâ re dissolvi quoque debent posse per artus,
Denique ut intereant, unâ cum corpore, cunctæ.
Sin animas hominum dicent in corpora semper
Ire humana, tamen quæram, quur e sapienti
Stulta queat fieri, nec prudens sit puer ullus;
Nec tam doctus equæ pullus, quam fortis equi vis?
Si non, certa suo quia semine, seminioque,

"mortis." Uti Jacksonus bene locum emendavit.

Ver. 757. Forte an dederit Lucretius:

——— *aque* ordine migrant.

Aque et *atque* librarii confuderunt ad Virg. geo. iv. 347. Ovid. amor. ii. 14. 50. et alibi sæpius.

Ver. 758. *quoque debent:* Δ. *debent quoque:* et versus, qui sequitur, desideratur in M.

Ver. 760. *Sin:* V. ed. L. M. O. Δ. Π. Σ. *Sic;* quod miror, nam certe mendosum est, quamvis tot exemplaria conspirent.—*corpora:* Vind. L. M. O. Π. Σ. *corpore;* itidem mendose.

Ver. 761. *Ire:* V. ed. *Iræ.*—*humana:* Vind. V. ed. Δ. *humanæ;* Π. *humane.*—*quæram:* P. O. Ω. *quæ res*, non male; Vind. Σ. *quæ;* Π. *quod;* abest omnino V. ed.—*quur e:* Vind. Δ. Π. *curæ;* V. ed. *cure.*

Ver. 762. *Stulta:* O. Δ. *Stulte.*—*sit:* Π. *sic.*

Ibid. *prudens:* i. e. *προϊδων*, *providens*, et futurorum sagax: de qualibus similiter Venusinus, art. poët. 164.

Utilium tardus provisor—.

Cicero, de senect. 6. "Temeritas est videlicet florentis ætatis, prudentia senescentis." Et ibid. 21.—"tanta memoria præteritorum, *futurorum*que *prudentia*—."

Ver. 763. *tam:* Δ. *clam.*—*equæ:* V. ed. *æque.*—*fortis:* P. V. ed. *doctus.*—*equi vis:* P. *equus sit;* V. ed. *equinis.*—Cæterum, hicce versus in libris omnibus præter P. sequenti postpositus, et, cum duobus venientibus, pro spurio est habitus Bentleio.

Ibid. *doctus equæ pullus.* Horatius non abludit, epist. i. 2. 64.

Fingit *equum* tenerâ *docilem* cervice magister
Ire viam, quâ monstret eques—.

Et, quæ Virgilius, varietatis et poëtici decoris gratiâ, *equiti* tribuerit, re verâ sunt de *equo* intelligenda, geo. iii. 116.

——— equitem *docuere* sub armis
Insultare solo.

At, qui doctorem habet, videri possit doctrinæ capax, et *doctus* etiam evasurus.

Ver. 764. *certa:* Π. *cuncta;* et versus proxime veniens non comparet in ullis exemplaribus præter P. M. Ω. unde, quum nullo negotio librarii scriptores sponte repeterent ex superioribus, (vide ver. 747.) mihi persuasum est, hunc locum sic optime posse constitui:

——— tamen quæram, quur e sapienti
Stulta queat fieri, nec prudens sit puer ullus;
Si non *cuncta* suo quia semine, seminioque:
Nec tam doctus equæ pullus, quam fortis equi vis.

Ver. 766. *tenerascere.* Glossarium vetus: "*Tenerasco*, ἁπαλυνομαι." Apud omnes alios, qui vocabulum adhibuerint, scribi solet *teneresco.* Adeas lexicographos, qui ad plures auctores provocant.

Vis animi pariter crescit cum corpore quoque.
Scilicet in tenero tenerascere corpore mentem
Confugient: quod si jam fit, fateare necesse est
Mortalem esse animam; quoniam, mutata per artus
Tanto opere, amittit vitam, sensumque priorem.
Quove modo poterit, pariter cum corpore quoque
Confirmata, cupitum ætatis tangere florem
Vis animi, nisi erit consors in origine primâ?
Quidve foras sibi volt membris exire senectis?
An metuit conclusa manere in corpore putri?

Ver. 767. *Confugient:* P. *Confingent*, item bene; M. Σ. *Confugiant*, non male; O. *Confingerent*, volens haud dubie, *Confingent;* Π. *Confugiet.*—*fit:* P. *sit:* et O. *fit jam.*—Cæterum, viri docti, qui de majore venustate τυ *Confugiant* tam copiose disserunt, nobis videntur partim falli, partim arguta nimis et subtilia captare. Sed in re levi non operæ pretium fuerit bonum otium trivisse.

Ver. 768. *Mortalem esse:* V. ed. *Mortale fore.*

Ver. 769. *vitam:* i. e. vitalitatem quasi, ac vigorem. Exspectavisses nihilo minus poëtam scripturum esse:

Tanto opere amittit *vireis*, sensumque priorem.

Sed libri in vulgatis consentiunt.

Ver. 770. *Quove:* Π. *Quæve;* et statim Δ. *frangere*, pro *tangere.*

Ver. 771. *Confirmata ætatis.* Pariter Virgilius, ecl. iv. 37.

—— ubi jam *firmata* virum te fecerit *ætas*——.

Ibid. *ætatis florem.* Idem, Æn. vii. 162.

———————— primævo *flore juventus.*

Et *ætatis florem* vult "ætatis *cacumen*," ut ii. 1129. quia in cacumine *flos* enascitur. Hinc *flores* ipsos *virtutum*, vel virtutes præcellentissimas, Pindarus, Ol. i. 21. κορυφας αρεταν elegantissime nominavit.

Ver. 772. *animi nisi:* Π. *animis.*

Ver. 773. *senectis:* P. V. ed. B. *senectus;* ineptissime: sed librariis exquisitiorem vocem repudiatam esse non miramur, quum Pius ipse de nostrâ lectione faciat in notis mentionem, et ægre videatur pro legitimo nomine agnoscere. Plautus, Trinum. i. 2. 5. Amphit. iv. 2. 12. et alibi plus semel, habet *senectâ ætate.* Aurelius Victor, epit. cap. xl. 20.—"inferior "adversus laborem vitio *senectæ ætatis*—:" ubi doctrina Arntzenii tibi plura exempla suppeditabit. Maxime appositum est Sallustii fragmentum, hist. iv. apud Priscianum, qui *senectâ quiete* ex Catullo protulit, lib. ix. p. 869.—"omnes, quibus, "*senecto corpore*, animus militaris erat." Idem grammaticus, p. 887. inserit *ætas* post *quibus;* quæ vox, nisi sit ex glossâ, sic fortasse castigari debet:—"quibus, "*etiam* senecto corpore." Quemadmodum Dictys Cretensis, iii. 21. "Neque "dubium cuiquam, quin contemptui sit "adolescentiæ *senecta ætas.*" Adeas infra nostrum, v. 884.

Ver. 774. Cogitabam aliquoties, an contextum invaserit genuinæ vocis interpretamentum, et scripserit Lucretius:

An metuit *conclusa* manere in *carcere* putri?

Quâ metaphorâ huic rei accommodatâ scatent philosophorum chartæ. De iisdem animis Virgilius, Æn. vi. 734.

———— *clausæ* tenebris et *carcere* cæco.

An, domus ætatis spatio ne fessa vetusto
Obruat? At non sunt jam inmortali ulla pericla.
  Denique, connubia ad Veneris, partusque ferarum,
Esse animas præsto, deridiculum esse videtur;
Exspectare inmortaleis mortalia membra
Innumero numero, certareque præproperanter
Inter se, quæ prima, potissimaque, insinuetur:
Si non forte ita sunt animarum fœdera pacta,
Ut, quæ prima volans advenerit, insinuetur
Prima, neque inter se contendant viribus hilum.

Servius: "Definitiones sunt *corporis*; "nam Græci δέμας, quasi δεσμὸν, corpus "vocant, quasi vinculum animi." Videas etiam viros doctos ad Lucan. vi. 722. Nihil autem adjumenti venit ex libris suspicioni meæ.

Ver. 775. *An:* sic P. quod longe animosius est, et in adversarios superbius triumphantis. Vulgo, *Et*.

Ibid. *ætatis spatio fessa:* i. e. πεπονηκυῖα, vel πεπονημένη: consulas de hac eleganti locutione meam Silv. Crit. sect. cliv. et tom. v. p. 169. Hinc pulchre Lucianus, Timonis fine:—τὴν μὲν δίκελλαν ὀλίγον ἀνάπαυε πάλαι ΠΕΠΟΝΗΚΥΙΑΝ: cujus vocabuli veneres in illo loco non satis editoribus sunt perspectæ. Adsit etiam in coronidem Virgilius, Æn. ii. 596. leporum omnium locuples conditorium:

Non prius adspicies, ubi, *fessum ætate*, parentem
Liqueris Anchisen?

Ver. 776. *inmortali:* universi libri, quantum intelligo, certe omnes nostri, habent *mortali;* quem errorem sæpissime in librariis Lucretianis experti sumus: vide verr. 611. 624. 670. et alibi plus vice simplici. Sic negandi particula quibusdam libris deest, ad Liv. xxv. 26. 7. legentibus *toleranda*, pro *intoleranda*. In hoc autem Cari loco inde facilius peccatum est, quum finale elementum τῶ *jam* absorpsisse possit syllabam *in* vocabuli sequentis. Sane tolerabilis est codicum lectio, si mentem poëtæ sic concipias: "Fingis autem animæ putre corpus odio "haberi; vel eam timere, ne ruinâ domûs "labascentis obruatur? Sed non satis "caussæ est, cur, mortalis quæ sit, mor- "tem aversetur." In quam rem multa argumenta usque ad finem libri noster protulit. Sed hæc videri possunt nimis subtilia, et altius petita, si cum simplicitate vulgatorum componantur.

Ibid. *non sunt inmortali ulla pericla.* Huc facit Arnobius, lib. ii. p. 64. "*At*, quî poterit territari formidinis ali- "cujus horrore, cui fuerit persuasum, "tam se esse immortalem, quam ipsum "Deum primum?" Sic scribendum reor, pro *Et*.

Ver. 777. *ferarum:* quas eo præ *hominibus* noster allegat, ut majorem invidiam et contemptum argumentis adversariorum pariat. Et certe se non inscite festivum præstitit.

Ver. 778. *deridiculum:* V. ed. O. Δ. Π. Σ. *diridiculum.*

Ver. 779. *Exspectare:* sic legitur in Vind. V. ed. M. O. Π. Σ. Ω. et ita sponte conjeceram: nam quasi de novo argumentum exordiri, majorem habet efficaciam, et speciem acerbius insultantis. Reliqua exemplaria, *Et spectare.*—*inmortaleis:* Π. *mortalis.*

Ver. 780. *præproperanter:* Vind. *præproperantur;* P. *eas properanter;* V. ed. *properantur.*

Ver. 782. *fœdera pacta.* Virgilius, geo. iv. 158.

Denique, in æthere non arbor, non æquore in alto
Nubes esse queunt, nec pisces vivere in arvis,
Nec cruor in lignis, neque saxis sucus, inesse:
Certum ac dispositum est, ubi quidquid crescat, et insit:
Sic animi natura nequit sine corpore oriri
Sola, neque a nervis et sanguine longius esse.
Quod si posset enim, multo prius ipsa animi vis
In capite, aut humeris, aut imis calcibus, esse
Posset, et innasci quâ vis in parte soleret;

Namque aliæ victu invigilant, et *fœdere pacto*
Exercentur agris.

Exercentur autem, *se exercent;* ad mediæ Græcorum vocis potestatem: quod tyrones animadvertant, velim; clavis enim est ad innumeras scriptorum veterum venustates reserandas, viris vel doctissimis in hunc usque diem inobservatas, incognitasque.

Ver. 783. *volans:* redi notata ad ver. 732.

Ibid. *volans advenerit.* Maro, Æn. vi. 190.

——————— geminæ quum forte columbæ
Ipsa sub ora viri cœlo *venere volantes.*

Ver. 784. *neque:* Δ. *nec.*—*hilum:* Π. *illum.*

Ver. 787. *neque:* sic L. M. Σ. Ω. reliqui, *nec.*

Ver. 788. *dispositum:* Π. *depositum.*—*quidquid:* P. V. ed. B. *quicquam.*

Ver. 789. *sine corpore Sola.* Similiter Virgilius, ecl. x. 48.

Alpinas, ah dura! nives, et frigora Rheni,
Me sine, sola, vides.

In versu sequente, Δ. *nec.*—Porro, pene oblitus sum admonere, certissime legendum esse *animæ,* pro *animi,* in hoc versu, sicuti loci totius indoles demonstrat: sed non ausus sum reponere, ingenio solo fisus. Vide enarrationem nostram, ad sequentem versum.

Ver. 791. *Quod:* Vind. P. *Hoc;* sed illud longe familiarius est Lucretio.—*multo animi:* Π. *multa anima.*

Ibid. *Quod si posset enim:* i. e. "si "res possent extra ordinem suum nasci, "*anima* sine corpore oriri posset: et mul"to magis animus, quemcunque demum "corporis locum occuparet, *humeros,* pu"ta, vel *calces;* neque se intra *pectoris* "claustra (redi ad ver. 141. hoc libro) "contineret, in eâdem parte scilicet ejus"dem hominis."

Ver. 792. *calcibus:* V. ed. *talabus;* cujus aberrationis perfacilis est reddenda ratio. Elementa nimirum *t* et *c* in minorum literarum formis sunt simillima; et literæ *c i,* si propius admoveantur, in unum *a* sensim coalescunt, et ab illo non sunt perfunctorie intuentibus distinguenda. Hoc autem solicitius inculcavi, ne quis de *talibus* somniet, quasi antiquiore formâ τῳ *talis;* cujus adeo fuisset vulgatum *calcibus* glossa marginalis. In Juvenal. vi. 151. pro *habet vicinus,* codex bib. pub. Acad. Cantabrigiensis præbet *hæc manus:* nimirum, in *hēt vicinus,* elementa *t* atque *ci,* librarius pro *c* et *a* cepit; et inde facillime inductus est in crassissimam omnium aberrationem.

Ver. 793. *et innasci:* L. M. *enim nasci.*

Ver. 794. In vetustis exemplaribus hoc pacto versus propositus exaratus est:

Tandem in eodem homine atque in eodem vase
manere:

nam τὸ *maneret* vulgarium editionum auctoritate destituitur. Quid autem hæc sibi velint, aut quo modo ad scopum poëtæ faciant, neque exortus est quisquam, qui

Quamde in eodem homine atque in eodem vase manere.
Quod quoniam nostro quoque constat corpore certum;
Dispositumque videtur, ubi esse, et crescere, possit
Seorsum anima, atque animus; tanto magis inficiandum
Totum posse extra corpus durare, genique.
Quâ re, corpus ubi interiit, periisse, necesse est,
Confiteare animam, distractam in corpore toto.
Quippe et enim mortalem æterno jungere, et unâ
Consentire putare, et fungi mutua, posse,

dicere quiverit, neque, ut arbitror, in ævo veniente exoriturus est. Lubentissimus igitur, et gratissimus, sagacitati Bentleianæ acceptum refero illud *Quamde:* vide i. 641. et verba *in eodem homine atque in eodem vase* melius accipi posse per hendyadem arbitror, a consuetudine Lucretii non abhorrentem, pro *eodem vase ejusdem hominis;* ad mentem, quam nuper exposuimus, in ver. 791. Vel, si malis, planissimo sensu phrasim potes interpretari; quasi una eademque anima, cum unum hominem ingressa sit, in variis partibus hominis istius domicilium potius figere, quam ut alteram hypothesin admittendam postulemus: nempe, unam animam indifferenter posse hominem quemlibet invadere, et quamlibet partem ejusdem hominis; nec homines tantummodo, sed et feras: adi ver. 749. et sequentes. Conclusio autem est, neque hoc, neque illud, fieri: certam igitur stationem sibi nacta est anima; quam cum semel reliquerit, pereat necesse est.

Ver. 795. ante *nostro* in Vind. inseritur *in*, ut legitur in quibusdam editis.—*certum:* Ω. *rectum;* per transpositionem literarum: vide ad ver. 306. De permutatione vero vocum *rectus* et *certus*, consulas velim Burmannum, ad Propert. i. 19. 24. nec non Drakenborchium, ad Liv. xl. 15. 2.

Ver. 797. *Seorsum:* O. Δ. Π. *Sursum;* Ω. *Sorsum;* erroribus ex pronunciatione celeri, vel vitiosâ, prognatis.—*tanto:* Π. *toto.*

Ver. 798. *Totum:* O. Ω. *Tantum;* quæ nomina scribis confusa sunt etiam ad Ovid. met. xv. 254. Sil. Ital. xi. 222. Liv. ii. 57. 3.—*geni:* Π. *gigni;* ex glossâ: vide notata superius, ad ver. 434.

Ver. 799. *Quâ re interiit:* Π. *Quâ interit.*—*periisse:* Q. L. *perisse.*

Ver. 800. *distractam:* i. e. non in uno quodam loco sitam, ut possit, corpore deficiente, incolumis exire.

Ver. 801. *mortalem:* i. e. hominem: ita legitur in P. V. ed. B. O. Δ. Σ. Ω. et vulgare ingenium librariorum multo minus sapit, quam reliquorum librorum lectio, *mortale,* quæ ex ver. 805. facile repeteretur in hunc locum. Has orationis varietates, et doctas et jucundas, in suo carmine Lucretius studiosissime conspergit; quod agnoscent omnes, qui spiritum ingenii præcellentis ejus vel leviter potuerint arripere.—*unâ:* P. *unam;* sed operarum, opinor, vitio.

Ver. 802. *putare:* i. e. "temere credere, non cogitate atque accurate subductis rationibus:" neque aliter Donatus ad Terent. And. i. 1. 86. "*Putare* est ejus, qui simplicitate pectoris aberravit." Sic Cornelius Fronto, in vett. gramm. p. 1329. "Qui *putant*, omni genere *errant.*" Confer Nonium, i. 112.

Ibid. *fungi mutua.* Simile regimen habuimus nuper, ad ver. 734. et pariter absolute locutus est Virgilius, Æn. vii. 66.

——— pedibus per *mutua* nexis.

Desipere est: quid enim divorsius esse putandum est,
Aut magis inter se disjunctum, discrepitansque,
Quam, mortale quod est, inmortali atque perenni
Junctum, in concilio sævas tolerare procellas?
  Præterea, quæquomque manent æterna, necesse est,
Aut, quia sunt solido cum corpore, respuere ictus,
Nec penetrare pati sibi quidquam quod queat artas
Dissociare intus parteis; ut materiaï
Corpora sunt; quorum naturam obstendimus ante;
Aut ideo durare ætatem posse per omnem,
Plagarum quia sunt expertia, sic ut inane est;
Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum:
Aut etiam quia nulla loci sit copia circum,

Ipsa occasio probabile facit, antiquæ locutionis formulam, codicibus exhibitam, male repudiatam esse editoribus ad Florum, i. 23. "Exstat *orationis antiquæ* satis efficax ad concordiam fabula, quâ dissedisse inter se quondam humanos dixit artus; quod, omnibus *opera fungentibus*, solus venter immunis ageret—." Impressi, *opere;* perperam, me saltem judice: ac forte an ipsissima Menenii Agrippæ verba retulerit historicus. Cæterum, pro *Consentire,* V. ed. *Constare;* et pro *fungi,* Π. *fingi.*

Ver. 803. *quid enim diversius.* Sic Aristoteles, lib. i. (cap. 3.) de *animâ:* Επιπονον δε και το μεμιχθαι τῳ σωματι (το) μη δυναμενον απολυθηναι. LAMBINUS.

Ver. 804. *discrepitans:* Π. *discrepans;* vide ad ver. 707. de hac aberratione librariorum.

Ver. 806. *sævas:* ita solus Δ. et prisca Pii exemplaria; reliqui libri, *salvas.*—Versus integer in M. desideratur. Conferas ver. 730—735.

Ver. 808. *ictus:* Vind. L. M. *jectus.*

Ver. 809. *quod queat:* Vind. Σ. *quodque ad;* V. ed. *quod queat ad.*—*artas:* P. V. ed. B. L. M. O. Π. Σ. Ω. *artus:* nempe verior scriptura, pro deteriore *arctas,* librarios in hunc errorem duxit; et de mutatione quâpiam non cogitandum est.—Sustuli autem distinctionem editionum post *quidquam,* quum hic ordo sit verborum: "Nec pati quidquam penetrare, quod queat partes dissociare sibi:" nam constructio vix probe viâ aliâ processerit.

Ver. 810. *parteis:* P. Vind. V. ed. O. Ω. *partus.*—*ut:* P. V. ed. B. Δ. Σ. Ω. *et;* deest O.—*materiaï:* P. *materiei;* Ω. *materiæ:* hinc, si aliunde confirmaretur, lectionem priscorum Pii exemplarium, *materiæ ceu,* recepissem, et ita refinxissem versum denique:

Dissociare intus parteis: *ea materiæ ceu*
Corpora sunt—.

Sed vide v. 355. ubi locus integer repetitus legitur.

Ver. 814. *neque:* Δ. *nec.*—*fungitur:* P. Vind. V. ed. Π. *figitur;* B. *fingitur;* O. *frangitur.*

Ibid. *intactum;* pro intactile: quod tangi nequit: redeas ad i. 438.

Ver. 815. *Aut:* Π. *Haud.*—*etiam:* sic L. M. vulgo, *ideo;* ut P. Δ. Ω. quod ex ver. 812. accersitum esse existimo: Vind. V. ed. O. Π. Σ. Ω. *igitur;* mendose.—*copia:* Π. *corpora.*

Ver. 816. *Quo:* Vind. V. ed. O. Π. Σ. Ω. *Quod.*

Quo quasi res possint discedere, dissoluique;
Sic uti summarum summa est æterna, neque extra
Quis locus est, quo diffugiant; neque corpora sunt, quæ
Possint incidere, et validâ dissolvere plagâ:
At neque, utei docui, solido cum corpore mentis
Natura est, quoniam admixtum est in rebus inane:
Nec tamen est ut inane; neque autem corpora desunt,
Ex infinito quæ possint forte coorta
Proruere hanc mentis violento turbine molem,
Aut aliam quam vis cladem inportare pericli:
Nec porro natura loci, spatiumque profundi,
Deficit, exspargi quo possit vis animai,
Aut aliâ quâ vis possit vi pulsa perire:

Ver. 817. *Sic uti:* ita P. V. ed. B. L. M. O. Δ. Σ. vulgo, *Sic ut:* vide ii. 536.

Ver. 818. *diffugiant:* nempe, hæ summæ, vel hoc universum: Δ. Π. Σ. *diffugiat*, ut vulgares editi; sed non caussæ est, de quâ melioribus libris obnitamur.—*neque:* Δ. *nec.*

Ver. 820. Hic versus et usque ad ver. 830. in priscis omnibus exemplaribus desiderantur, exceptis P. L. M. Scribæ scilicet delicatuli non ferebant Lucretium capita priorum argumentorum sic summatim denuo percurrentem. Sed aurium nostrarum sensus minus sunt fastidiosi, et poëtæ magis miramur consideratam severitatem diligimusque, quam nimietatem aversamur, per tam dilucidam ratiocinationem simpliciter mentem suam exponentis.

Ibid. *utei docui:* docendo utique mentem esse *corpoream*, ver. 163. et, in primo libro, vacuum omnia permeare.

Ver. 821. *admixtum est in rebus:* P. *est admixtum rebus;* utraque forma locutionis proba est, atque alibi Lucretio usurpata.

Ver. 822. *Nec tamen:* P. *Re tamen.* Et in ver. 824. *Corruere;* minus apte, ut videtur, si vel ferri possit: nam de testimonio codicum L. M. in hoc versu non liquet, et loci in lexicis, ex Apuleio, met. viii. p. 530. ed. Oudendorp. vel p. 158. Pricæi, alia prorsus est ratio, ac nihil adjumenti confert.

Ver. 825. *cladem pericli:* dissoluto, orientalium scriptorum more, pro conjunctis, *periculosam cladem*, seu *pestiferum periclum.*

Ver. 827. *exspargi.* Virgilius, Æn. iii. 625.

——— sanieque *exsparsa* natarent
Limina:

i. e. accurate, *late sparsa;* et, per consequentiam, "*multum* sparsa," ideoque *madefacta*, sic uti Servius exposuit. Tam vero in Virgilio, quam in Lucretio, vetustiorem scripturam recentiori *exspersa* præponendam puto; quum venerabilem antiquitatis rubiginem orationi suæ superflorescere uterque haud dubie voluerit poëta: de quâ re nos plus semel egimus in superioribus; sed, quæ Heinsius ac Burmannus vel objecerint vel dubitaverint ad Maronis locum, hanc leviusculam admonitionem in transitu flagitare videbantur.

Ver. 828. *perire;* P. *teneri;* quod malim, ne sequens conclusio nimis præoccupata videatur: i. e. contineri, detineri:

Haud igitur leti præclusa est janua menti.
Quod, si forte ideo magis inmortalis habenda est,
Quod vitalibus ab rebus, munita, tenetur;
Aut quia non veniunt omnino aliena salutis;
Aut quia, quæ veniunt, aliquâ ratione recedunt
Pulsa prius, quam, quid noceant, sentire queamus;

sed aliud suadet parallelus locus, ad v. 373. nisi quod Carus noster has diversitates sermonis sit per omnia sectatus.

Ver. 829. *leti janua.* Arnobius, lib. ii. p. 64.—" si animæ *leti* adeunt *januas*, " Epicuri ut sententiâ definitur—."

Ibid. Versus deest L. M. rectius, ut puto; unde lectio *perire* versûs præcedentis omnino fuerit sincerissima: quum vero Pius agnoscat versum, nullo modo ejiciendum esse censui: nam tolerabilius est copiæ vitium, quam jejunitatis; neque simplicitas hoc genus aliena est indoli Lucretianæ.

Ver. 830. *Quod:* i. e. καθ' ὁ: quam formulam, usitatissimam Lucretio, animum sæpius adverti. Ni multum fallimur, eadem latet in ὁτοτι Græcorum, et aliis consimilibus; sed vitiosissima consuetudo junctim scribendi tot dictiones sermonis utriusque mentem lectorum a verâ constructione talium discernendâ, non sine magno profectûs dispendio, sevocavit. Exemplum non ignobile liceat apponere, ex Homeri Il. E. 258.

Τουτω δ' ου παλιν αυτις αποισετον ωκεες ιπποι
Αμφω αφ' ἡμειων' ει γουν ἑτερος γε φυγῃσιν.

Si illud γουν divisim fuisset scriptum γ' ουν, duplex γε locum mendæ manifestissimum cuilibet fecisset, atque Mæonidem dedisse:

——————— ει Γ' ΟΥΝ ἑτερος ΚΕ φυγῃσιν.

Rem declarabit scholiastes: Ει Γ' ΑΝ των δυο: i. e. Ει γε κε—.

Ver. 831. *Quod:* Δ. *Qui.*—*vitalibus:* V. ed. *in talibus;* eisdem prorsus elementis. *Vitalibus* autem, ejus vitam conservantibus ac tuentibus, contineri: vide ver. 836. Obstupescat interea sceleri impudentissimo editorum de suis commentis Lucretio obtrudentium insulsissimam undequaque dictionem *letalibus.* Magnum vero præsidium (si hac viâ constructionem aggrediaris) scilicet rei cuipiam ponitur in *letalibus*, ad salutem! ut nihil dicam (si illam ineas) de Latinitate, " munita *ab* " rebus," quam sibi boni viri finxerint, in hunc usque diem, nisi fallor, apud castos scriptores inauditam; vice, " *defensa* ab " rebus."—*ab:* Δ. *a;* Ω. *ad.*—Mox P. *plena*, loco *aliena:* et O. *salute.*

Ver. 833. *aliquâ:* Π. *reliquâ.*

Ver. 834. *quid:* Δ. *quod;* P. V. ed. *qui;* i. e. *quî*, vel quo modo: quod vero simile est, utpote minus tritum.

Ver. 835. Versus hic ab omnibus exemplaribus, tam MSS. quam editis, abest, præter P. et recte, ut mea fert opinio; ad has enim ellipticas dicendi formulas lubenter scriptores optimi confugiunt, ut a tædio defendant orationem. De hac re vero nostras animadversiones non infructuose consulas, quas uberiores aspersimus in Silv. Crit. sect. clxxvi. initio.

Ibid. *a ratione longe remotum.* Apuleius, met. iv. p. 277. " Post hæc, vale " facto, discessimus; et, portam civitatis " egressi, monimentum quoddam con" spicamur *procul a viâ remotum*, et abdi" to loco positum." Sic unus codex, optime: vulgo, *remoto.*

Ver. 836. Mirificas turbas excitant in hoc versu exhibendo librarii scriptores. *Præter:* V. ed. B. *Propter;* deinde adjungunt, *ægrit.* —*morbis:* Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. *morbi est;* quod formatum est ex *morbist*, arrepto *t* dictionis venientis: sic autem scribebant το *morbi est.*—*tum:* V. ed.

[Scilicet a verâ longe ratione remotum est.]
Præter enim, quam quod morbis tum corporis ægrit,
Advenit id, quod eam de rebus sæpe futuris
Maceret, inque metu male habet, curisque fatigat;
Præteritisque male admissis peccata remordent.
Adde furorem animi proprium, atque oblivia rerum;

qum; P. Vind. B. Δ. Π. Σ. Ω. *cum.—corporis ægrit:* sic soli L. M. reliqui omnes, *corpus ægrotat;* hæc autem vox nullo modo ferenda est, atque extra controversiam a glossâ profluxit. Et fieri sane potest, veteres tam *ægrit*, quam *ægret*, agnovisse; formam tamen posteriorem, quamvis ex arbitrio nihil mutandum in hac re putem, tutiorem dixerim. Priscianus, lib. viii. p. 826. "Sunt tamen quædam deficientia in "supinis, quæ raro faciunt frequentativa; "ut *ægreo*, ægresco, et ægroto." Glossarium Philoxeni: "*Ægreo*, ἀσθενῶ." Qui garriunt de corripiendâ diphthongo *æ* in *ægrotat*, ut in *præustus*, repuerascere videntur, et ad crepitacula sua remittendi sunt.

Ibid. *morbis:* qui profecto a rebus istis *vitalibus*, in ver. 831. memoratis, quam longissime disjunguntur. Conferas sis ver. 752.

Ver. 837. *futuris:* Π. *futurum.*

Ver. 838. *Maceret:* P. *Macerat;* quod editores inscite prætulere. Veram constructionem crediderim neutiquam perspectam esse doctis viris, ne temporum ratio dissideret, male timentibus. Hic ordo est, et sensus, verborum: "Advenit "id, quod maceret; *cum*que *advenerit*, "habet *eam* in metu—." *Maceret* autem, *liqui faciat*, vel *tabescere:* vide dicta ad ver. 75. et confer ver. 924. Hinc indubitatâ mactabimus emendatione Apuleium, met. iv. sub finem: "Quid lacrymis in"efficacibus ora mihi veneranda fedatis? "Quid *maceratis* in vestris oculis mea "lumina?" Vulgatur, *laceratis.* Ipsissima res est in Homero, ad Od. Θ. 530.

Τῆς δ' ἐλεεινοτάτῳ ΑΧΕΪ ΦΘΙΝΥΘΟΥΣΙ ΠΑΡΕΙΑΙ.

Ver. 839. *Præteritis:* Π. *Præteritum.* —*male admissis:* P. O. Ω. *admissa malis;* Vind. V. ed. B. Δ. Π. Σ. *male admissa.* Sic de suo vulgatum est editoribus plerisque:

Præteritisque *admissa annis* peccata remordent:

quam licentiam mutandi minime concedendam esse, aut sine caussâ exercendam criticis ingeniis, arbitramur. Adi v. 1223. Sensus est: "Ea, quæ peccavimus, in "malis actionibus vitæ, jam remordent, "et nos cæco verbere cruciatos habent." Potes etiam non male *curis* repetere ex versu præcedente. Virgilius, Æn. i. 261.

——fabor enim, quando hæc te *cura remordet.*

Translatio est, ut opinor, a serpente, vel alio noxio animante; qui, dum fugit, caput *reflectit*, ut mordeat insequentem.

Ver. 840. Versus deest Δ. ut sequens Vind.

Ibid. *animi proprium:* quia *furor* minus videatur ad corpus pertingere, quam *morbi* vulgares. Virgilius, Æn. viii. 228.

Ecce, *furens animis*, aderat Tirynthius—.

Ibid. *oblivia rerum.* Vocem ἐν παρόδῳ restituamus Silio, Pun. xi. 162. et odiosissimam auricularum offensionem amoliamur:

——————— quæ tanta *oblivia* recti?

Libri, *oblivio;* ast vel centum libris in hac re consentientibus egomet haud accesserim.—Sed enim observet lector lepidus pulchram repetitionem dictionis *Adde.* Maro, geo. ii. 155.

Adde tot egregias urbis—.

Ver. 841. Putabam equidem aliquoties Lucretium scripsisse:

Adde, quod in nigras lethargi mergitur undas.
Nihil igitur mors est, ad nos neque pertinet hilum,
Quandoquidem natura animi mortalis habetur.

Adde, quod in *nigras lethargi* mergitur *umbras*:

quæ nomina exscriptoribus confusa subinde reperiuntur. Ovidius, art. am. iii. 648.

Victaque *Letheâ* lumina *nocte* premunt.

Addam Virgilium, Æn. vi. 267.

——— res altâ terrâ et *caligine mersas*.

Alia cogitatio subierat Marklandum, ad Stat. silv. iii. 2. 119. qui sic corrigendum autumat:

Adde, quod in *pigras* lethargi mergitur undas.

Quæ sane divinatio virum ingenii elegantis sapit: novimus etiam, has voces librariis permutari ad Claudian. in Rufin. ii. 325. in loco etiam maxime apposito Martialis, x. 2. 7. lectionum similis est varietas:

Pigra per hunc fugies ingratæ *flumina Lethes*.

Alii, *nigra*. Marklandi conjecturæ Statius etiam nonnihil favet, ad Theb. x. 89.

Limen opaca Quies et *pigra Oblivia* servant.

In Statii Theb. ii. 2. pro *pigræ*, ad marginem *nigræ* ponitur in cod. sec. xiii. in Museo Britannico. Sed locus noster integerrimus est, et nullâ de levi caussâ, libris contra stantibus, solicitari debet. Quid enim epitheton τῳ *nigras* melius conveniat lethargo, ubi, clausis oculis, (verr. 466. 467.) in oblivionem condimur, atque, ut ille ait, divino carmine,

——— *tenebris nigrescunt* omnia circum?

Quid, quod *atra* Lethes flumina Lucretius haud dubie alluserit? quæ tamen vidimus et *pigra* aliquoties audire. Lucanus admoveatur, Phars. iii. 735.

Non lacrymæ cecidere genis, non pectora tundit;
Distentis toto riguit sed corpore palmis:
Nox subit, atque oculos vastæ obduxere *tenebræ*.

Ibi, pro *vastæ*, liber unus *latæ* exhibet. Profecto transponas literam jubeo, et rescribas ocyus:

——— oculos *altæ* obduxere *tenebræ*.

Voces *altus* et *latus* permutantur in Livio, v. 12. 6. ubi vide doctissimum editorem Drakenborchium, et nos de hoc erroris genere, ad ver. 795. hujusce libri. Hæc scribarum aberratio, minus perspecta, valde cruciatos habuit animadversores eruditos ad Florum, iii. 9. 5.—“ quæ res *latius* ærarium populi Romani, quam ullus triumphus, *implevit*.” Rescribimus confidentissime, “ quæ res *altius* implevit.” Haud alia res fedissime contaminat Priscianum, perieg. 782.

Altera ad occasus, *altæ* sub montibus Idæ,
Lataque quâ cecidit præclaro nomine Troja.

Vulgo, *Altera*, vel *Altaque*; per insuavissimam repetitionem. Homerus, Il. B. 141.

Ου γαρ ετι ΤΡΟΙΗΝ αἱρησομεν ΕΥΡΥΑΓΥΙΑΝ.

Idem Lucanus, ad v. 220. huc multum facit:

——— *spediæ* venere *tenebræ*:
Inmisit *Stygiam* Pæan in viscera *Lethen*.

Nec minus ille, ad ix. 817. Lucretii vulgatæ lectioni stabiliendæ contra Marklandum inservit, nonnullam interea divinationi meæ gratiam concilians:

——— nulloque dolore
Testatus morsus, subitâ *caligine* mortem
Accipis, et *Stygias somno* descendis ad *umbras*.

Videas ibidem Oudendorpium. Agmen cogat Statius, Theb. vi. 498.

——— Non illud janitor *atræ*
Inpavidus *Lethes*, non ipsæ, horrore sine alto,
Eumenides vidisse queant.

Ibid. *mergitur in undas*. Arnobius, lib. ii. p. 46.—“ quibus caussis *mergamur* “ *in somnos*.”

Et, velut ante acto nihil tempore sensimus ægri,
Ad confligundum venientibus undique Pœnis;
Omnia quom, belli trepido concussa tumultu,

Ver. 842. *Nihil igitur mors est.* Hæc ita exhibuit magister Epicurus, apud Diog. Laërt. x. 125. Το φρικωδεστατον ουν των κακων, ὁ θανατος, ουδεν προς ἡμας· επει δη περ, ὅτ' αν μεν ἡμεις ωμεν, ὁ θανατος ου παρεστιν· ὅτ' αν δε ὁ θανατος παρῃ, τοθ' ἡμεις ουκ εσμεν· ουτε ουν προς τους ζωντας εστιν, ουτε προς τους τετελευτηκοτας· επει δη περ περι οὑς μεν ουκ εστιν, οἱ δ' ουκ ετι εισιν. Et similiter Græcus apud Ciceronem, de finn. ii. 31.—"mortem nihil ad nos pertinere: quod "enim dissolutum sit, id esse sine sensu; "quod autem sine sensu sit, id nihil ad "nos omnino pertinere." Inspicias ibi Davisium. Cæterum, in Laërtio, pro περι οὑς, conjici poterat ΠΑΡΑ οὑς, ut in Agathiæ luculentissimo epigrammate, quod Lambinus citat, nec meis lectoribus displicituro:

Τον Θανατον τι φοβεισθε; τον ἡσυχιης γενετηρα,
Τον παυοντα νοσους, και πενιης οδυνας.
Μουνος ἁπαξ θνητοις ΠΑΡΑΓΙΝΕΤΑΙ, ουδε ποτ' αυτον
Ειδε τις θνητων δευτερον ερχομενον·
Αἱ δε νοσοι, πολλαι και ποικιλαι, αλλοτ' επ' αλλον
Ερχομεναι θνητων, και μεταβαλλομεναι.

In tertio versu, me persuasissimum habeo το θνητοις mendam esse, pro verâ lectione θανατος: tum quod illa vox toties odiose inculcetur, tum quod multam efficaciam habeat primariæ dictionis repetitio, atque invicem sic pulchrius opponantur, hinc θανατος, inde νοσοι, prout loci decor flagitat. Nihil autem in Laërtio mutandum esse liquido probat Axiochi excerptum apud Stobæi ecl. moral. cxix. fin. geminissimum.

Ver. 843. *habetur;* i. e. *tenetur*, intelligitur, comperitur. Glossarium vetus: "*Habentur*, νοουνται."

Ver. 844. Ad sententiam hujusce loci illustrandam multa conferunt Cicero, Tusc. dispp. i. 37. et 33. atque ea Gatakero collecta ad Marc. Anton. xii. 34. quos scriptores Lambinus et Havercampus indicaverunt; sed utrobique disputata prolixiora esse, quam quæ nostris notis convenerint, arbitramur.

Ver. 845. Versus sunt nobiles et magnifici: atque, ut id in transitu attingam, vel hinc liquidissime ostenditur, quantos terrores Romanorum animis incusserint dirus Hannibal et Carthaginiensium suorum nomen.

Ibid. *confligundum.* Ex usitatâ Græcis phrasi suam Romani derivavere, omnium leporum repertoribus. Exemplo sit Dio Cassius, lxxiv. 6. ΣΥΝΕΡΡΩΓΟΤΟΣ δε του πολεμου—. Sic alii sæpissime. Hinc autem occasionem capto emendandi locum atque explicandi in Heraclide Pontico, alleg. Hom. p. 477. ed. Gale: Ανισταται δ' ευθυς ὁ φρικωδης και χαλεπος εφ' Ὁμηρῳ των συκοφαντουντων φθονος, ὑπερ της θεομαχιας·

Ου γαρ ετι Τρωων και Αχαιων φυλοπις αινη

παρ' αυτῳ ΣΥΝΕΡΡΩΓΕΝ, αλλ' ουρανιαι ταραχαι και στασεις το θειον απονεμονται: i. e. *deos sortiuntur*, adeoque dividunt, et faciunt concertare. Vulgo, συνερρωσεν.

Ibid. *venientibus undique Pœnis.* Hinc Maro, in Culice, ver. 33.

Græcia cum timuit *venientis undique Persas.*

Ver. 846. *trepido tumultu.* Maro, Æn. viii. 4.

————————— simul omne *tumultu*
Conjurat *trepido* Latium—.

Ubi Servius optime: "Trepido, *festino*, "more suo: non enim *timere* poterant, "qui pericula vincebant:" vide nos ad ver. 597. Ausonium in Mosell. 29. interpres haud intellexit:

Et rivos *trepido* potis æquiparare *meatu:*

i. e. *propero*, *festino;* de Flacci imitatione liquidâ, ad od. ii. 3. 12. Egregius est

Horrida, contremuere sub altis ætheris auris;
In dubioque fuere, utrorum ad regna cadundum
Omnibus humanis esset, terrâque, marique:
Sic, ubi non erimus, quom corporis atque animaï

etiam in hanc rem Julius Firmicus, p. 418. medicinæ lenis indigens: "Tunc "Liber, projectis infulis, quas pampineis "coronarum circulis *illigarat* (editi, *illigabat*), cum semiviro comitatu fugiens, "—per omnes oras vicini maris cum "summâ trepidatione desperationis erravit." Phædrus, ii. 5. 2.

> Est ardelionum quædam Romæ natio,
> *Trepide* concursans:

i. e. *festinanter*. Schefferus non vidit.

Ibid. *belli concussa tumultu contremuere*. Judicaverim ex versu, quem Cicero conservavit, de orat. iii. 42. nobilissimum hunc locum Ennio nonnulla debuisse:

> Africa terribili *tremit horrida* terra *tumultu*.

Ordo est: "Africa terra, horrida terri- "bili tumultu, tremit." *Horrida* vero, horrificata; i. e. ita timore percita, ut *horror* per cutem et omne corpus incutiatur, pilis stantibus et πεφρικασι. Probe glossarium vetus: "*Horreo*, φριττω." Etymologicum magnum: Φρισσειν, κυριως το ἐξορθουν τας τριχας.

Ibid. Hæc Arnobius respexit, lib. vii. —"Hannibalem illum *Pœnum*,—sub quo "anceps et *dubia* res Romana *contremu-* "*it*, et magnitudo *trepidavit*—." LAMBINUS.

Ibid. *belli concussa tumultu*. Hæc Lucanus in suos usus transtulit, Phars. i. 304.

> Non secus ingenti *bellorum* Roma *tumultu*
> *Concutitur*, quam si *Pœnus transcenderit* Alpes
> Hannibal.

Sic omnino legendum cum nonnullis MSS. et Valerio grammatico, longe longeque efficacius: confer Sil. Ital. iv. 1—8. egregios versus. Vulgo, *transcenderet*. Alius Silii locus elegantissimus coram sisti debet; et præsertim, quum metaphoram in Lucretio latentem protrahere in lucem videatur, Pun. viii. 353. *Numidas equites* respiciente:

> ——— prædictis jam sederat arvis
> Ætolos Pœnus servans ad prælia campos.
> Non alias majore virûm, majore sub armis
> Agmine cornipedum, *concussa est* Itala tellus.

Committas Virg. Æn. viii. 596. Nostrum etiam Sallustius non videtur neglexisse, Jugurth. cxiv. 1. "Per idem tempus ad- "vorsum Gallos ab ducibus nostris, Q. "Cæpione et M. Manlio, male pugna- "tum: quo *metu* Italia omnis *contremu-* "*erat*." Nescio quis in Anthol. Lat. ii. 131. 1.

> Venerat Eoum *quatiens* Antonius *orbem*,
> Et conjuncta suis Parthica bella *ferens*.

Ita legendum; non, *gerens*: et sic jam video Heinsium emendasse: ut ambiguum vitetur. Librarii has voces commutavere ad Q. Curt. iii. 2. 3. et Liv. i. 26. 2. ubi consulas Drakenborchium. Denique, cum illo Curtio finiam, hæc enim sunt infinita, ad iv. 1. 20.—"*strepitum armorum*, "qui totam Asiam *concusserat*, non ex- "audiebat." Quibus non optes venustiora. Confer Aurel. Vict. de Cæs. xiii. 3. Hinc lectionem librorum, multo magis poëticam, incautior posthabuit Heinsius, ad Ovidii fast. i. 436. ut hoc adjiciam:

> Territa consurgens, Nymphe manibusque Priapum
> Rejicit, et fugiens *concutit* omne nemus.

Vulgo, *concitat*; quod multo imbellius. *Concutit* autem, clamoribus et tumultu.

Ver. 847. *altis auris*: M. *altas auras*.

Ibid. *Contremuere*. Locus exstat venustissimus, et nobis multum opportunus, in Mamertini geneth. Maxim. sect. 10. quem probe constitutum exhibebo: "Tunc, "*Pœno* ex summis Alpibus viso, Italia "*contremuit*; statim *pecua agrique de-* "*serta*, omnes familiæ rusticanæ sylvas

Discidium fuerit, quibus e sumus uniter aptei;
Scilicet haud nobis quidquam, quei non erimus tum,
Adcidere omnino poterit, sensumque movere:
Non, si terra mari miscebitur, et mare cœlo.

"et ferarum cubilia petivere." Vulgo, *pecu agroque deserto;* perquam frigide: ex aliorum vero codicum scripturâ, quam nos repræsentavimus, omnia sunt ad vivum pulchre colorata, et oratione ἀσυνδέτῳ trepidatio illa universalis felicissime significatur. Quid ibi vellet Schwarzius, non equidem intelligo.

Ibid. *sub altis ætheris auris.* Idem significavit his verbis Mantuanus, Æn. ii. 512.

——— nudoque *sub ætheris axe.*

Ver. 848. *In:* Vind. V. ed. Δ. Σ. Ω. *Ni.*—*utrorum:* V. ed. B. *utroque.*

Ibid. *fuere:* nempe *homines*, vel mundus universus; qui mos est purissimis scriptoribus. Editores autem, qui sibi Lucretio peritiores videbantur, et Latinarum elegantiarum longe callentiores, hunc versum arrogantissime refinxerunt, ex arbitrio reponentes:

In dubioque *fuit*, *sub* utrorum regna cadendum.

Quam temeritatem! quas inficetias!

Ibid. *ad regna cadundum.* Translatio est ab ædificio nutante et ruituro sumpta; quod nescias ad quam partem sit casurum denique.

Porro, Silius in operis exordio hunc Lucretii locum intuebatur, ver. 7. uti Preigerum quoque monuisse video:

Quæsitumque diu, quâ tandem poneret arce
Terrarum Fortuna caput——.

Ver. 849. *mari:* Δ. *maris;* unde tentare possis:

Omnibus humanis esset *terræ*que *maris*que:

sed levi de caussâ non mutari debet proba atque usitatior locutio. Mox Π. *corporum.*

Ver. 851. *Discidium:* P. Δ. Π. *Dissidium.*—*fuerit:* Δ. *fuerunt.*—*e sumus:* ita solus M. reliqui omnes, *hæsimus;* quod aliter fortasse non omnino spernendum foret. Nomine vero *discidium* et cognatis similiter noster usus est haud raro: vide ii. 119. unde Minucium Felicem, in pari materie versatum, sect. 5. levis emendationis indigere puto: "— in quæ (elementa) rursum homo, et animal omne, *discinditur*, solvitur, dissipatur—." Evulgari solet, *dividitur;* ad rem parum apposite, ut arbitror.

Similis est verborum *dissidium* atque *discidium* permutatio apud Lactantium, scriptorem longe politissimum, et Latini sermonis certissimum auctorem, div. instt. vii. 3. "Quod quia docere non poterat Epicurus, sive Democritus, suâ sponte natum (mundum) esse dixit, seminibus inter se passim coëuntibus; quibus iterum resolutis, *dissidium* atque interitum secuturum." Omnino rescribas, *discidium:* confer nostrum, i. 221. 225.

Ibid. *uniter.* Hoc adverbium, quantum invenio, extra Lucretium non certe legitur: de quo sic Charisius, lib. ii. p. 197. "*Uniter:* contra grammaticorum, inquit Plinius, observationem; qui negant, oportere nomina, *us* syllabâ terminata, in *r* adverbialiter flecti, libro vi."

Ibid. *e quibus aptei:* i. e. connexi et colligati; ab ἅπτω fortassis: nam antiqui (auctore Festo in voce *apex*) comprehendere vinculo, *apere* dicebant. Huc referas apud eundem grammaticum: "*Ape* apud antiquos dicebatur, prohibe, compesce." Vide Scaligerum ibidem. Virgilius, geo. iii. 163.

——— ipsis *e torquibus aptos*
Junge pares——.

Adde dicta nobis superius, in ii. 478.

Ver. 852. *haud:* Π. *aut.*—*quei:* P. V. ed. Σ. *quum*, vel *cum;* non male, sed minus eleganter et canore.—*erimus tum:* Δ.

Et, si jam nostro sentit de corpore, post quam
Detracta est animi natura, animæque potestas;

eri inustum; elementis ac syllabis temere commixtis.—*tum:* V. ed. *tam;* Π. *tunc.*

Ver. 854. *terra miscebitur cœlo.* Utiliter admoveri potest, ac jucunde, Æneïdos magnus conditor, ad i. 133.

> Jam *cœlum terramque*, meo sine numine, Venti,
> *Miscere*, et tantas audetis tollere moles?

Neque oblitus est magistri, ad Æn. xii. 204.

> ——— non, si *tellurem* effundat *in undas*,
> Diluvio *miscens*, *cœlum*que in Tartara solvat.

Græcum scilicet adagium exprimebant, Luciano memoratum, Prometh. 9. *Τι ουν; δια τουτο εχρην, το του λογου, τη γη τον ουρανον αναμεμιχθαι;* Hinc autem prius ex conjecturâ vere restitueram Sallustium, Jug. xli. 10. quam certior factus sim accedere librum scriptum: "Moveri civi-"tas; et dissensio civilis, quasi *permixtio* "*terræ atque maris*, cœpit." Non poterat felicius describi violentissima reipublicæ commotio, eaque factionum maxime sibi invicem contrariarum. Manibus minime parcentibus tractabat ulcus Cortius; neque sane scriptoris scopo satis ejus faciunt emendationes. Vide locum, atque doctorum editorum notas. Huc etiam referas Valerium, Argon. iv. 517.

> Extulit adsurgens noctem pater, *ima*que *summis*
> *Miscuit.*

Lucianus autem, jam citatus, in animo habuit Græcum illum senarium, Suetonio et Dione quoque memoratum:

> *Εμου θανοντος γαια μιχθητω πυρι:*

i. e. "terra *cœlo* misceatur," unde *ignis* utique emanavit, ut noster, v. 499. docuit. Adsit alius etiam Mantuani locus, Æn. v. 790.

> ——————— *maria* omnia *cœlo*
> *Miscuit.*

Spiritu vere grandi, nec tamen hic saltem prætumido, me judice, Lucanus, vii. 134.

> ——————— quis litora ponto
> Obrûta, quis summis cernens in montibus æquor,
> Ætheraque in terras dejecto sole cadentem,
> Tot rerum finem, timeat sibi?

Eundem in parallelo loco, Phars. i. 77. explicatiorem dabimus:

> ——————— ignea *pontum*
> *Astra* petent: *tellus* extendere litora nolet,
> Excutietque *fretum:*

nempe, "in astra ex gremio suo terra "excutiet oceanum." Sin hoc displiceat, probabilem emendationem proferam:

> *Excipiet*que fretum:

i. e. in superficiem ejus; ita ut terra mari commisceatur. Juvenalis, Lambino laudatus, versum Lucretianum leviter immutavit, ii. 25.

> Quis *cœlum terris* non misceat, *et mare cœlo*?

ubi videas Grangæum, Lucretii non oblitum. Versus molissimos Catonis in Diris lauti lectores libenter recolent, ver. 48.

> Undæ, quæ vitreis pulsatis litora lymphis!
> Litora, quæ dulceis auras diffunditis agris!
> Adcipite has voces: migret Neptunus in arva
> Fluctibus, et spissâ campos perfundat arenâ.

Ad quem locum sic Burmannus: "*Per-*"*fundat*, et paullo ante *diffunditis;* tum "mox, ver. 63. *infundimus*, et ver. 68. "*diffundite*, et ver. 77. *diffuso;* valde in-"concinna sunt, eâdem voce toties in-"culcatâ." Fortassis itaque emendandum:

> ——— et spissâ campos *perducat* arenâ.

Alterum Burmannum hæc formula, audaciter adhibita, vexatum habuit ad Quintiliani declam. xiii. 16. ita castigandi: "Quâ satis dignâ prosequar laude *dic-*"*tum* animal, quodammodo parvum ho-"minis exemplar? Hoc humana excogi-"tare non potuit solertia. Etiam ratio "nostra, quæ sub terris lucrum invenit, "quæ *maria* inquisitione suâ *sideribus* "*immiscuit*, hoc tamen efficere, conse-"qui, imitari, non potuit." Vulgo, "— prosequar laude? *Dicam* animal—." Sed, pro *dicam*, codex habet *dicamn:* a

Nihil tamen est ad nos, quei comptu conjugioque
Corporis atque animæ consistimus uniter aptei.

quo divinatio nostra uno tantum elemento discrepat. His etiam adsit comes Silius, Pun. xiii. 587.

—————— Discordia gaudens
Permiscere fretum cælo.

Ex quo fedissimos errores tollam ad xv. 716.

Acrius hoc Italûm pubes incurrit, et urguet:
Ut torrens, ut tempestas, ut flamma corusci
Fulminis, ut *Boreas montes* fugit, ut cava currunt
Nubila, cum *pelago cælum permiscuit* Eurus.

Libri, *Boream pontus;* pro quo Heinsius, ingeniose, ut semper: "*Boreâ* pontus *furit.*" Nostræ divinationi tamen Silius ipse videtur adstipulari, in xiv. 121.

—— *Boreas, Rhodopes a vertice præceps,*
Cum sese immisit——:

nec minus idem ad xvi. 385.

—————— ceu *monte procella*
Cum subita ex alto ruit.

Confer Valer. Flacc. iii. 652. Claudian. de tert. cons. Honor. 93. Rutil. itin. i. 314. Unde quid vetat poëtam nostratem, Josephum Iscanum (i. e. Exoniensem) dico, de bello Trojano, v. 115. nos transeuntes emaculare?

—————— Non sic insibilat Auster
Frondibus hybernis, non tanto verna fragore
Flamina præcipitant montes, non flumina cautes.

Vulgo, *Flumina.* De permutatione autem vocum *Flamina* et *flumina,* adi ad i. 291. nam tempus est redire in viam.

Ver. 855. *nostro de corpore:* nempe, *aliquid* de nostro corpore; quæ frequentissima est ellipsis in multis dicendi formulis cum præpositione *de:* i. e. "si aliqua pars nostri corporis, alii homini conjuncta, forte fortunâ sensum tempore quolibet recipiet." Tota loci ratio, et in primis verr. 859. 860. 866. hanc esse poëtæ mentem manifestissime declarant; ad quam tamen nemo quivit hactenus penetrare.

Cæterum, ut aliquantulum exspatiari liceat, haud infructuose forsitan, ellipsis cognata fefellit interpretes ad S. Lucam, evang. xv. 16. *Και επεθυμει γεμισαι την κοιλιαν αὑτου απο των κερατιων, ὧν ησθιον οἱ χοιροι· και ουδεις εδιδου* (i. e. *τι,* vel *το εσθιειν,* subaudito) *αυτῳ.* Homerus, Od. P. 503. utiliter conferri potest:

Ενθ' αλλοι μεν παντες ενεπλησαν τ', ΕΔΟΣΑΝ τε.

Formula non absimilis Scaligerum ludificata est, et Reiskium, ad Isæi orat. de Ciron. hæred. p. 211.—*ουκ εκωλυομην συνθαπτειν, αλλα παντα συνεποιουν, ουχ ὁπως τουδε αναλισκοντος, ουδε Διοκλεους:* nempe, *τι.* Locus est sincerissime scriptus.

Ver. 856. *Detracta;* sic L. M. et nobis simplicior videtur lectio, atque adeo Lucretianæ indoli vicinior. Reliqui, *Distracta.*

Ver. 857. *est:* editores ex arbitrio reponunt, *hoc;* audacissime atque inscitissime.—*quei* deest V. ed.—*comptu:* V. ed. *cœtu,* pro var. lect. Π. *conctu;* L. ut videtur, *cœtu;* quam lectionem editores male præposuere nostræ, pluribus nixæ testimoniis librorum. *Comptu* scilicet, *ornatu,* vel instrumento, et apparatu: vide nos dictionem Lucretio asserentes ad i. 949. videas etiam ver. 88. ibidem; et supra ver. 260. hoc libro. Glossarium vetus: "*Comptus, καλλωπισμα.*" *Comptus* igitur, atque *conjugium,* est *pulchra compages* animæ ac corporis conjunctorum.

Ver. 858. *uniter aptei:* Π. *unica capti.* Et mox, ver. 860. *non,* pro *nunc.*

Ver. 860. *redegerit:* in novum scilicet hominem, ex particulis nostri corporis compositum. Huc spectant duo pulchri versus apud Stobæi ecl. phys. p. 128. quos emendabo:

ΑΛΛΟΣ δ' εξ αλλου γεννωμενος, ηδ' ΑΝΑΒΛΑΣΤΩΝ,
Ψυχουται γονιμου φυσεως αροτρωμασι ΚΑΙΝΟΙΣ:

ad eandem metaphoram, quâ noster usus

Nec, si materiam nostram conlegerit ætas
Post obitum, rursumque redegerit, ut sita nunc est;
Atque iterum nobis fuerint data lumina vitæ;
Pertineat quidquam tamen ad nos id quoque factum,
Interrupta semel quom sit repetentia nostris;
Et nunc nihil ad nos de nobis adtinet, ante

est in iv. 1266. Vulgo, *ἐναβλαστων* et *κινοις*.

Ver. 861. *lumina vitæ.* Eo sensu, quo plurimum fruimur, et maximos fructus gaudiorum percipimus, universam vitam eleganter *χαρακτηριζοντι*. Homeri versiculum videas allatum inferius, ad ver. 1059. Hinc exquisitissime, ut solet, Arnobius, lib. i. p. 22. "Qui status nos "maneat, cum dissolutis abierimus a "membris: *visurine* nos simus, an me- "moriam nullam nostri sensûs et recor- "dationis habituri."

Ver. 862. *Pertineat:* V. ed. *Pertimeat.* —*quoque:* L. M. *quod;* cui lectioni nullo modo possum equidem subscribere: et ob syllabæ compendium perfacilis erat aberratio librariorum.

Ver. 863. *repetentia:* P. *retinentia;* Vind. V. ed. B. Π. Σ. Ω. *repentia;* O. Δ. *repensia;* qualiter in vocabulo rariore scribæ statim erant turbaturi: vide ver. 675. Sic autem Arnobius, lib. ii. p. 61. —"cum multo facilius sit credere, dis- "cere illam quod nesciat, quam oblitam, "quod paullo ante sciebat; et, opposita "corporis, amitti *repetentiam* priorum." Et in paginâ sequente: "Quod—rebus "ingressis priorum *repetentiam* detrahit." Adde glossarium vetus: "*Repetentia*, "*ἐπαναληψις*." Idem vicissim: "Ἐπανα- "*ληψις, repetentia.*"—*nostris:* P. *nobis;* et ejus prisci codices, *nostri:* i. e. ipsorum: optime; nisi consensus tot librorum adversaretur, et vulgata lectio ita supra vulgarium lectorum intellectus ponatur, ut probabile sit, indoctos librarios eam solicitaturos esse: Π. *nostram.* Sed *nostris* sincerissima ést scriptura: *nostris rebus* scilicet, "iis, quæ ad nos pertine- "bant;" animæ nimirum, corporique. Nec male contulit Havercampus locutionem in ver. 849. *Omnibus humanis;* i. e. rebus. Bentleius probat, *nostri;* quasi fuerit omnium veterum librorum lectio: in quo falsus erat sententiæ vir magnus.

Ver. 864. *Et:* L. M. *Te;* conversis literis.—*adtinet:* M. *attineat.* Ordo est: "Et nihil de nobis" (i. e. quod fuit olim nostrum) "nunc attinet ad "nos, qui fuimus ante;" nec jam sumus, sed periimus. Editores sensum poëtæ non perspexere, nec probe distinxerunt locum, plenâ ad *nostris* positâ.

Ver. 865. *fuimus:* Vind. *fumus;* Δ. Π. Σ. *sumus.*—*nec:* Ω. *jam;* abest autem reliquis omnibus, præter P. et, quod insuper valde miror, si eundem excipias, universi dant *affigit*, loco *adficit;* quum nihil appareat quod culpes, aut desideres, in receptâ scripturâ versûs; nec divinare queo ullam probabilem emendationem, ex optimis illis exemplaribus simpliciter excudendam.—Cæterum, ut illud *affigo* inveherent, viri docti male *τo afficio* ejecerunt, ad Ausonii idyll. vi. 63.

Hujus in excelso suspensum stipite, Amorem,
Devinctum post terga manus, substrictaque plantis
Vincula mœrentem, nullo moderamine pœnæ
Afficiunt.

Jam cum Barthio et Scriverio rescribe *Affigunt*, et locum feries insulsissimæ tautologiæ frigoribus.

Ver. 866. Abest versus V. ed. L. M. O. Δ. Π. Σ. et Ω. sane ad sensum perfectum minime necessarius; sed hæc ubertas orationis, et anxietas rem lectoribus inculcandi, non alium magis, quam Lucre-

Quei fuimus: nec jam de illis nos adficit angor,
Quos de materiâ nostrâ nova proferet ætas.
Nam, quom respicias inmensi temporis omne
Præteritum spatium; tum motus materiaï
Multimodei quam sint; facile hocc' adcredere possis,
Semina sæpe in eodem, ut nunc sunt, ordine posta:

tium nostrum, referunt. Omnino igitur versum retinendum arbitror.

Ibid. *proferet ætas.* Horatius, epist. i. 6. 24.

Quidquid sub terrâ est, in apricum *proferet ætas.*

Quum vero de gignendis hominibus Lucretius loquatur, quos *satos* esse scriptores passim dicunt, forte an aliquid elegantius ille scripserit, ad hunc modum:

Quos de materiâ nostrâ nova *proseret* ætas.

De hac confusione nonnulla diximus superius, ad ii. 211. unde rectius restituas Julium Firmicum, p. 425. "Mars enim, "in porci sylvestris speciem formamque "mutatus, ut sibi primas partes in amore "Veneris vindicaret, incaute contra *se fe-* "*rentem* percutit juvenem." Membranæ, *serentem:* per cujus priorem syllabam pronomen perierat, uti sæpenumero factum est. Gronovius reposuit, *se ruentem.* Florus, iv. 11. 7. "Quippe, immensa classis, "naufragio belli facto, toto mari *fereba-* "*tur:*" imo, *serebatur,* ni fallor; nam de fragminibus et ruinis loquitur. Perlege sequentia. *Dispergebantur* scilicet. Euripides, Herc. fur. 1101.

Πτερωτα τ' εγχη, τοξα τ', ΕΣΠΑΡΤΑΙ πεδῳ.

Hinc etiam certissimâ emendatione mactabo Lucani versum, Phars. iii. 235. cui frustra Burmannus operosissime insudavit:

Quâque, *serens* rapidum diviso gurgite fontem,
Vastis Indus aquis mixtum non sentit Hydaspen.

Vulgo, *ferens.* Silius, Pun. iii. 448. ita de *Rhodano,* ubi videas doctos animadversores:

Aggeribus caput Alpinis et rupe nivali
Proserit in Celtas——.

Ver. 867. *quom:* Δ. *cur.*—Mox Π. *motum.*

Ver. 869. *Multimodei:* Δ. *Multimodis;* sed non accesserim equidem, quamvis recepta locutio nova sit nostro, neque in reliquiis aureorum seculorum compareat: usi sunt Apuleius, Prudentius, et alii sequiores; non tamen, opinor, adhibituri, nisi in purissimis literarum monimentis invenissent.—*adcredere:* O. Δ. *id credere.* Plautus autem, Asin. iii. 3. 37.

Quis nam istuc *adcredat* tibi?

Ver. 871. *reprehendere:* i. e. rursum prehendere, ut *repetentia,* ver. 863. *retinentia,* ver. 675. et alibi in hac voce noster. Cicero, in Verr. iii. 20.—"quod erat "imprudentiâ prætermissum, id, quæsi- "tu ac tempore admonitus, *reprehen-* "*disti.*" Ovidius, epist. xi. 53. haud operam levem navat:

Continuo gemitus, elapsaque verba, *reprendo.*

Glossarium vetus: "*Reprehendo,* ἀναλαμ- "βάνω." Neque aliter alii: editores tamen Lucretiani, non præter solitum nihilo minus audaces ac temerarii, suo auctori obtrudere ausi sunt, *deprendere.* Δ. profecto habet hanc vocem; sed recentior est iste codex, quam cui fidendum sit contra plures libros antiquiores, nedum universorum unanimem consensum.

Ver. 872. *Inter:* Π. *Intus.*—*vitaï:* V. ed. Δ. *vitæ.*—*vage:* P. *vagæ.*—In sequente, Δ. præbet *a,* pro *ab.*

Ibid. *vitaï pausa:* i. e. mors: et sic sine adjuncto Commodianus, instructt. xlii. 27.

Pausantes, in lecto suo mature recedunt:

ubi veterem inscriptionem ex Grutero Ri-

[illegible] meme;

[illegible]

[illegible] possit

[illegible] pronicet

[illegible]

[illegible] corpus [illegible] editores [illegible] denique co- [illegible] et in licen- [illegible] Lucretii [illegible] Cimmerias, ut [illegible] Vind. [illegible] Vind. ut [illegible] sed [illegible] proclive [illegible] exemplaribus [illegible] Lucretii promo- [illegible] Nem- [illegible] et altera pars [illegible] Silius Ita- [illegible]

[illegible] regum, [illegible]

i. e. " [illegible] " [illegible] Statius ad- [illegible] Theb. [illegible]

[illegible] ferosque [illegible] fræna teneret [illegible]

Sic castigandum puto, vice *Gentibus*. Hæ

[illegible] editores nobis benigne [illegible]

—— *At quoniam* [illegible]

[illegible] *Quoniam mens exiit id, et* (70) " *fuisse ante prohibet illum, cui hæc in-* " *commoda possint conciliari, esse eadem*

Hæc eadem, quibus e nunc nos sumus, ante fuisse;
Scire licet nobis nihil esse in morte timendum:
Nec miserum fieri, qui non est, posse; neque hilum
Differre, a nullo fuerit jam tempore natus;
Mortalem vitam mors quom inmortalis ademit.
Proinde, ubi se videas hominem indignarier ipsum,
Post mortem fore, ut aut putescat corpore posto,

voces confusæ sunt etiam librariis ad Ovid. met. i. 100. ubi vide Heinsium: sic alibi sæpe peccatum est. Denique, hujusce ellipseos exemplum accedat locus gravissimus Claudiani, in Rufin. i. 2.

> Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
> *Curarent* Superi terras, *an* nullus inesset
> Rector, et incerto fluerent mortalia cursu.

Inspicias Burmanni notam.—Cæterum, pro *Differre*, II. *Difficere*. Et eadem sententia Ciceroni est in amic. 4. " Sin au-" tem illa veriora, ut idem interitus sit " animorum et corporum, nec ullus sen-" sus maneat, ut nihil boni est in morte, " sic certe nihil mali: sensu enim amisso, " fit idem, quasi natus non esset omnino."

Ver. 882. *quom:* Vind. II. *cui;* sic ut editi communes: pessime.

Ibid. *mors inmortalis.* Sic *ευδειν αθανατως* Philodemus, quem docte contulit Brunckius in notis ad Analect. p. 145. et ipse conabor castigatiorem linquere:

> Ξανθη, κηροπλαστε, μυροῤῥοε, μουσοπροσωπε,
> Ευλαλε, διπτερυγων καλον αγαλμα ποθων,
> Ψηλον χερσι μοι δροσεραις μυρον· εν μονοκλινῳ
> Δει με λιθοδμητῳ δη ποτε πετριδιῳ
> Εὑδειν αθανατως πυλον χρονον· αδε παλιν μοι,
> Ξανθαριον, ναι ναι το γλυκυ τουτο μελος.

Conferas Theoc. i. 107. Virg. ecl. i. 56. Nec male committetur epig. 219. lib. ii. Anthol. Lat. Burm. ex Gellio:

> *Mortaleis inmortaleis* flere si foret fas,
> Flerent divæ Camœnæ Næviom poëtam.

Cæterum, Lambinus cujusdam apud Athenæum appositissimam formulam memoravit, *θανατος αθανατος·* loco tamen non indicato, et nobismetipsis haud in prompto est. Ad similem locutionem in Silv. Crit. iv. p. 163. Apud Stobæi ecl. phys. i. 13. exstat Lini fragmentum inquinatissimum, ad loca multa Lucretii illustranda commodissimum; cujus portionem hic appositam emendatiorem dabimus:

> Ὡδε γαρ ΑΘΑΝΑΤΟΣ ΘΑΝΑΤΟΣ περι παντα
> καλυπτει,
> Θνητος εων· και παν θνησκει φθαρτον· το δ' ὑπαρχον
> Φαντασιαις Τ' ΑΛΛΟΙΟΤΡΟΠΟΙΣ, και σχηματι
> μορφης,
> Αλλαξει τροπον—.

Et illud *σχηματι μορφης* respondet Lucretianæ phrasi *formarum speciem*, in ii. 489.

Ver. 883. *se indignarier ipsum:* *ἑαυτῳ υπεραγανακτειν*. Pariter ver. 897. et mox, ver. 1058.

> Tu vero dubitabis, et *indignabere* obire?

Sulpicius, in Ciceron. epist. iv. 5. ornatissimo sane loco: " Cœpi egomet me-" cum sic cogitare: Hem! nos homun-" culi indignamur, si quis nostrum inte-" riit, aut occisus est, quorum vita bre-" vior esse debet, *dum* uno loco tot oppi-" dûm cadavera projecta *jacent?*" Sic, opinor, emendandum: vulgo legitur, *cum* et *jaceant;* sed in *jacent* omnia conspirant MS. exemplaria. Quid attinet de usitatissimâ *tum* et *cum* confusione, vel unum verbum prodigere? Non multo aliter Virgilius, Æn. ii. 93.

> Et mecum insontis casum *indignabar* amici:

i. e. cum miseratione stomachabar.—Cæterum, super hoc argumento Diogenem Laërtium, x. 81. cum Anecd. Græc. Villois. i. p. 192. collatum, sic constituo: Εστι

Aut flammis interfiat, malisve ferarum;
Scire licet, non sincerum sonere, atque subesse
Cæcum aliquem cordi stimulum; quam vis neget ipse
Credere se quemquam sibi sensum in morte futurum.

δε τουτοις ὅλως ἅπασιν, εκεινο δει κατανοειν, ὅτι ταραχος ὁ κυριωτατος ταις ανθρωπιναις ψυχαις γινεται εν τῳ ταυτα μακαρια τε δοξαζειν και αφθαρτα—· και εν τῳ αιωνιον τι δεινον και προσδοκᾳν, και ὑποπτευειν, κατα τους μυθους· ειτε ΚΑΙ ταυτην την αναισθησιαν ΤΗΝ εν τῳ τεθνανα, φοβουμενους, ὡς ουσαν ΚΑΤ' αυτους—κτλ. *tanquam ad illos pertinentem.*

Ver. 884. *putescat:* vulgo, *putrescat;* sed majoris esse auctoritatis nostra videtur lectio; nam sic liquido P. O. reliqui omnes, *putes;* præter L. M. quorum scripturam ex Havercampi recensione non certo colligimus. Arnobius, lib. vii. p. 224. "Et quid hoc ab illo differt, cum "et ipsa, si nondum, mox tamen futura "sint stercora, et exigui temporis con-"tractâ interjectione *putescant.*" Ita vetustiores libri: alii, *putrescant.* Vim autem dictionis *putesco* in argumento simili sic elegantissime declaravit Ovidius, met. xv. 156.

> Corpora sive rogus flammâ, seu *tabe vetustas,*
> *Abstulerit*—.

Similiter locutus est Lucanus, ix. 144. Non alienus est Minucii Felicis locus gravissimus, sect. 34. "Corpus omne, "sive arescit in pulverem, sive in humo-"rem solvitur, vel in cinerem comprimi-"tur, vel in nidorem tenuatur, subduci-"tur nobis; sed Deo elementorum cus-"todi reservatur." Vide Davisium, ad Cic. nat. Deor. ii. 64. de hac varietate. Meum sane judicium fert, haud leviter deductum, quotiescunque de rebus *tabe liquescentibus et destillantibus* sermo fiat, tum verum esse *putescere;* sed res *duras et friabiles* requirere *putrescere,* nisi translatæ sint atque figuratæ locutiones: ut apud Non. Marc. ii. 692. Hanc autem, nisi fallor, ad normam multi veterum loci sunt exigendi ac scribendi rectius.

Ibid. *corpore posto:* i. e. mortuo et projecto; uti vere interpretatus est Havercampus, qui me præcessit in laudando Marone, Æn. ii. 644.

> Sic o! sic *positum* adfati discedite *corpus:*

i. e. supremum vale dicite, ut de me, quasi cadavere super feretro, et ad rogum composito, conclametur. Vide Servium. Ovidius insuper, met. ix. 503.

> Aut, hoc si nequeo, peream precor ante, toroque
> Mortua componar, *posit*æque det oscula frater.

Statius addatur, Theb. xii. 99. et consulatur ibidem Barthius:

> Hei mihi! quod *positos* humus alma, diesque, resolvit.

Ver. 885. *interfiat malisve:* Δ. *interficiat malisve.* Quod prisca Pii exemplaria dent *malis,* pro *flammis,* ortum est ex usitatâ codd. scripturâ, *flamis.* Interea, sic fortasse versus coram nobis rescribendus est:

> Aut *avibus* interfiat, malisve ferarum:

vide modo ver. 893. et labem receptæ lectioni insidere liquido probant, quæ sequuntur ad ver. 903. Porro, brevem syllabam cæsura bene sustentabit, porrigetque.

Ibid. *interfiat:* i. e. interficiatur: ut patefacio, patefio. BENTLEIUS. *Interfiat* utique, quasi intercidat; pereat, auferatur. Plautus, Truc. ii. 4. 31. vocem similiter adhibuit:

> Hem! istic oportet obseri mores malos;
> Si in obserendo possint *interfieri:*

i. e. intercipi, perire: adeo ut phrasim *interfiat malis ferarum,* optime videtur Arnobius repræsentare, lib. ii. p. 72. per *bestiarum laniatibus dissipari.*

Ver. 886. *Scire:* Δ. *Sive.*—*non since-*

Non, ut opinor, enim dat, quod promittit et unde,
Nec radicitus e vitâ se tollit, et eicit;
Sed facit esse sui quiddam super inscius ipse.
Unus enim sibi quom proponit quisque, futurum

rum: V. ed. B. Σ. *nos in cerum;* Δ. *nos incertum;* Π. *nos id cœtum:* crassis erroribus, sed quos facile expedias, quum τῶν *nō sincerum* in prioribus tantummodo permisceantur elementa.—*sonere:* Π. *sonare.*

Ibid. *non sincerum sonere:* i. e. integrum. Translatio est a vitiis figulinorum vasum, quæ tinnitu solent explorari: quod neque Preigeri latuit acumen. In eâdem metaphorâ locus Persii occupatur, sat. iii. 21.

——— sonat vitium percussa, maligne
Respondet, viridi non cocta fidelia limo.

Quæ summus Casaubonus ex Græcis docte illustravit. *Viridi* autem capio, pro *vegeto*, firmo, tenaci: vide Plaut. Rud. iii. 4. 51. Virg. Æn. vi. 304. sive, melius forsan, per exegesin, *non cocto.* Porro, de *sonere*, satis ad ver. 157.

Ver. 887. *Cæcum stimulum.* Virgilius, consulens auribus, formulam immutavit, ad geo. iii. 210.

——— *cæci stimulos* avertere *amoris.*

Ver. 888. *Credere:* Π. *credens.—quemquam:* Ω. *quicquam:* et, in versu præcedente, *aliqui.*

Ver. 889. *unde:* P. V. ed. *inde;* sed nostra lectio melior est et facilior: Pii codices quidam, *abunde;* quod nihili est. Simplex est ratio locutionis, atque constructionis, ut Lucretium statim agnoscas; quamvis cæcutierint interpretes: "Non dat, quod promittit, nec unde *pro-*" *miserat se daturum:*" i. e. non re præstat, quod verbis præ se tulerit; neque ad ea principia, de quibus se professus erat persuaderi, mores quadrat.

Ver. 890. *radicitus:* V. ed. L. M. Σ. *radicitius.—et:* Π. *ut.—eicit:* P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Σ. Ω. *icit;* quod non deterius in Lucretio; redi ver. 161. Priscianus, lib. x. p. 886. "*Ico* præterea pe-" nultimâ brevi profertur in præsenti, " teste Capro; sed producit eam in præ-" terito perfecto. Lucretius tamen etiam " in præsenti producit penultimam:" iii. 161. Teneo nihilo minus *eicit*, optimarum membranarum L. M. neque aliter Virgilius, ecl. iii. 96. in cognatâ voce:

Tityre, pascentis a flumine *reice* capellas:

ubi gerras germanas Servius effutivit. Glossarium vetus accurate: "*Eicio*, *απο-*" *βαλλω, αποῤῥιπτω, εκβαλλω.*" Et: "*Ei-*" *cit, εκβαλλει.*" Invenitur insuper *eicito* in priscis legibus Romanorum.

Ver. 891. *esse sui quiddam super.* Ita voces separantur ad Gen. xlii. 36. vulg. vera.—"Joseph non *est super.*"

Ibid. *super:* Σ. *insuper.*—*inscius:* V. ed. B. *justius;* cum eisdem literarum ductibus, non probe perceptis; et *c*, ut passim, in *t* mutatâ.—Porro, hic versus indolem Græci sermonis sapit; et ita verbum verbo bene potest reddi: Αλλα μην ἑαυτον λανθανει τι ἐξ αὑτου περιλειπεσθαι ποιων.

Ver. 892. *Unus:* sic P. Δ. et placet præ receptâ *Vivus*, nihil ad loci scopum faciente: V. ed. O. Π. *unius;* B. *minus.*

Ver. 893. *morte feræque:* O. *morte sævæque;* Δ. *corpore sævæ.* Quidam nempe futilem vocis *feræ* glossam margini appinxerat: unde ortam crediderim hanc importunam varietatem.

Ibid. *volucres feræque.* Hanc societatem super hac re fere semper scriptoribus adhiberi notissimum est; et nos consuetudinem tetigimus in Silv. Crit. sect. lx. hinc autem favor crescit divinationi nostræ ad ver. 885. periclitatæ: quem locum, et eum, qui nobis obversatur, non incommode versus quidam, Tertulliano adscripti, comitabuntur, de judicio Domini, ver. 114.

Corpus utei volucres lacerent in morte, feræque;
Ipse sui miseret: neque enim se dividit hilum,
Nec removet satis, a projecto corpore; et illud
Se fingit, sensuque suo contaminat adstans.

Si quem forte rogis abolevit flamma sepultum,
Aut aliquem cæcis disjecerit æquor in undis;
Si cujusque *famem* satiarunt *viscere* pisces,
Aut fixere feræ crudelia *vulnera* membris;
Alitibus jacuit raptato corpore *si quis;*
Ultima non Domino rapient sua munera magno.

Sic versus sunt emaculandi. In libris legitur, *fame, viscera, funera, sanguis.* De permutatis *funera* et *vulnera* nominibus, adi Burmanni notam in Ovid. trist. i. 3. 35. Quintil. vi. 1. p. 508. declam. p. 474. Marklandum, Stat. silv. v. 1. 18. et Drakenborchium, ad Sil. It. i. 399. ut alios omittam. Hujusce autem confusionis exemplis quibusdam nobis etiam detur permissio nostras animadversiones conspergendi. Primus adsit Statius, Achill. i. 85.

Quem tu illic natum Sigæo in pulvere? quanta
Adspicies victrix Phrygiarum *vulnera* matrum?

Vulgo, *funera;* sed *funere* sequitur versu abhinc tertio, et ipsa phrasis *funera matrum* sensum poëtæ vix commode declarat. *Vulnera* autem *matrum* sunt ea, quæ bis Fabius vocitavit in procem. ad lib. vi. instt. orat. *vulnera orbitatis.* Confer Virgil. Æn. viii. 583. Similis labes ex Silio deinde eluatur, Pun. xii. 285. ubi loquitur Hannibal:

——————— mea terga videre
Contigit Ausoniæ? Mene, inquit, summe deorum!
Post Trebiam statuis tam tristi *vulnere* dignum?

Libri, *funere:* sed certissima est nostra emendatio; cui firmandæ appositus est Arnobius, lib. iv. p. 129.—" cum apud " Thrasimeni lacum sanguinei cucurrere " torrentes? cum Diomedis campi Ro- " manis cadaveribus aggerati sunt? cum " mille alia *vulnera prœliorum* innumeris " accepta sunt cladibus?" Et Tacitus, Agric. 37. Quod, ni " frequens ubique " Agricola,—acceptum aliquod *vulnus* per " nimiam fiduciam foret." Sic Justinus, ii. 11. fin. et alii frequenter. Ille Silius iterum expurgetur, ad Pun. xiii. 827.

——————— Virginia juxta,
Cerne, cruentato *vulnus* sub pectore servat,
Tristia defensi ferro monumenta pudoris;
Et patriam laudat miserando in *funere* dextram.

Libri, *vulnere.* Huic excursui finem statuent veteris scholastici versiculus emendatus in Anthol. Lat. ii. 184. 26. de Virgilii mandato, ut Æneïs ejus post mortem combureretur:

Ardebit miseræ post *funera funus* Elissæ?

Vulgo, *vulnera vulnus:* et nescio cujus ibid. iii. 193. 8.

Aut, ut Achillei infelix Troja lacertis
Quassata, Hectoreo *funere* conciderit?

Ibi quoque codices, *vulnere;* sed nos, opinamur, recte mutavimus: hoc enim est, quod dicit Græcus in epigrammate:

Ἕκτορι μὲν Τρῶες συγχώσαντ—.

Ver. 894. *miseret:* V. ed. Σ. *miser et;* O. Δ. Ω. *miser est.*—*neque:* Δ. *nec.*—*dividit:* sic P. Vind. V. ed. B. L. O. Δ. Π. Σ. Ω. quidam de suo *vindicat* ediderunt; M. *vidit.*—*hilum:* ita P. O. Π. Ω. reliqui, *illum;* solennem per errorem librariorum.

Ver. 895. *illud:* P. Π. *hilum;* omnes alii, *illum;* et, opinor, vere, ut respiciat pronomen τὸ *hominem* potius, in *corpore* delitescentem. Totus locus ita fortasse rectius scribi potest:

Ipse sui miseret: neque enim se dividit *ipsum*,
Nec removet satis, a projecto corpore; *at illum*
Se fingit—.

Ibid. *projecto corpore.* Usitatum est vocabulum τὸ *projectus* de *cadaveribus*, in terrâ neglectim recumbentibus. Statius, Theb. xii. 328. admovebitur opportune:

——— Heu! quid ago? *projectus* cespite nudo,
Hoc patriæ telluris habes

Hinc indignatur se mortalem esse creatum;
Nec videt, in verâ nullum fore morte alium se,
Qui possit vivus sibi se lugere peremptum,
Stansque jacentem se lacerari, urive, dolere.

Locum etiam Maronis, qui nunc legitur illepide compositus, et nullâ constructionis scitâ coagmentatione compactus, nitori pristino restituam, ad Æn. xi. 87.

Ducitur infelix, ævo confectus, Acœtes:
Pectora nunc fedans pugnis, nunc unguibus ora,
Sternitur, *ex* toto *projectus corpore* terræ.

Quæ sic in editis exhibentur:

Pectora nunc fedans pugnis, nunc unguibus ora:
Sternitur *et* toto projectus corpore terræ.

Exempla particulæ *ex*, idem ac *cum* valentis, tibi lexicographi præbebunt: voculasque *et* atque *ex* sæpissime confundi solere, certiorem te faciet Drakenborchius, ad Liv. xxvi. 45. 1. et alii, quos enumerare non est necesse. Magnifice Ovidius, in Ib. 166.

Indeploratum *projiciere* caput:

ubi consulas Salvagnium.

Ver. 896. *se contaminat adstans.* Hæc vividior est descriptio, cum licentiâ poëtis concessâ ficta: quasi se conjungeret cadaveri, atque pollutis ejus odoribus oppleretur, subiens voluntarius Mezentii supplicia:

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Conponens manibusque manus, atque oribus ora,
Tormenti genus! et, sanie taboque fluentis,
Conplexu in misero longâ sic morte necabat.

Interea, facilior videtur scriptura, et menti poëtæ accommodatior, quæ sequitur:

——— *sensus*que *suos* contaminat adstans:

talem autem contextûs mutationem in me suscipere non audeo.

Ver. 897. *Hinc:* Π. *Hic:* si pro *Heic*, non male. Mox V. ed. *videtur*, pro *videt.*

Ver. 899. *Qui:* V. ed. B. O. Δ. Σ. *Cui.—possit:* Ω. *posset.—vivus:* V. ed. *unius;* per eandem literarum circumscriptionem: vide ad ver. 892.

Ver. 900. *se:* ita P. Ω. quod vel aliorum *nec*, vel Bentleiano *illum*, anteponendum duximus; nam in hujusce dictionis loco libri reliqui nullam positam ostendunt. Nobismetipsis profecto, vel ob vocem *uri*, (vide sis notas ad ver. 885.) pro adulterino atque insititio versus integer suspectus est: sed insuper, quo modo stare possit cum ver. 903. qui corporis *combustionem* rebus iis, quæ non lugendæ sint, annumerat, nullus valeo dispicere. Labes quædam penitior videtur insidere, cui sine puriorum codicum adjumento temere nemo quiverit remediare.—*dolere:* libri universi, *dolore:* sed acutissimam Lambini emendationem, ut necessariam, ita hac occasione omnino admittendam esse, existimavi. Nihil certius in hac arte conjecturali vel morosioribus judicibus desiderari potest.—*uri:* Δ. *uti;* deest Π.

Ibid. *jacentem:* i. e. morte prostratum, vel insepultum: et est tritissimum in hac re vocabulum: vide Schefferum, ad Phæd. fab. i. 24. ult.

Ver. 901. *malis morsuque.* Hoc profertur per hendyadem, pro *morsu malarum:* nam nomen *feræ* non minus *volucres* etiam complectitur. Plinius, nat. hist. x. 54. " *Vultur* et *feræ* graviores, " nisi ex procursu, aut altiore cumulo, *e-* " *missæ*, non evolant." *Emissæ* scilicet, *se emittentes.* Sic legendum, non *immissæ*, ut in vulgatis: committas Virg. geo. iv. 58. Æn. ix. 52. Utramque lectionem codices exhibent ad Æn. i. 125. et ibi non facile dixerim utra sit præferenda. Sic alias hæ dictiones commutari solent; nec cujusvis esset semper litem dirimere. Ex hac autem notione vocis *fera*, Virgilii locus optime clarabitur, de quo magnas cient turbas nonnulli, atque in crassis tenebris versantur. Exstat in geo. i. 139.

Nam, si in morte malum est, malis morsuque ferarum
Tractari; non invenio, quî non sit acerbum,
Ignibus inpositum, calidis torrescere flammis;

Tunc laqueis captare *feras*, et fallere visco,
Inventum; et magnos canibus circumdare saltus.

In clausulis utique prioribus *aucupii* describitur inventio; in posteriore, *venationis*. Nec Servius igitur, nec Nonius Marcellus, ii. 888. videtur auscultandus. Cæterum, pro *Nam*, Bentleius proponit *Tum*, vel *Jam*: quarum posterior vox nobis non displiceret.

Ver. 902. *quî*: Π. *cui*; ob *quoi* scilicet, quod vel in exemplari suo scriptum antiquitus ille scriba invenerat, vel putabat ita scribi oportuisse. Confer var. lectt. ad ver. 899.

Ibid. *tractari*: i. e. lacerari, *trahi*: nos adi, ver. 1005. Virgilius, Æn. ix. 340. de *leone*:

——————— manditque, *trahit*que,
Molle pecus—.

Ennius, apud Macrobium, sat. vi. 2. in mutilo et incondito fragmento:

O! lux Trojæ, germane Hector!
Quid ita cum tuo *lacerato* corpore miser,
Aut quei te sic respectantibus *tractavere* nobis?

Ver. 903. *torrescere*: V. ed. *terrere se carre*; O. *terrescere*; Δ. *torrere*; Σ. *torrere*.

Ibid. *Ignibus inpositum*. Maro, geo. iv. 477.

*Impositi*que *rogis* juvenes——.

Ibid. *torrescere*. Vetus glossarium agnoscit vocem, quam alibi non invenimus: "*Torresco*, εκκαιομαι."

Ver. 904. *Aut*: Δ. *At*.—*melle*: P. *mole*.

Ibid. *in melle situm*. Xenophon, lib. v. 3. 19. Hellen. idem narrat de Agesipoli Lacedæmonio: Και εκεινος μεν, ΕΝ ΜΕΛΙΤΙ ΤΕΘΕΙΣ, και κομισθεις οικαδε, ετυχε της βασιλικης ταφης. LAMBINUS. Geminus est ille Josephi de Aristobulo locus, bell. Jud. i. 9. 1. εκειτο δ' εν μελιτι συντηρουμενος ὁ νεκρος αυτου.—Preigerus.

Sic aliter de eodem rege doctissimus historicus in antiqq. xiv. 7. 4. Και ὁ νεκρος αυτου εκειτο εν μελιτι κεκηδευμενος επι χρονον πολυν—. Vide Plinium, nat. hist. vii. 55. xxii. 50. et quæ docti animadversores de hac re dixerint: quos locos Hudsonus indicavit. Herodotus, Clio 198. de Babyloniis: Ταφαι δε σφι εν μελιτι: unde sunt, qui tradidere, cadaver etiam Alexandri Magni in melle demersum et compositum. Certe non aliud accepimus a Statio, silv. iii. 2. 117.

Duc et ad Æmathios manes, ubi belliger urbis
Conditor, Hyblæo perfusus nectare, durat.

Cornelius Nepos, in Agesilao, viii. 7. "Ibi eum amici, quo Spartam facilius "perferre possent, quod *mel* non habe-"bant, cerâ circumfuderunt; atque ita "domum retulerunt."
Optime Diogenes, et facetissime, apud Stobæum, ecl. mor. vi. Ὁ Διογενης τους πολλους εφασκε ζωντας μεν ἑαυτους ΣΗΠΕΙΝ, λουτροις τεγγοντας, και αφροδισιοις ΤΗΚΟΝΤΑΣ· αποθνησκοντας δ', εν θυμιαμασι το σωμα κελευειν αποτιθεσθαι, τους δ' ΕΝ ΜΕΛΙΤΙ, ὑπερ του μη ταχεως ΚΑΤΑΣΑΠΗΝΑΙ.

Ibid. *subfocari*: cum secundâ productâ, a *faux*, uti Faber bene docet in lexico, qui laudat glossatorem veterem: "*Suf-*"*focat*, πνιγει, ΛΑΡΥΓΓΙΖΕΙ: et Arato-"rem in actt. apostt. cap. xv.

——————— ne *suffocata*, cruore
Quæ maculantur, edant—.

Ibid. *rigere Frigore*: ut *rigidum frigus*, i. 356. ubi nos videas. Apuleius de mundo, p. 720.—"gelatus humor *rigore* "*frigoris* inhorrescit:" quem locum Oudendorpius mendosum criminatur, nescio sane quâ de caussâ, ad Sueton. ii. 66.

Ver. 905. Editores post *quom*, inepta dicam? an audacter? tam inepte enim vero, quam audacter, infarciunt *in*, con-

Aut in melle situm subfocari, atque rigere
Frigore, quom summo gelidi cubat æquore saxi;
Urguerive, superne obtritum, pondere terræ.

tra libros universos: quod sibi tandem habeant.

Ibid. *summo æquore.* Maro, Æn. v. 819.

> Cæruleo per *summa* levis volat *æquora* curru:

i. e. maris superficiem.

Ibid. *cubat.* Sic de *mortui* reliquiis Ovidius, epist. vii. 162.

> Et patris Anchisæ molliter ossa *cubent.*

Hinc, quamvis ingeniosissima sit emendatio Bentleiana, et tanti nominis sagacitate digna, medela minoris violentiæ Maroni potest adhiberi; quam venustorum hominum judicio submittere non reformidabimus. Locus vexatissimus vero legitur ad Æn. x. 706.

> ——— unâ quem nocte Theano
> In lucem genitori Amyco dedit, *ac*, face prægnans,
> Cisseïs regina Parin creat: urbe paternâ
> *Hic cubat;* ignarum Laurens habet ora Mimanta.

Ibid. *æquore saxi:* i. e. lævi superficie marmoris, in quo jacet conditum μεμιλτωμένον cadaver. *Æquor* autem generaliter significat quamlibet *æquam superficiem.* Isidorus, origg. i. 26. "*Æquor*— "ab *æqualitate* nomen est factum." His consentit Nonius, i. 332. iv. 38. qui cum fructu consuletur. Nostrum, ad ver. 1015. et Virgilium, geo. i. 50. Juvencus feliciter secutus est, ita probe interpungendus, hist. evang. iii. 155.

> Ille dehinc: Genitor plantarum semina noster,
> Quæ non ipse sui consevit in *æquore* ruris,
> Abjiciet, penitus radicibus eruta, longe.

A. Gellius, xii. 1.—"ne *æquor* illud ven- "tris irrugetur:" quod in amatoriis Naso *planum ventrem* nominat. Accius, apud Nonium, x. 4.

> Sed quid, tonitru turbida torvo,
> Concussa repente *æquora cæli*
> Sensimus sonere?

Ubi reponendum fortasse:

> ——— tonitru turbida *torto*—:

confer Virg. Æn. iv. 208. Ovid. epist. iv. 158. De harum dictionum commutatione, redeas dicta ad i. 294. Hinc autem *mare,* quod ob lævitatem superficiei passim poëtis *æquor* vocitatum est, non aliâ caussâ *marmor* audit: adi Virg. geo. i. 254. Æn. vii. 28. Cæterum, *æquora ponti* apud nostrum, i. 8. ut *æquora campi*, iii. 1015. phrases sunt facili intellectu pro *æquabili* maris et terræ *superficie:* quod eo promptior animadverto, quum Valckenaërus, locutionem parum tenens, ποντου πεδια per *æquora ponti* confuse sit interpretatus, ad Eurip. Phœn. 216. Denique, suam venustatem de Lucretii locutione Virgilius callidissime suffuratus est, et tantum non latenter, ad Æn. v. 128. de lævi *saxo* verba faciens:

> Tranquillo silet, inmotâque adtollitur undâ
> *Campus*, et apricis statio gratissima mergis.

"*Campus*, saxi latitudo." Servius. Quum vero illud *et* importunum satis videatur, dubitare soleo an non dederit Virgilius hoc modo:

> Campus *ut*, apricis statio gratissima mergis.

Adtollitur autem, *se adtollit;* elegantissime.

Ver. 906. *obtritum:* sic edendum esse putavi, ex auctoritate solius P. quum hæc dictio cum *obrutum*, quam leges versûs respuunt, licet in aliis omnibus exemplaribus (præter B. ubi legitur *obruptum*) inveniatur, non raro confundi soleat. Permiscentur utique ad Valer. Max. i. 6. 11. Liv. i. 11. 7. iii. 56. 8. xxxiv. 5. 9. Nec tamen vox *obtritum*, utpote signatius et fortius, quam pro poëtæ scopo, in hoc loco satis, meo saltem sensui, facere videtur. Illud *obruptum* membranarum Bodleianarum, in quod ipse ex conjecturâ in-

"Nam jam non domus adcipiet te læta, neque uxor
"Optuma, nec dulces obcurrent oscula natei

cideram, non temere repudiandum puto, quamvis rarissimum sit vocabulum: nam Varroniana phrasis de *anseribus*, re rust. iii. 10. 5. *obrumpunt collum*, haud dubie genuina est; receptam enim pluribus lectionem, "*abrumpunt* collum," ægre patietur, ut mea fert sententia, puræ Latinitatis ratio. Eadem nómina librariis confunduntur ad Liv. vi. 17. 2. Quid autem? Non ita magnifice profecto de me sentio, ut citra necessitatem meis divinationibus locum dem, quamvis hoc tempore mihi videar per has varietatum nebulas verissimam scripturam Lucretii videre: quæ scilicet exquisitioris est antiquitatis formula, atque adeo inscitorum scribarum manus importunas facilius passa est. Scripsit nimirum Carus noster, aut ego multum fallor:

Urguerive superne *operitum* pondere terræ.

Quæ lectio inscitiâ scribarum in *obtritum*, et similia vulgariora, facile detorqueretur. Exemplum hujusce formæ antiquioris noster dedit ad i. 72. et nos consulas ibid. ver. 200. Nonius, x. 25. "*Operibo*, pro "operiam. Pompon. Præfect. Morum:

"Pater *at: st!* Negato esse heic *med: operibo*
"caput."

Sic legendum, partim cum Palmero. Libri, *at est*, ac *me*. Jam vero scriptoribus optimis frequentatur verbum *operio*, qui de *sepeliendis* hominibus loquuntur. Horatius, od. ii. 8. 9.

Expedit matris *cineres opertos*
Fallere:

ad quem locum aut silent, aut nihil sani loquuntur, interpretes. Juraverat nempe per *ossa* matris sepultæ perfida Barine: consule sis Ovid. epist. iii. 103. viii. 119. fast. ii. 842. Statius, Theb. xii. 780.

Jamne dare exstinctis justos, ait, hostibus ignes,
Jam victos *operire*, placet?

Ubi veteris scholiastis enarratio, quæ Lucretianam phrasim, *projecto corpore* scilicet, in ver. 895. non nihil illustrabit, sic errore scribæ liberanda est: "An, se"cundum tuam impietatem, etiam *inse*"*pultos* vis projici?" Editur, *insepultus*. Valerius Maximus, v. 6. ext. 4. "Sed "consilio eventus non respondit: illi "enim, nullâ interpositâ morâ, corpora "sua his terrâ *operienda* tradiderunt." Pro vulgatis stat Ammiani Marcellini locus, in xxxi. 15. "—— aut magnis *ob*"*triti ponderibus*, aut confixi jaculis—." Cæterum, vice *terræ* in versu Cari quem ventilamus, fidelissima Pii exemplaria dant *cratis:* ut respexerit poëta noster supplicium quoddam Carthaginiensium, de quo facta est apud Pœnulum Plauti mentio, v. 2. 65. ita verissime Bentleio emendati:

Sub *cratim ut* jubeas sese subponi, atque eo
Lapides inponi multos, ut sese neces:

ad quem versum de hac consuetudine plura interpretes dedere, ut Pius etiam ad Lucretium. Nimirum fieri potest, ut Lucretius rem poëtice exaggeratam dare voluerit, ex omnibus sepulturæ modis gravissimum atque maxime terribilem seligendo: sed me multa movent ad credendum potius, docti cujusdam lectoris annotationem, margini appictam, processu temporis in contextum irrepsisse, quam ut existimem sic a Lucretii manibus initio profectum. Vestigium ne levissimum quidem hujusce lectionis in purissimis et vetustissimis membranis manet; et *crates* non adeo est ignota vox, ut in librarios prorsus sui ignaros incideret, ac temere mutaturos. Simplicitati denique Lucretianæ magis congruit existimare nos, eum potius communem sepulturæ viam in animo habuisse, quam alienam consuetudinem, paucis vel usu, vel etiam famâ, cognitam. His igitur rationibus suffulti, nihil mutandum judicavimus.

Ibid. *Urgueri pondere terræ.* Committi potest Virgilius haud incommode, Æn. iii. 579.

" Præripere, et tacitâ pectus dulcedine tangent.
" Non poteris factis florentibus esse; tuisque

Fâma est, Enceladí, semiustum fulmine, corpus
Urgueri mole hac——.

Ver. 907. *Nam jam:* sic diserte M. alii libri sic variant, ut ostendant, vel aurium delicatarum offensionem, vel aliam caussam levem, veram Lucretii scripturam detorsisse et obscurasse. P. Π. *At jam;* et ejus codices quidam, *At tua:* et editores sane illud *At* statim arripuerunt: sed undenam, quæso, talem lectionem librarii corrumperent? Vind. L. *amiam;* omissâ, quod passim fieri solet, primâ literâ novæ sectionis: non aliud fortasse vult τo *At viam*, V. ed. *Jam nam;* O. *Ain ne,* Δ. *jam,* Ω. desunt voculæ Σ. Quid autem? Particula *nam* ad transitiones orationis lævigandas passim adhibetur; et *nam jam* repræsentant similem Græcorum formulam δη γαρ. Hesychius: Δη γαρ· ηδη γαρ. Sic Homerus, Il. Λ. 314.

Αλλ' αγε δευρο, πεπον, παρ' εμ' ιστασο· ΔΗ ΓΑΡ ελεγχος
Εσσεται, ει κε νηας ἑλη κορυθαιολος 'Εκτωρ.

" *Nam jam* opprobrium fuerit—." Similiter etiam ad Il. N. 122.

———— αλλ' εν φρεσι θεσθε, ἑκαστος,
Αιδω και Νεμεσιν· ΔΗ ΓΑΡ μεγα νεικος ορωρεν.

De istâ vero Hesychii glossâ, nuper egimus ad Moschi idyll. ii. 77. Plautus, Asin. i. 2. 4.

At malo cum tuo: *nam jam* ex hoc loco
Ibo ego ad tresviros——.

Idem, ibid. iii. 3. 17.

Nam equidem me *jam*, quantum potest, a vitâ
abjudicabo.

Alia disquirere non vacat, neque in re minime ambigendâ necesse habeo scrupulosius persequi locutionem.—*neque:* Δ. *nec.*

Ver. 908. In hujusce loci mollissimos affectus stylum Virgilius intinxit, et rem jucundissimam ita scite suaviterque variavit, ut nescires plane utri palma deferenda foret, nisi noster præcessisset, ac Mantuanum magnâ ex parte, quantus est, fecisset. Versus exstat in geo. ii. 523.

Interea, *dulces* pendent circum *oscula nati;*
Casta pudicitiam servat *domus*——.

Pullulavit autem hic frutex odoratus ab Mæonidis diffusili radice, ad Il. E. 408. quod Lambinus etiam animadvertit prior:

ΟΥΔ' ΕΤΙ μιν παιδες ποτι γουνασι παππαζουσιν
Ελθοντ' εκ πολεμοιο και αινης δηϊοτητος.

Sic legendum puto; longe pulchrius et efficacius. *Neque amplius illum,* vel ab hac ipsâ horâ scilicet: quod rem certissimam verbis signatis optime declarat. Vulgo, Ουδε τι μιν. In Hesychii glossâ, distinctionis virgulas negligente, uterque sensus comprehenditur: Ουδετι πω· ουδε ποτε, ουδαμως. In versu notissimo:

——— ουδ' ετι θυμος ιδωνετο δαιτος ἐισης·

sic melius legitur, uti Phavorinus etiam accepit. Valerius Flaccus quoque ex hoc loco, et Virg. Æn. ii. 724. videtur profecisse, ad Argon. i. 264.

Lætus at impliciti Peleus *rapit oscula* nati.

Nec minus Seneca, Thyest. 145. in versibus admirabili venustate:

Exceptus gladio parvulus impio,
Dum *currit patrium natus ad osculum,*
Immatura focis victima concidit.

Jam vero *obcurrent*, domum accedenti *obvenient*, alter alterum, præoccupare certatim festinantes. Subinde tamen cogitavi mecum, an scribæ recentiores literam unam forte fortunâ transposuerint, et ex *cōcurrent*, effecerint tandem *occurrent*. Hæ voces nempe frequenter solent, alia in aliam, migrare. Hoc factum est ad Ovid. met. vii. 30. xiv. 452. Liv. xxii. 19. 4. Et sane vividiorem speciem concertationis præ se fert vox *concurrent*, quasi agmine facto de limine proruentium. Ad hanc autem cogitationem locus Statii.

"Praesidium: misero misere," aiunt, "omnia ademit
"Una dies infesta tibi tot praemia vitae."

hinc, ut videtur, adumbratus, mentem meam non leviter impulit, et persuasit. Legitur in silv. iii. 1. 179. et omni curâ gravissimi poëtae expolitus est:

Donec et hic sponsae maturus, et illa marito:
Rursus et ex illis soboles nova; grexque protervus
Nunc humeris irreptet avi, nunc agmine blando
Certatim placidae *concurrat ad oscula* Pollae.

Suo judicio de hoc conatu libere utantur lectores velim, contentus proposuisse, et hactenus asseruisse.—Caeterum, dictionem *occurrere* docte, ut adsolet, Oudendorpius exposuit, atque copiose, ad Sueton. iv. 26. qui adeundus est.

Ibid. *obcurrent oscula natei Praeripere.* Pulchre contenderis Gen. xxix. 13. vulgatae versionis: "Qui, cum audisset venisse Jacob, filium sororis suae, "*cucurrit* obviam ei; *complexus*que eum, "et *in oscula ruens*, duxit in domum "suam."

Ver. 909. *Praeripere:* V. ed. Δ. *Percipere;* volentes, uti statim deprehenderam, et liquido exhibent O. Π. *Praecipere;* nec male: sed dictio recepta in hoc loco pulchrius et vividius officium fungitur. Eadem scribarum permutatio nobis ad Livium obversatur, xxii. 41. 9. ubi consuli potest Drakenborchius, nobis otium super hoc negotio opportune faciens. —Ω. autem, *Percapere;* et *tantâ*, pro *tacitâ*.

Ibid. *Praeripere oscula.* Quemadmodum Ovidius, in epist. xxi. 196.

Et minus audacter blanditur, et *oscula* rara
Adripit, et timido me vocat ore suam.

Sic putem Nasonem scripsisse pro vulgato *Adcipit:* et hoc genus voces, ut verba simplicia *capio* et *rapio*, passim permisceri, nemo nescit: videas tamen ex abundanti Drakenborchium laudatissimum, ad Liv. v. 47. 4.

Ibid. *tacitâ pectus dulcedine tangent.* Hunc locum ante oculos habebat Virgilius, dum scriberet pondere magno versum, ad Æn. i. 502.

Latonae *tacitum pertentant gaudia pectus.*

Locutiones aliquantulum immutare voluit summus ille leporum artifex, ibid. xi. 538.

——————— Neque enim novus iste Dianae
Venit amor, subitâque *animum dulcedine movit.*

Pulchre Justinus, xii. 4. 4.—"simul et "laborem militiae molliorem fore *dulcedine uxorum.*"

Porro, *animum tangere*, et similia, *dulcedine* etiam *capere*, usitata sunt; sed, qui conjunxerit *dulcedine tangere*, praeter Lucretium, non invenio.

Ver. 910. *factis:* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. *facti;* P. *fatis;* quae dictiones frequentissime permiscentur: vide Bentleium, ad Horat. epist. ii. 1. 6. vere, meo judicio, et supra universam criticorum gentem erudite ac sagaciter disputantem: in Cunninghami vero despicatissimos conatus ibidem, me impulsore, indignationem generosam exspuas. Sed enim de hoc Flacci loco fortassis alias: jam nunc e Silio maculam tollamus, ad Pun. xii. 392. ubi Latinae poëseos patrem laudat candidissimus poëta:

Sed vos, Calliope! nostro donate labori,
Nota parum magni longo tradantur in aevo
Facta viri, et meritum vati sacremus honorem.

Sic vulgo legitur: Heinsius ex scriptis dedit, *ut aevo:* sed illud *ut* pro supplemento glossatoris, vel librariorum, habuerim, nescientium exquisitiorem Latinitatis formulam: vide animadversiones meas ad i. 30. et hoc libro ver. 255. Nec tamen vel placet, vel quidem tolerabilis videtur, phrasis *longo tradantur in aevo:* ne dubites igitur ex vetustiore scripturâ, quam tangimus ad ii. 1093. et alibi plus semel, natos errores esse, et Silium hoc modo versus perscripsisse:

Illud in hiis rebus non addunt: "Nec tibi earum
"Jam desiderium rerum insidet insuper unâ."

Sed vos, Calliope! nostro donate labori,
Nota parum magni *longum* tradantur *in ævum*
Fata viri, et meritum vati sacremus honorem.

—*florentibus:* ita magnifice et egregie, ut nihil supra, codices universi veteres, tam MSS. quam typis impressi: hoc autem non contenti editores sua insulsissima, os durum! nobis largiuntur; *tibi fortibus* scilicet! At illos cum suâ temeritate plus quam sacrilegâ, magna Divarum, perdat Critice! Vide nostrum, v. 330. Cornelius Nepos, de Cimone, iii. 1. "Quibus *rebus* quum unus in civitate "maxime *floreret*—." Et optimus quivis centies similiter locutus est, Græcorum vestigia secutus. Dicit ergo Lucretius: "Non amplius eris gloriâ magnâ "vir, et florens laudibus."

Ver. 911. *Præsidium:* sic omnes libri; editoribus autem placuit, *Præsidio:* et sane perquam credibile est, *Præsidio* Lucretianum in *Præsidiom*, et deinde *Præsidium*, degenerasse; sed neutiquam est hæc lectionum sincerarum constitutio arbitrii nostri res.—*misero misere:* sic Vind. V. ed. L. M. Δ. Σ. Ω. quibus nihil verius aut elegantius: vide quæ diximus de hoc dicendi genere ad i. 742. Plautus, Truc. ii. 5. 13.

Id illi morbo, id illi senio est, ea illi *miseræ miseria* est.

Idem, Cist. iv. 2. 21.

—————— illo sunt homines *misere*
Miseri.

Rursus, Aulul. iv. 10. 1.

— Imo, ego sum *miser*, et *misere* perditus.

Salus, et nitor, non aliunde veniet ejusdem fabulæ depravato versui, ii. 4. 36.

Ædepol! mortalem *parce parcum* prædicas.
Censen' vero adeo *miserum*, et *misere* vivere?

Vulgo legitur, versu productiore:

Censen' vero adeo *esse parcum*, et misere vivere?

Nimirum, mentem librarii nomen *parcus* circumsonabat. Bentleius, vice *esse parcum*, proposuit *parce*. Nos, nisi nimium nostra placeant, rem acu tetigimus.—Deinceps, P. *miser, o miser:* quod editores arripuere: O. *miseræ misero;* Π. *misere*, secundâ dictione omissâ.—*aiunt:* Δ. *autem.*—*ademit:* Vind. Δ. Π. Σ. *demit:* non male; sed elementum finale præcedentis vocis facile primum hujusce absorbere poterat.

Ibid. Lego *ah!* vice *o!* ut Catullus, lx. 139. lxii. 61. Tibullus, i. 93. et Græce *α δειλ'*. Bentleius.

Si nos veram Lucretii scripturam restituimus, de hac emendatione id tuto dixerimus, quod Apollo de Pelide in Hectoreum cadaver impotenter sæviente:

Κωφην γαρ δη γαιαν αεικιζει μενεαινων.

Ibid. *Præsidium:* redi ad ii. 642. et ibi collata nobis. "Non posthac esse de- "cus tibi poteris; nec tutamen parenti- "bus, ævo confectis, conjugi tuæ, filiabus, "filiisque, nondum bello utilibus."

Ver. 912. *infesta:* i. e. fataliter inimica, quum tibi mortem attulerit. Hoc pollet dictio apud Virgilium quoque, Æn. x. 882. de Æneâ, Mezentium interfecturo, verba facientem:

Tantum effatus, et *infestâ* subit obvius *hastâ*.

Ibid. *præmia:* i. e. δωρα, fructus, commoditates, gaudia: vide ver. 969. v. 5. Ita Virgilius, Æn. iv. 33.

Solâne perpetuâ mœrens carpêre juventâ;
Nec dulcis natos, Veneris nec *præmia*, noris?

Sola utique, *sine viro;* ut *solus*, geo. iv. 517. sine uxore; et sic probe Burmannus explicat. Animadvertas autem velim elegantiam verbi *carpêre:* i. e. *te carpes*, ad potestatem mediæ vocis Græcorum exquisitissime adhibiti.—Cæterum, cum phrasi Virgilianâ melius componetur illud Pindaricum, Ol. i. 119. φιλια δωρα Κυπριας, quam Homerea, Il. Γ. 54. etsi Servius commiserit.

Quod bene si videant animo, dictisque sequantur,
Dissolvant animi magno se angore, metuque.
Tu quidem, ut es, lecto sopitus, sic eris, ævi
Quod super est, cunctis privatus doloribus ægris:

Ver. 914. *rerum insidet insuper:* sic optime atque lucidissime, quasi de re jam factâ et præsenti loquentis, L. M. Π. Non male etiam P. B. O. Ω. *rerum super insidet;* Vind. V. ed. Δ. Σ. *rerum super insit et.* Pro *insidet,* quidam Pii codices, *incidit.* Conferas ver. 931. et obstupescas editorum inscitiæ ac temeritati, versum sic vulgantium:

Jam desiderium *insidet rerum* insuper unâ.

Quidnam hoc est, vestram, docti, fidem! si non est castissimarum membranarum auctoritatem pedibus subjicere conculcandam, ac nobilissimos scriptores nefarie contaminare?

Ibid. *desiderium rerum insidet.* Non multo aliter Dictys Cretensis, iii. 23.—"sed *obsedisse* animos eorum *desiderium* "*rerum* alienarum."

Ver. 915. *si:* V. ed. *se.*—Ω. *sequatur.*

Ibid. *dictisque sequantur.* Illa dicta incipient a ver. 917. usque ad ver. 922. Faber.

Fuerit tamen expeditius fortasse sic mentem poëtæ accepisse: "Si hoc bene in-"tellexerint, et sequantur, philosophiâ "excolendâ, se magnis sunt ægritudini-"bus liberaturi." Videas i. 29. 104. 144. iii. 12. et locos multos similes. Virgilius, Æn. vi. 899.

His ibi tum natum Anchises, unâque Sibyllam,
Prosequitur dictis—.

Neque abludit ibid. x. 448.

Talibus et *dictis it* contra dicta tyranni.

Ver. 916. *Dissolvant angore.* Sallustius, Catil. li. 20. de *morte:*—"eam "cuncta mortalium *mala dissolvere.*"

Ver. 917. *quidem ut es:* Δ. *quidei mittes.*

Ibid. *leto,* omnes libri. Scribe, *lecto:* i. e. in somno. "Sic uti, cum dormis "stratus in cubiculo, nihil sentis, sic eris "in morte." Pius.

Egregiam vero atque admirabilem emendationem!

Sic legitur in codice O. in editionibus, Lugdunensi, anni 1540. et Basiliensi, anni 1531. nec non Aldinâ secundâ, anni 1515. (nam prior non est ad manus) cum Juntinâ, anni 1512. Jam vero, qui his rebus vel in extimâ superficie imbutus est, nihil dubitet, τὸ *lecto* inter librariorum oscitantium manus facillime esse in *leto* migraturum. Nobis nec solitum est nec jucundum, codicibus et vetustioribus editis consentientibus obsurdescere: sed ipso Lucretio reclamante ad ver. 923. et lectionem nostram vel conviciis efflagitante, non potuimus non obsequi; et inconcinnam prorsus scripturam cum longe commodissimâ atque elegantissimâ mutare.

Quid autem pulchrius hoc sensu, quid auctoris scopo convenientius, optari potest? "Quemadmodum, altissimo somno "vinctus, jaces doloris expers ac solici-"tudinis; sic, solutus morte, jacebis in "æternum. Nullus igitur locus est an-"gori, quum res ad somnum sit, et quie-"tem, reditura: nec mors haberi debet "somno terribilior." Locus est Virgilii, Æn. vi. 520. sane in pervagatissimis, sed illustrandis hisce Lucretianis maxime idoneus; quem adeo lectoribus non dubitabo coram ponere:

Tum me, confectum curis, somnoque gravatum,
Infelix habuit thalamus; pressitque jacentem
Dulcis et alta quies, placidæque simillima morti.

Ad quos versus, vide an varia lectio *patriæ,* pro *placidæ,* quod epitheton valde friget, neque se lautis hominibus probet, non manu ducat ad verissimam scriptionem, et *morti* sit e margine:

At nos horrifico cinefactum de prope busto
Insatiabiliter deflebimus; æternumque
Nulla dies nobis mœrorem e pectore demet.
Illud ab hoc igitur quærundum est, quid sit amari

> Dulcis et alta Quies, *fratri*que simillima *Leto*.

Conferas ibidem, ver. 278. Hom. Il. Ξ. 231. Quid enim? An non sua Valerius Flaccus hinc hauserit, Argon. viii. 74. ita Somnum allocutus?

> Nunc, age, major ades; *fratrique simillime Leto*.

Cæterum, ad Lucanum, vi. 532.

> ——————— perversâ funera pompâ
> Retulit a tumulis: fugêre cadavera *lectum*:

fluctuant membranæ inter *letum* et *lectum*; sed hæc dictio longe vividior est, et erectiorem sensum reddit: unde non immerito doctissimi editores præ illâ maluerunt.

Ibid. *sic eris ævi.* Geminus locus est in Petronio, sect. 34.

> Heu! heu! nos miseros, quam totus homuncio nil est!
> *Sic erimus* cuncti, post quam nos auferet Orcus.

Ver. 918. *Quod super est.* Voces soleo disjungere. Cornelius Nepos, viii. 2.—"Atheniensibus exhaustis, præter arma "et naves, nihil *erat super*—."

Ibid. *ægris:* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *æger:* ut sit, "Tu, qui nunc æger es:" sed hoc durius, et minus placet. Cruciat tamen tot exemplarium molesta conspiratio; quamvis phrasi *doloribus ægris* similis sit *luctibus ægris*, ver. 946. Sed enim Ovidius interea, met. ii. 329. mihi videtur ita potius rescribendus:

> Nam pater, obductos luctu, miserabilis *ægros*
> Condiderat vultus.

Libri, *ægro:* et animum lector advertat formulam transitionis per *Nam*, quam tetigimus nuper ad ver. 907. Enim vero facilis et probabilis emendatio Lucretii, et explicatio melior, si malis *æger* lectionem, ingenii mei mediocritatem superat: lampas igitur ingeniosioribus tradenda est. His autem perpensis, non miror, integrum versum abesse M. et in L. rubricâ notari.

Ver. 919. *cinefactum:* V. ed. *cmefacti;* Δ. *civemfactum.*—*te:* quidam codices Pii, O. Δ. Π. Ω. *de;* et prope abest, ut verum putem. Nam pronomen facile potest subintelligi; et phrasis *de prope*, ἀπ' ἐγγυς, vivide depingit mortui amicos adstantes busto, atque super cinerem lacrymantes. Interea, quis dubitet, tam exquisitam locutionem subituram fuisse infestas manus librariorum? At enim, expergiscere aliquantisper, lector; ut expedias mihi, quid polleat *τὸ prope*, ad vulgarem scripturam loci; et quo demum pacto constructio declarari debeat. Non equidem invenio, quid his responderi queat. Igitur, re secundis cogitationibus versatâ, nostris codicibus præstabilius habui auscultare, et *de* reponere. Sic, ut *de prope*, usurpantur, *de hinc, de inde, de in, de sub, de super, de insuper.* Ordo est: "At nos de "prope insatiabiliter deflebimus *te*, cine"factum horrifico busto:" i. e. de vicino, de propinquo, de proximo, uti multoties dictum est, deflebimus.

Ibid. *horrifico:* nempe *horrorem faciente*, atque incutiente amicis tuis ægerrimum sane tui desiderium.

Ibid. *cinefactum:* i. e. in cinerem dissolutum, uti Nonius interpretatus est, ad ii. 192. ubi editi dant *honorifico*, vice *horrifico;* et confirmant vulgatum aliis *te*.

Ibid. *busto:* in sensu scilicet maxime proprio; pro loco, "in quo mortuus est "*combustus* et sepultus:" quæ Festi verba sunt, dictionem explicantis; cum quo Serviana concordant, ad Virg. Æn. xi. 201.

Ver. 920. *deflebimus:* Vind. Π. Σ. Ω. *deflevimus;* "quæ vera lectio est." Bentleius.

Tanto opere, ad somnum si res redit, atque quietem,
Quur quisquam æterno possit tabescere luctu?
Hocc' etiam faciunt, ubi discubuere tenentque

Nobis etiam non displicet: sic enim solent rem efficacius designare tempore præterito, quod nos ad Silv. Crit. i. p. 16. et alibi, monuimus: hac autem occasione pluribus nolim et sincerioribus libris obsistere. Elementa nimirum *b* et *v*, ob cognatum sonum, sæpissime permutantur invicem librariis: de quo Ciofanum adeas in Ovid. met. x. 114. disputantem, atque in primis Drakenborchium, ad Liv. v. 24. 5. ne alios appellem rem notissimam testaturos. Gruterus, inscriptt. tom. i. p. 16. —"cantharum cum *vase* suâ posuerunt:" pro *base*.

Ibid. *deflebimus*. Vox propria est in officiis sepulcralibus. Sic Virgilius etiam proprie adhibuit, Æn. vi. 220.

——— tum membra toro *defleta* reponunt:

i. e. fletu super illis finito. Ibid. xi. 59.

Hæc ubi *deflevit*, tolli miserabile corpus
Inperat.

"Hoc est, postquam hæc cum lacrymis "dixit:" Servius, crasse satis. Ibi autem MS. Steph. pro *dixit*, habet *duxit*. Lege, *fuxit*: vide Bentleium, ad Horat. epod. xvii. 11. Satis sit insuper Apuleium admovisse, met. i. sub initio: "At vero do-"mui tuæ jam *defletus* et conclamatus es." Qui locus valde appositus est.

Ver. 921. *mærorem*: Π. *mærore*.—*e*: Δ. *de*; Ω. *ex*.—Hinc autem versus ille Virgilianus, Æn. ix. 447. evidenter est effictus:

Nulla dies umquam memori vos *eximet ævo*.

Ver. 922. *ab*: P. V. ed. *ob*; quod non deterius existimo.—*quid*: V. ed. *quod*.

Ibid. *quid sit Tanto opere* plena dictio est sine *amari*: vide ver. 946. An legendum *amabo?* Sed tum tamen dicendum esset *est*, non *sit*.—Bentleius.

Veram constructionem loci, ad quem provocat, vir præstantissimus non pervidit, si quid in me sit acuminis. Quæ diximus autem inibi, lector inspiciat.

Ver. 923. *ad somnum si res redit*. "Si "mortuus homo somniculoso sit similis." Pius.

Ibid. *somnum atque quietem*. Hendyades est, pro *somni quietem*; ut Q. Curtius, vi. 10. 13. "Unde et parricidæ et prodi-"tori tam alta *quies somni?*" Sic infra, ver. 1051. *sopitus quiete*; et i. 31. *sopita quiescant*.

Porro, distichon est super hoc argumento Nasonianum, dignum, pro modulo et mensurâ ejus, quod cum his Lucretianis unâ legatur: nam haud dubitaverim affirmare, hos ducenos et quinquagenos fere versus, ad hujusce libri finem, esse vel nobilissimis antiquarum literarum reliquiis annumerandos; neque ipsius quidem Græciæ poëtas velim excipi: adeo sunt omnia elimata, numerosa, magnifica, gravia, *παθητικα*, ut nihil supra; et usque ad medullam animæ penetrantia. Locus autem Ovidii legitur in amor. ii. 9. 41.

Stulte, quid est Somnus, gelidæ nisi Mortis imago?
Longa quiescendi tempora Fata dabunt.

Legas ibidem frugiferas Heinsii collationes.

Ver. 924. *Quur*: sic passim scribimus: et in hoc loco Δ. noster etiam exhibet *Qur*, vero proxime.

Ibid. *tabescere luctu*. Ita Plautus, capt. i. 2. 30. *mærore tabesco*: Terentius, adelph. iv. 3. 11. *dolore tabescit*: Ovidius, met. xiv. 431.

Luctibus extremum, teneras liquefacta medullas,
Tabuit:

Græcos secuti, qui hanc translationem frequentavere. Exemplo sufficiat Euripides, Med. 159.

Μη λιαν ΤΑΚΟΥ,
ΟΔΥΡΟΜΕΝΑ σον ευνεταν:

Pocula sæpe homines, et inumbrant ora coronis;
Ex animo ut dicant, " Brevis hicc' est fructus homullis:
" Jam fuerit; neque post umquam revocare licebit!"

vestigia Homeri legens, ad Il. Γ. 176.

> Αλλα τα γ' ουκ εγενοντ' το και ΚΛΑΙΟΥΣΑ ΤΕΤΗΚΑ.

Tabescere potest igitur, *liqui*, *macerari*, (vide verr. 75. 838.) *diffluere;* quarum vox ultima certissime redonanda est Apuleio, met. iv. fin. " Psychen—paventem " ac trepidam, et in ipso scopuli vertice " *diffluentem*—." Libri, *deflentem*, et *defluentem:* posterius placuit Oudendorpio, per inscitiam in tam docto viro summopere mirandam, haud callenti, quidnam distent *liquens* et *diffluens* τοις *defluens* et *delabens:* vide nos, verr. 198. 517. hoc libro. Longe saniora viri docti protulerunt ad Livium, xli. 15. 1. ubi *diffluxisse* verissima est scriptura; et *defluxisse* prorsus alienum et ineptum. Inter hæc autem liceat veras rationes loci in Sophoclis Electrâ, ver. 120. aperire; cujus constructionem nemo penetravit, aut perspexit elegantias:

> Ω παι παι δυστανοτατας
> Ηλεκτρα ματρος, τιν' αει
> Τακεις ὡδ' ακορεστον οιμωγαν,
> Τον παλαι εκ δολιρας αθεωτατας
> Ματρος ἁλοντ' απαταις, Αγαμεμνονα;

" Quemnam insatiabilem luctum indesi- " nenter stillas, Agamemnona scilicet—." Dictum est utique, ut illud Virgilii gemellum, in ecl. vii. 21. et mille alia:

> Nymphæ, *noster amor*, Libethrides—.

Ver. 925. *Hocc': P. Hæc;* ut infra Π. ad ver. 929. V. ed. *Nec;* sed vitio, opinor, codicem tractantis, literam majorem *H*, pro *N*, accipientis; quum sint sibi invicem simillimæ: vide nos ad ii. 231.

Ibid. *Hocc' etiam faciunt:* i. e. Eo stultitiæ ventum est, ut " etiam inter con- " vivia, ubi mentes debeant hilaritudine " et lætitiis diffundi, solicitudinibus de " vitæ brevitate gaudia sua interpelli pa- " tiantur. Usque adeo nullum tempus " miseris mortalibus a cogitatione mortis " vacat!"

Ibid. *discubuere.* Verbum est proprium convictibus epularibus. Ita Mantuanus, Æn. i. 700.

> ——— stratoque super *discumbitur* ostro.

Ver. 926. *inumbrant ora coronis:* i. e. obtegunt. Ad hunc modum priores Græci; ut Euripides, Androm. 1115.

> Δαφνη ΣΚΙΑΣΘΕΙΣ.

Neque aliter Virgilius, Æn. vi. 772.

> Atque *umbrata* gerunt civili tempora quercu:

unde Statius, Theb. vi. 554.

> ——————— Prior omnibus Idas,
> Nuper Olympiacis *umbratus tempora ramis*,
> Prosilit—.

Claudianus exempla terminet, bell. Gild. 444.

> *Umbratus* dux ipse *rosis:*

coronâ rosarum scilicet. Neque lautos pœnitebit adiisse Statii Theb. i. 103. appositum et elegantem locum.

Ver. 927. *hicc' est:* O. Δ. *est hic;* quæ malim: *est* abest Π.—*fructus:* Ω. *fruitus;* Vind. V. ed. B. O. Π. Σ. *fluctus.* Lege, *homulli:* alioqui scribendum erat, " Jam " *fuerint:*" homulli scilicet. Faber. Imo, jam *fuerit;* nempe *fructus* ille: ut Propertius, ii. 12. 49.

> Tu modo, dum licet, hunc *fructum* ne desere *vitæ.*

Bene igitur *homullis.* " Brevis hic est " fructus (vitæ) homullis." BENTLEIUS.

Ibid. *homullis:* nempe, *homunculis*, *homunc'lis*, *homullis*, *homulis;* quam postremam formam pedestri sermoni adscripserim. Glossarium vetus: " *Homulus*, ανθρω- " πιον, ανθρωπαριον." Unde fortassis plurium editionum scriptura non est loco movenda Ciceronis, in Pison. 25.—" quid cessat " hic *homulus* ex argillâ et luto fictus Epi-

Tamquam in morte mali cum primis hoc sit eorum,
930 Quod sitis exurat miseros atque arida torreat,
Aut aliæ quoius desiderium insideat rei.
Nec sibi enim quisquam tum se vitamque requiret,

"cureus—?" Multi MSS. libri, *homullus:* adhuc tamen diverse Priscianus, lib. iii. p. 614. ubi locus male Plauto assignatur: "Homo, homunculus: Plaut. in Ru- "dente: *Homunculi* quanti estis, ejecti "ut natant: (i. 2. 65.) Dicitur tamen, et "homuncio, et *homullus*, et homullulus. "Idem in eodem: *Homullulus* et ex ar- "gillâ et ex luto fictus." Glossarium Græcum: "Ανθρωπιον, *homullus:*" et, "Ανθρωπαριον, *homullus.*"—Cæterum, opportunum Stratonis epigramma adscribam, Brunck. analect. epig. 96. ut meâ operâ emendatius legatur:

Και πιε νυν, και ερα, Δαμοκριτε· ου γαρ ες αιει
Πιομεθ', ουδ' αιει παισι συνεσσομεθα·
Και στεφανοις κεφαλας πυκασωμεθα, και μυρισωμεν,
'ΑΥΤΟΙΣ' *πριν τυμβοις ταυτα φερειν ετερους.*
Νυν ΜΕΝ *εμοι πιετω μεθυ το πλειον* ΟΣΤΕ' ΕΝΑΙΜΑ·
Νεκρα δε Δευκαλιων αυτα κατακλυσατω.

Perpendas omnia diligenter, et oppositiones scitas locutionum: quo facto, meis, aut ego fallor, correctionibus subscribes.

Ver. 928. *neque:* Δ. *nec;* ut sæpe codex iste.

Ibid. *Jam fuerit.* Ita Virgilius, Æn. ii. 325.

———*fuimus* Troës; *fuit* Ilium—:

imitatus Euripidem, Troad. 581.

Ανδ. Πριν ποτ' ΗΜΕΝ.
'Εκ. Βεβακεν ολβος· βεβακε Τροια.

Adsit etiam Tibullus, iii. 5. 32.

Sive erimus, seu nos Fata *fuisse* volent.

Ver. 930. *torreat:* P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. *torrat;* vel de metro vanis timoribus moti, vel celerem vocalium colliquefactarum pronunciationem exprimere volentes: quidem codices Pii, et Ω. *terra;* omnino vitiose:

Ibid. *sitis exurat atque torreat:* ut *torrere* atque *urere*, v. 900. nihilo minus legendum forte:

Quod sitis exurat miseros atque arida *torqueat.*

Certe non aliter Statius, Theb. iv. 724. et voces *torreo* ac *torqueo* commutantur in Propert. iii. 4. 39. Sil. It. i. 194. et alicubi in Lucano. Sic autem se habent versus Papiniani:

Ergo nec ardentes clypeos vectare, nec artos
Thoracum nexus, tantum *sitis arida torquet!*
Sufficiunt—.

Ita castigandum esse locum arbitror, ex Lucretio.

Vulgo legitur, *horrida.* Jam vero verba cognata vidimus confusa ad i. 175. et *sitis arida* legitur in Ovid. met. xi. 129. in Anthol. Lat. iv. 11. 2. iii. 62. 15. ubi sic rescripserim:

Illic inter aquas *urit sitis arida* fauces:
Hic dat *sponsa suo* basia *mille* viro.

Alterius medicinæ Tibullus indiget, i. 4. 42.

Et canis *arenti* torreat arva siti:

illuc enim reponi debet *horrenti*, propter *arva* scilicet: confer Virg. geo. i. 66. 72. ii. 353. iii. 161. Rutilius, itin. i. 482.

Ast, ubi flagrantes admovit Sirius ignes,
Cum pallent herbæ, cum *sitit* omnis *ager*,
Tum, cataractarum claustris excluditur æquor,
Ut fixos latices *horrida* duret *humus.*

Ad quem locum incogitantiam Burmanni satis mirari nequeo, repositum euntis *torrida:* quas dictiones tamen non is sum, qui negem aliquoties commutatas: vide varias lectiones ad Lucan. iv. 239. Ad Propertium, iv. 9. 21.

———sicco *torret sitis* ora palato:

multi libri, *torquet;* sed recepta lectio nullâ de caussâ in hoc saltem loci sollicitari debet. Juvenalis codex MS. Canta-

Quom pariter mens et corpus, sopita, quiescunt;
Nam licet æternum per nos sic esse soporem:
Nec desiderium nostri nos adtigit ullum:
Et tamen haud quaquam nostros tunc illa per artus

brigiensis, his oculis usurpatus, ad sat. ix. 17. ita scribitur:

> *Torquet* quarta dies, olimque domestica febris:

ubi solet evulgari *Torret*. Arnobius, lib. iii. p. 125. sic uti viris doctis probabiliter correctus legitur, vulgatæ Lucretii scripturæ patrocinatur:—" hæc mala, quibus " uror, *torreor*, vexor—." Exemplaria MSS. dant *terreor*.

Cæterum, hujusce versûs Lucretiani memor erat Avienus in Arato, ver. 492. Sed locus eâ est exquisitâ venustate, ut integer apponi tyronibus mereatur. De *Pegaso* loquitur politissimus poëta:

> *Hunc hunc* Aonio quondam memorant Helicone,
> Inclyta post Lyciæ redeuntem bella Chimæræ,
> Mystica quâ rupes doctis obmurmurat antris,
> Herbarum carpsisse comas, et gramine odoro
> Explevisse famem: sed, cum *sitis arida* fauces
> *Ureret*, ac nullo manaret gurges hiatu,
> Illisisse pedem; cornuque excita repente,
> Lympha Camœnalem fudit procul Hippocrenen.

Vulgo legitur in primo versu, *Nunc hunc;* sed nos videmur vere rescripsisse: vide ver. 741. ibidem; et his repetitionibus summopere gaudet Avienus. Voculas autem *Hunc* et *Nunc* facillime permutari posse, te docebunt modo dicta ad ver. 925. et re verâ permutatas esse Burmannus ad Lucan. ii. 85. atque potissimum Drakenborchius, ad Liv. ix. 9. 9. Accedat Ammianus Marcellinus, xix. 8.—" qui— " facile *sitim*, quâ *adurebamur*, exstinxit." Sic, opinor, corrigendum: libri, *hauriebamur;* Valesius, *urebamur;* Gronovius, *ita urebamur.*

Ver. 931. *quoius:* Δ. Π. *cuivis;* in quâ varietate reliquias antiquioris scripturæ, nobis resuscitatæ, facile agnoscas.

Ibid. *rei.* Pariter μονοσυλλαβως effertur vox in versibus Ennianis, apud Cicer. Tusc. dispp. iii. 13.

> Ego, quom genui, tum morituros scivi; et ei *rei* substuli.

Sic Lucilius etiam, in Lactant. vi. 5.

> Virtus, quærendæ finem *rei* scire, modumque.

Similiter *ei* in Catullo, lxxxii. 3. ubi docti animadversores alia exempla congessere.

Ver. 932. *tum:* Δ. *cum.*—*requiret:* sic universi codices, et editi vetusti: sapientiores autem editores nobis de suo *requirit* benignissime largiuntur; quasi non hoc modo scriptores optimi centies variarent, et ipsi hic obtinerent regnum.

Ibid. *se vitamque requirit:* latius dictum est pro *vitam suam*. Pari sensu dictionem Virgilius elegantissime adhibuit, Æn. i. 217.

> *Amissos* longo *socios* sermone *requirunt.*

Ubi commentaria Burmanni perlegenda sunt. Confer ejusdem poëtæ geo. iii. 70.

Ver. 933. *Quom:* uti quam proxime Π. *Com* exhibens: redi ad ver. 931.

Ibid. *sopita quiescunt.* Naso, met. xi. 251.

> —— cum gelido *sopita quiescet* in antro—.

Ver. 934. *licet per nos sic:* i. e. " hac " conditione, ut quiescamus prorsus, et " altissimo somno devinciamur, nostrâ " nihil intererit, si vel æternus sopor ille " fuerit; neque soporem talem, quo mi- " nus æternus sit, cavere quimus, aut " etiam curamus."

Ver. 935. *adtigit:* Vind. L. O. Δ. Π. Σ. *adigit;* V. ed. B. *idigit.* Nempe vetustior dictio scrupulum injecit scribis. Paullus: " *Tagit* simpliciter dicitur; quod " *attigit, contigit,* facit compositum." Festus: " *Tagit,* Pacuvius in Teucro: " Ut ego, si quisquam me *tagit.* Et *ta-* " *gam* idem in Hermione: Aut non cer- " nam, nisi *tagam;* sine dubio antiquâ " consuetudine usurpavit: nam nunc ea " sine præpositionibus non dicuntur; ut

Longe ab sensiferis primordia motibus errant;
Quom conreptus homo ex somno se conligit ipse.
Multo igitur mortem minus ad nos esse putandum est:
Si minus esse potest, quam quod nihil esse videmus.
Major enim turbæ disjectus materiaï
Consequitur leto; nec quisquam expergitus exstat,

"*contigit, attigit.*" Nonius Marcellus, ii. 60. "*Attigit, contingit:*" deinde exempla vocabuli ex Turpilio, Accio, Plautoque, subnectit. Sic in antiquissimâ lege Numæ apud Gellium, iv. 3. "Pelex asam "Junonis ne *tagito;* si *taget,* crinibous "demessis, arnum feminam caidito." A Græco scilicet Θιγω, literâ aspiratâ in tenuem mutatâ, pro Æolum consuetudine, qui linguam suam Latinæ plurimum immiscuere. Diomedes, gramm. i. p. 378. "Attingo, attingis, omni eruditorum con-"sensu dicimus. Verum reperimus apud "nonnullos auctores, quibus eloquentiæ "et elegantiæ tributa est opinio, sine *n* "literâ dictum, quasi *attigo, attigis;* ut "Pacuvius in Medo: Custodite hunc vos, "ne quis vim adtulat, neve *adtigat.* Item "Plautus in Most. pluraliter: Abscedite; "ædis ne *adtigatis.*" Hæc forma sæpius occurrit in Plauto. Temporum ratio suadet Terentium non aliud voluisse ad Hec. i. 2. 61.

Ibid. *nostri;* nempe ut sit in secundo casu plurali: sic nuper *se,* ver. 932. Interpres, et Pius, non deprehendit rem: solummodo enim dicit Carus, "Nos in "altissimo somno de nobismetipsis, an "mortui simus, an vivi, non solicitos esse, "neque ullo desiderio vitæ prorsus affici;" sensu scilicet omni carentes.—*ullum:* Δ. *unum.*

Ver. 936. *Et tamen—:* i. e. "In som-"no non longe absumus ab illo sensu, "quem motus excitant primordiorum, et "tamen nullo vitæ desiderio movemur: "quanto minus igitur movebimur in "morte, cum primordia dissipantur, et "sensûs ciendi potestatem omnem ami-"serunt?"—Porro, vice *illa,* P. *ulla.*

Ver. 938. *Quom, Quum,* vel *Cum:* sic omnes libri; verissime: temerarii tamen editores suum *Quin* Lucretio impegerunt.

Ibid. *conreptus ex somno.* Phrasim Virgilius etiam exhibuit, Æn. iv. 572. ubi scribam *ex:*

Corripit e somno corpus—:

quam lectionem merito præposuere docti editores τῳ *a somno* nonnullarum membranarum.

Ibid. *se conligit:* i. e. *congregat* errantia sensuum primordia, e quibus homo vivens consistit.

Ver. 939. *minus* non legitur in Δ. nec *est* in Σ. quam voculam solent editores etiam omittere, contra reliquos omnes libros.

Ver. 941. *disjectus:* i. e. disjunctio, et dispersus. Dictio est, ut videtur, ex ἅπαξ λεγομεναις: vide i. 1019. ii. 938. iii. 639.

Ver. 942. *expergitus.* Festus: "*Ex-*"*pergitus,* ab alio excitatus: quem sole-"mus dicere expergefactum." Diomedes, "(lib. i. p. 372.)—" *Expergor, expergi-*"*tus—.* Sed *expergitus* dicitur, qui sa-"tiatus somno sponte evigilat. Unde et "Lucilius ait:

"———————— ergo,
"E somno *pueris* quom mane *expergitus,* cla-
"mo."

Arnobius, lib. 5.—"*expergitos*que illos "statim perdocuisse regem—." Lambinus. Sic autem corrigendum esse putem Lucilii fragmentum. Libri, *pueros.* Nonius, ii. 278. "*Expergo,* pro expergefa-"cio." Tunc apponit exempla ex Accio, et Santrâ; in quorum posteriore, vice *exite vadit,* reponendum arbitror, *exit et*

Frigida quem semel est vitaï pausa sequuta.
Denique, si vocem rerum Natura repente
Mittat, et hocc' aliquoi nostrûm sic increpet ipsa:
"Quid tibi tanto opere est, Mortalis, quod nimis ægris
"Luctibus indulges? Quid mortem congemis, ac fles?
"Nam, gratum fuerit tibi vita ante acta, priorque,

cadit; ut id moneam in transitu. Creechius etiam *expergebat* protulit ex Gellii vi. 10. ubi videas Gronovium; et Apuleius multoties dictione usus est.

Ex hac autem gravissimâ quidem veritate, quam nobis Lucretius obmovet, pendent Achillis stupor atque admiratio in poëtarum principe, Il. Φ. 54.

> Ω ποποι, η μεγα θαυμα τοδ' οφθαλμοισιν ὁρωμαι·
> Η μαλα δη Τρωες μεγαλητορες, οὑς περ επεφνον,
> Αυτις αναστησονται ὑπο ζοφυ ηεροεντος.

Et in transcursu libet oraculi primos versus, apud Stobæum, ecl. phys. p. 128. emendatiores linquere:

> Σωμα λυθεν, ψυχην τε λιπον 'HN, ΚΑΠΟΓΕΝΗΘΕΝ,
> Ουκ ετι προς βιοτοιο παλινδρομον ΕΙΔΕ κελευθον:

ad normam locutionis in S. Luc. ix. 53. Apuleius, met. vi. p. 413. "Nam, si "spiritus corpore tuo semel fuerit sejuga-"tus, ibis quidem profecto (f. *profecta*) "ad imum Tartarum, sed inde nullo "pacto redire poteris." Ubi plura, huc spectantia, editores. Vide nos, ad Eurip. Herc. fur. 296.

Ver. 943. *vitaï pausa:* i. e. mors: sed epitheton *Frigida*, quod morti pulchre convenit, fit audacius, dum periphrasi eodem modo accommodatur: poëtis tamen hæc venia non ægre permitti solet. Interea, Virgilius, Æn. iv. 385.

> Et, quum *frigida mors* animâ seduxerit artus,
> Omnibus umbra locis adero.

Servius: "Hypallage, pro, animam ar-"tubus *seduxerit.*" Grammatici verba sic esse castiganda nihil potest esse manifestius. De hac autem poëtici sermonis formulâ diximus ad ver. 297. hujusce libri, et alias.—Abstraxerat nempe *artubū* primam literam sequentis dictionis, jam factæ *eduxerit*. Porro, Π. *vita*, pro *vitaï*.

Ibid. *sequuta*, pro assecuta: quâ licentiâ verborum simplicium, compositorum officio fungentium, Græci longe libentius utuntur; vide Eur. Phœn. 577. ed. Valck. Silius non aliter cum hac ipsâ dictione rem administravit, Pun. viii. 196.

> Vicini ad ripas fluvii manifesta *sequuntur*
> Signa pedum:

i. e. inveniunt, perveniunt, *assequuntur*.

Ver. 944. *vocem Mittat.* Exempla locutionis videas apud Grangæum, in Juvenal. xiii. 114. Virgilius, Æn. xii. 929.

> ——— *vocem* late nemora alta *remittunt*.

Ver. 945. *hocc'*, in accusandi casu: nam phrasis *hocc' aliquoi increpet* hypallage est, qualem vidimus ad ver. 943. pro usitatiore, *hoc aliquem increpet.* Mantuanus, Æn. ix. 560.

> *Quem* Turnus, pariter cursu teloque secutus,
> *Increpat his* victor.

Ver. 946. Hyperbaton est verborum in hoc loco; sic enim se naturalis ordo constructionis expedit: "Quid est tibi, Mor-"talis, *ob* quod indulges luctibus nimis "ægris tanto opere?" Similis positura verborum *αὐτως* et *ταχιστα* extra ordinem legitimæ constructionis passim Græcis frequentatur: quam rem nos perfunctorie præstrinximus ad Silv. Crit. iv. p. 239.

Ver. 947. *congemis:* V. ed. *congenus;* inscite confusis literarum ductibus.

Ibid. *Luctibus indulges*, Maro, Æn. ii. 776.

> Quid tantum insano juvat *indulgere labori?*

Aliter *dolori* legitur: sed illa scriptura

"Et non omnia, pertusum congesta quasi in vas,
"Conmoda perfluxere, atque ingrata interiere;

fortassis exquisitior est, et acumen librariorum minus sapit: vide supra dicta, ad ver. 367. et ex alterâ sane parte imitationem Papinianam, Theb. vi. 83.

Ver. 948. Quicquid ubique est Latinitatis, nihil habet elegantius, quo se jactet, quam versus coram nobis, conjecturis meis ex parte concinnatus: nam in re deploratâ, et numeris corruentibus, non erat alibi perfugium paratum, nisi in acumine qualicumque emendatoris. Post quam lectionis varietatem recensuerimus, rationes constructionis declarabuntur. Nimirum, in O. Δ. Σ. versus ita scribitur:

Nam tibi grata fuit vita ante acta priorque;

pede deficiens. Integer evaderet, neque invenustus, modo liceret nobis interponere *si:*

Nam tibi grata fuit *si* vita ante acta priorque:

atque ad hanc normam vulgo solet edi, transpositis solummodo voculis *si* et *tibi:* sed meliorum codicum testimonia huic constitutioni versûs vehementer obstant. —*si:* deest P. Vind. L. M. Π. Ω.—*gratum:* sic sola V. ed. Quidam Pii codices, *gratis*, ut Vind. L. M. Π. Ω. quæ vox, nisi idem apud antiquos valuerit τῷ *gratus*, cujus significationis nec volam nec vestigium, undique indagans, odorari possum; fieri nequit, ut stationem suam tueatur: P. *grata.*—*fuerit:* P. *fluxit;* alii omnes, *fuit*, legibus metri repugnantibus: quid vero facilius, quam τῷ *fuerit* migrare in *fuit?* De hoc genere aberrationis, nos superius, ad ver. 804. Jam vero *gratum* cum *vita* longe venustissimum est: hanc autem formulam satis agitavimus ad Silv. Crit. v. p. 21. et locos inibi memoratos; exemplum tamen liceat Virgilianum dare, ex geo. i. 36.

Quidquid eris; nam *te* nec sperent Tartara regem.

Gemellam omnino locutionem redi, ad ver. 56. hujusce libri.

Denique, de hac omissione satis usitatâ *si* conjunctionis, *fuerit tibi*, pro *si fuerit tibi*, videas Statium, silv. i. 2. 132. Theb. ii. 242. Claudianum in Rufin. i. 103. et in primis Fabri lexicum, Ulitium ad Grat. cyn. 60. cum Burmanno ibid. 454. Hinc emaculandus est Boëtius, cons. phil. lib. ii. pros. 3. init. "Tum ego: Speciosa "quidem ista *sint*, inquam; oblitaque "rhetoricæ ac musicæ *melleâ dulcedine;* "tum tantum, cum audiuntur, delec-"tant." Vulgo scribitur, *sunt*, et *melle dulcedinis;* sed liber MS. dat *dulcedine.* Quemadmodum profecto mox ille idem locutus est, ad met. iii. 7.

Spiret insanum nebulosus auster,
Jam spinis abeat decus.

Ver. 949. *pertusum in vas.* Ita Plautus, Pseud. i. 3. 135.

In pertusum ingerimus dicta *dolium:* operam ludimus.
Preigeris.

Conferas etiam Terent. Eun. i. 2. 25. qui locus valde appositus est: sed ad Danaïdarum fabulam potissimum videtur alludere poëta, sic uti ex collatione ver. 1022. mox venientis liquido lectoribus patebit.

Ver. 950. *interiere:* Π. *conteriere;* Ω. *interire.*

Ibid. *Conmoda perfluxere.* Similiter Cicero, de finn. i. 12.—"nec præteritas *vo-"luptates effluere* patiatur."

Ibid. *ingrata.* Non aliter Martialis, in pulcherrimo sane, si quid uspiam, poëmatio, x. 23. 5.

Præteritosque dies et tutos respicit annos,
Nec metuit Lethes jam propioris aquas.
Nulla recordanti lux est *ingrata*, gravisque;
Nulla subit, cujus non meminisse velit.

In primo versu τὸ *tutos annos* minus placet; forte *tutus:* sed integrum versum ita potius recoctum velim:

*Præteritis*que dies *ex tuto* respicit *annis:*

quæ pervenusta esse, neque ea, quæ in receptas lectiones non facile essent librariis contorquenda, nemo, his rebus exercitatior, et elegantiarum sensu pollens,

" Quur non, ut, plenus vitæ, conviva, recedis,
" Æquo animoque capis securam, stulte, quietem?

mihi denegabit. Plura autem, de hac potestate vocis *ingratus*, videas apud Propertii editores, ad eleg. i. 3. 25.

Ver. 951. *Quur.* Priscianus, lib. i. p. 560. " Apud antiquos frequentissime, loco *cu* syllabæ, *quu* ponebatur,—*quum* pro *cum: quur* pro *cur*." Velius Longus, de orthog. p. 2236. " Quasdam vero scriptiones antiquis relinquamus; ut in eo quod est *cur;* illi enim per *quor* (an *quur?*) scribebant;—et ipsum cui, per quoi." Fortasse tamen tam *quor*, quam *quur*, fuerit in usu; ut *quom* et *quum*.

Ibid. *plenus vitæ conviva:* ut Corippus, i. 143.

——————— lætus, *plenus*que *dierum*.

Verum enim Venusini vatis imitatio vel pueris in recordationem reditura est; cujus tamen, quod valde mireris, rectam constructionem nemo perspexit, ideoque, uti arbitror, aliam lectionem præposuere, sat. i. i. 118.

Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
Dicat, et, exacto contentus tempore, *vitæ*
Cedat, uti conviva, satur, reperire queamus.

Ita versus optimi interpungendi sunt; nam ordo est: " Et, contentus exacto tempore, cedat satur vitæ, uti conviva." Res loco Lucretiano ad liquidum perducitur. Appositi sunt etiam suaves versus Statii, Preigero quoque non prætereundi, silv. ii. 2. 127.

———— dubio quem non in turbine rerum
Deprendet suprema dies; sed abire paratum,
Ac *plenum vitâ*.

Marklandi emendationem *dubium* nec necessariam puto, nec probare possum; qui vir tamen doctissime atque ingeniosissime semper, et admodum feliciter persæpe, suum munus administravit.

Ibid. *plenus vitæ.* Superveniat Gen. xxxv. 29. vulg. vers.—" et appositus est populo suo, senex, et *plenus dierum*."

Ver. 952. *animoque:* II. *animo atque;* nempe, ut versus hoc pacto, neque invenuste quidem, constituantur:

Quur non, ut plenus vitæ conviva, recedis
Æquo animo: *atque* capis securam, stulte, quietem?

Quæ fortasse lautis hominibus non temere ac superbe rejicienda videbuntur.

Ibid. *Æquo animo:* i. e. cum animo conditioni novæ, mutatæ cum vitâ mortis, acquiescente. Virgilius, Æn. x. 450.

Aut spoliis ego jam raptis laudabor opimis,
Aut leto insigni. *Sorti pater æquus utrique* est.

" Hoc est, *Æquo animo* feret, si occidero:" quæ Serviana est ad locum interpretatio.

Ibid. *securam quietem.* Sic Maro, geo. ii. 467.

At *secura quies*, et nescia fallere vita——:

i. e. " vita, quæ possessorem suum mutabilitate non fallit ac ludificatur;" uti probe Servius in alterâ interpretatione, quam recte Heynius amplexus est, sed molimine cum verbosissimo exposuit. Apud alios etiam scriptores *secura quies* non raro invenitur.

Hinc autem suum *tuta quies* Statio redonandum est, ad silv. i. 3. 41. quem locum, pace tanti viri dixerim! Marklandus noster, minus accurate intelligens, egregie depravavit, conjecturâ propriâ in contextum inferendâ:

——————— Venerabile dicam
Lucorum senium? Te, quæ vada fluminis infra
Cernis, an, ad sylvas quæ respicis, aula, tacentes?
Quâ tibi *tuta quies*, offensaque turbine nullo
Nox silet, et teneros invitant murmura somnos?

Vulgo, " *tota* quies." Nempe, sylvæ *tacent*, nec turbine inquietant, ob distantiam; *murmura* autem *fluminis*, infra labentis, invitant somnos. Jam vero omnia nunc esse vel *κρείττονες*, quod aiunt, *ὑγιέστερα*, nullus dubitaverim affirmare. Cæterum, vocabula *totus* et *tutus* librariis permutata sunt ad Lucan. v. 107. Sil. Ital. x. 312. Horat. od. i. 17. 5. Liv. xxviii. 4. 7. Anthol. Lat. iii. 63. 9. ut aliis locis scrupulose persequendis supersedeam.

"Sin ea, quæ fructus quomque es, periere profusa;
"Vitaque in obfenso est; quur amplius addere quæris,
"Rursum quod pereat, mali, et ingratum obcidat omne?

Ibid. *capis securam quietem.* Pariter Ovidius, fast. vi. 331.

Vesta jacet, placidamque *capit secura quietem*
Sic, ut erat, positum cespite fulta caput.

Quem locum ideo potissimum apposui, ut formulæ illius usitatissime, *sicut erat*, rationes evolutas darem. Sic se habet igitur constructio sententiæ: "Vesta capit "quietem sic secura, ut erat; fulta *scilicet* "caput cespite:" i. e. non solicita de se tutandâ, quamvis sic jaceret indefensa, et cuivis exposita venturo. Nimirum, ea phrasis semper in se notionem continet negligentiæ cujusdam vel inaffectatæ simplicitatis, vel extremæ imbecillitatis denique. Gravissimum de illâ errorem Burmanni notavimus dudum ad Silv. Crit. iii. p. 137. Simili caligine involutus, versus longe pulcherrimos contaminavit Heinsius Nasonianos, met. x. 7. locutione inculcandâ, quam sincera Latinitas indignabunda respuit:

Fax quoque, quam tenuit, lacrymoso stridula fumo
Usque fuit; nullosque invenit motibus ignes.

Ibat repositum nempe vir acutissimus, *Utque fuit.* Hinc recte constituam, nisi fallor, locum J. Obsequentis, de prodig. sect. cxxvii. qui viros eruditos egregie exercitos, et elusos, habuit: "Cæsari dicta"tori exta sine corde inventa. Calpurnia "uxor somniavit, fastigium domûs *omne*, "sic, ut erat, *avectum*, ruisse:" i. e. integrum et indivulsum. Vulgo, *quod*, atque *adjectum*. Illud *οὐ*, vel *omne*, haud difficulter in compendiosam *τυ quod* effigiem migraret. Enim vero, hoc Latinorum *sic ut erat*, examussim respondet τῳ ὡς, et ὡς περ, ειχε Græcorum; de quo nihil viderunt editores Æliani, in var. hist. xiii. 2. Ἠκε δε αγγελια προς τον Μακαρεα· και, απολιπων την τελετην, ὡς ειχε (*sic ut erat*, cum vestitu scilicet atque apparatu sacerdotali) συν ὁρμῃ και θυμῳ εισπηδησειν εις την οικιαν—. Interpres toto quidem cœlo aberravit: sed piget ineptias transcribere; locum lector consulat. Nihilo oculatiores se præstiterunt editores Thucydidis, ad i. 134. Και μελλοντες αυτω αποψυχειν, ὡς περ ειχεν, εν τῳ οικηματι, αισθομενοι, εξαγουσιν εκ του ἱερου, ετι εμπνουν οντα: i. e. *sic ut erat*, ita positum et se habentem, in ædiculâ. Eo magis miror interpretem, quod officium docte peregerit in consimili loco libri ii. sect. 4. sub finem. Sed diu nimium exspatiati sumus, et regrediendum est in viam.

Ver. 953. *Sin ea quæ fructus:* P. *Sin ea quæ functus;* V. ed. *Sive æque fluctus;* Π. Σ. *Sive aquæ fluctus;* errore scilicet errorem pariente: vide ad i. 867.

Ibid. *periere profusa:* ut aqua nempe, in terram sparsa, colligi nequit, et disperditur: vide i. 251. Psalmus lviii. 7. Εξουδενωθησονται, ὡς ὑδωρ διαπορευομενον—. Ubi, pro διαπορευομενον, nisi me Hebraïca absterrerent, nihil novandum esse edicentia, rescribendum ΔΙΑΦΟΡΟΥΜΕΝΟΝ conjecissem.

Ver. 954. *obfenso:* Σ. *offensa;* vulgares editi, *offensu;* per facinorosæ prorsus exemplum temeritatis: vide ad ii. 438.—*quæris:* Vind. V. ed. Π. Ω. *quæres.*

Ibid. *Vitaque in obfenso est.* Similiter Arnobium locutum esse deprehendimus, in lib. iv. p. 128.—"feliciter vero *viven*"*tis*, ac sine ullis *offensionibus*, felicita"tem." Translatio autem est a viatore, pedem lapillis et aliis obstaculis impingente. Pari modo persæpe Græci προσκρουειν, πταιειν que: vide S. Jacob. iii. 2. His committas suavissimos Theocriti versus, idyll. vii. 26. eodem respicientes, cum Horatio, sat. ii. 6. 30. Eleganter Lucianus, Hermot. 25. και ἡ μεν (ὁδος) δια λιμνων και φυτων και σκιας, ευυδρος και ἡδεια, οὐδεν ΑΝΤΙΤΥΠΟΝ, η δυσβατον, εχουσα—.

Ibid. Democritus: Ανοημονες, το ζην ὡς

"Non potius vitæ finem jacis, atque laboris?
"Nam, tibi præterea quod machiner inveniamque,
"Quod placeat, nihil est: eadem sunt omnia semper.

(l. ὁμως) στυγεοντες, ζην εθελουσι δειματι αϊδεω. Idem: Ανημονες, θανατον δεδοικοτες, γηρασκειν εθελουσι. BENTLEIUS.

Ver. 955. *mali:* sic V. ed. B. L. O. Δ. Π. Ω. reliqui, ut vulgares editiones, *male;* multo minus eleganter. Metuebant nimirum boni viri, ut vox *amplius* virili nominis officio defungi posset: sed quam immerito, Plautus doceat, Cist. v. 4.

———————————— Gaudeo
Tibi meâ operâ *liberorum* esse *amplius*——:

et Mensech. v. 2. 93.

Prius quam *turbarum quid* faciat *amplius*——.

Subjungam Terentium, Heaut. i. 1. 3.

Nec *rei* fere sane *amplius quidquam* fuit.

—*obcidat:* P. V. ed. *accidat;* non inepte, ut censeo; sed ob ver. 950. vulgatum facile prætulerim: B. *accidit.* Porro, Π. habet *gratum*, vice *ingratum.*

Ibid. *mali:* i. e. infortunii, vel offensionis; respice ver. 954.

Ver. 956. *Non:* sic, longe efficacius et animosius, L. M. O. Δ. Σ. Ω. vulgo, *Nec*, ut Π. sed P. V. ed. *Nunc;* in Vind. totus versus desideratur.—*finem:* Π. *fine.* —*jacis:* P. Ω. *facis;* ut in editis communibus legitur: et sane dictiones *facio* et *jacio* commutatæ sunt ad Liv. xli. 4. 2. ubi plura Drakenborchius; ad Vell. Paterc. ii. 65. Ovid. fast. vi. 438. sed in Lucretio pluribus et incorruptioribus libris stari debet. *Jacere* nempe, pro *ponere*, sæpissime adhibetur. Prostet Virgilius, geo. iv. 294.

Omnis in hac certam regio *jacit* arte *salutem:*

ubi Servium consulas, et Nonium præsertim, iv. 249. qui versum etiam Virgilianum protulit, locumque ex Lucilio appositissimum. Phrasis autem Lucretii morem respicit limitum agris ponendorum, vel metarum; quas lapides angulares, fuisse pyramidatos, tam ex Gellio aliisque, quam ex speciminibus, quæ per ruinas temporum ad nos integra pervenere, probe novimus. Hinc autem lux Euripidi, Hec. 16. quum turres etiam, et alia ædificiorum genera, ad fines regionis persæpe ponerentur:

'Εως μεν εν γης ΟΡΘ' εκειθ' 'ΟΡΙΣΜΑΤΑ,
ΠΥΡΓΟΙ τ' αθραυστοι Τρωϊκης ησαν χθονος—.

Porro, in *f* et *j* literis scribæ non raro turbant; cujus aberrationis exemplum vide ad i. 35.

Ibid. *finem vitæ jacis:* i. e. "terminos "ponis vitæ tuæ;" uti scriptores optimi passim loquuntur. Virgilius, Æn. iv. 614.

Et sic fata Jovis poscunt, hic *terminus hæret:*

i. e. hæc *meta* satis alte infigitur telluri, adeo ut stationem tueri possit, et *recta* durare. Est enim et huic versui similis translatio.

Ver. 957. *inveniamque:* P. *inveniamque est.*

Ibid. *machiner inveniamque.* Hoc quoque per hendyadem debet accipi, pro "Quod tibi per machinam quamvis inve-"nire ac comparare valeam." Jam vero vocem *machinor* et cognatas a Græciâ profluxisse, atque ibi similiter passim usurpari, in his literis prorsus hospes sit necesse est, qui se docendum postulet.

Ver. 958. *placeat:* L. M. *placet;* qui vetustissimorum exemplarium consensus scrupulum nobis injicit. Anne autem quiddam τῳ *est*, ad finem versûs præcedentis in P. posito, subindicatur; et an dederit Lucretius?

Quod *placet*, *est* nihil: *ast* eadem sunt omnia semper.

Saltem, ut nunc se res habet, citra necessitatem nihil novandum est.

Ver. 959. *Si tibi annis corpus marcet:* i. e. tabet, liquitur: vide ii. penult. Glossator vetus: "*Marceo*, τηκομαι." Commodum accesserit distichon speciosissimum elegiæ in Anthol. Lat. iii. 275. 58.

" Si tibi non annis corpus jam marcet, et artus
" Confectei languent; eadem tamen omnia restant,
" Omnia si perges vivendo vincere secla;
" Atque etiam potius, si numquam sis moriturus:"—

cui veneres tamen per pravissimam distinctionem magnâ ex parte periere:

> Sunt tibi colla quidem nive candidiora; recenti
> Sed nive, quæ, nullo *marcida* sole, jacet.

Vulgo interpungi solet ad *recenti*. Ovidius, amor. i. 13. 41.

> Cur ego plectar amans, *si vir tibi marcet ab annis?*

qui locus Lucretiano multum similis.

Ver. 960. *Confectei:* i. e. " annis in" gravantibus defatigati." De hac voce consulas Oudendorpium, ad Frontin. strat. ii. 5. 4. Sed enim nihil opus est repetito *annis* ἀπὸ κοινοῦ*:* sic enim absolute Ovidius, ad Liv. 124.

> Gloria *confectæ* nate *parentis*, ubi es?

Et Terentius, And. ii. 1. 3.

> Ita, post quam adempta spes est, lassus curâ,
> *confectus*, stupet:

ab hac enim distinctione vires acquirit locus. Sic noster, vi. 1246. *lassei lacrumis luctuque:* habet tamen Maro, Æn. vi. 520. *confectum curis*, ut alibi *ævo*, et *ætate*, *confectus:* vide Bentleium, ad Phæd. i. 21. 3. Hinc emendabo Democharin, apud Rutilium Lupum, i. 2. p. 9. qui locus ingenium Ruhnkenii infeliciter lusum habuit, et exercitum: " Nam quis " hæc simul universa perpeti possit, ti" morem, morbum, senectutem, contu" meliam, inopiam, vim? quarum quæ" vis una res per se satis gravis est ad *con"ficiendum*." Nihil videtur certius hac emendatione, quæ ex Aldinâ lectione *officiendum* faciliter profluit; neque ultra disquirendum putem: aliter, ex scripturâ librorum reliquorum, *efficiendum* scilicet, haud violens nimium potestas *defatigandum*, vocem venustissimam, effingeret. Hegesias ibidem, cap. 7. " Misereminì " senectutis; quæ me etiam sine cæteris " malis graviter *defatigat*." Porro, *con* et *ob* confusa videas ad ver. 908. ut alibi sæpe.

Ver. 961. *perges:* ita P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. et placet: vulgo, *pergas*. —*vincere:* Π. *vivere;* quod non rejecissem, si codices alii addixissent: hanc enim eorundem vocabulorum societatem Lucretius deamat et frequentat: in dictionibus etiam *vivo* ac *vinco* libri MSS. variant ad Ovid. met. xv. 401. Lucan. vi. 302. adi Drakenborchium in Liv. viii. 20. 6. sed nihil in Caro demutari malim. Hunc versum Virgilius haud dubie in oculis habebat, ad geo. ii. 295.

> ——————— multosque nepotes,
> Multa virûm volvens *durando secula*, *vincit:*

i. e. " dum durat, et quasi cum tempore " volvente volvit, vincit multos nepotes, " et multa secula." Ad Anthol. Lat. ii. 119. 139. eodem modo codices inter *vixisses* et *vicisses* fluctuant; quorum hoc cum Burmanno equidem longe preferam:

> Nestoris annosi *vicisses secula*, si me
> Dispensata tibi stamina nente forent.

Elegantissime Juvenalis, sat. xii. 128.

> *Vivat* Pacuvius, quæso, vel *Nestora totum*.

Ibid. *Secla* scilicet *hominum*, non *annorum:* sed vide ver. 1103. Ergo cape de omnibus *seclis annorum* usque ad hujus mundi exitium. Bentleius. Posterior interpretatio certe vera est.

Ver. 692. Hic versus rubricâ notatur in L. et omnino deest M. Sane, salvo sensu, poterat abesse; sed, nobis saltem judicibus, *ἀφέλειαν* atque ubertatem styli Lucretiani valde sapit, et ægre ferrem egomet sublatum. Similis est redundantia sermonis mox in ver. 968.

Ver. 963. *respondemus:* sic universi libri; facessant igitur cum suo *respondeamus* inscitissima editorum natio, quibus aderat nec tantillum pensi, splendidæ

Quid respondemus, nisi justam intendere litem
Naturam, et veram verbis exponere caussam?
At, qui obitum lamentetur miser amplius æquo,
Non merito inclamet magis, et voce increpet acri?

chlamydi auctoris sui fedos panniculos assuentibus.—*nisi:* hanc lectionem editoribus debemus; nam, quantum intelligo, omnia prima exemplaria miro consensu dant *si.* Nos potius rescribendum esse arbitramur ad hunc modum scilicet:

Quid respondemus, *sin* justam intendere litem
Naturam——?

i. e. " Quid respondemus, *si non,*" respondemus scilicet? Litera *n* facile dilaberetur inter similes elementorum ductus, quos habet sequens vocabulum. Sed permittimus rem lectori docto dijudicandam; et nihil mutari malumus, quum librarii scriptores in *si* et *nisi* turbaverint ad Ovid. trist. v. 9. 35.—*intendere:* V. ed. *incendere;* quæ verba ob similitudinem magnam elementorum *c* et *t* facillime permutari possunt, et ipso facto permutantur ad Liv. xxiv. 37. 3. ubi consule Drakenborchium. Neque contemnenda foret phrasis *litem incendere,* nisi recepta in hac re pervulgata et propria ferretur. Cicero, de orat. 10.—" et, cum universi in " te inpetum fecissent, tum singulæ fa- " miliæ *litem* tibi *intenderent.*" Ambigi potest, utra utri sit scripturæ præferenda, quum codices habeant utramque, ad Varronis de re rust. lib. iii. cap. ii. 16.— " quæ nunc innumerabiles *incendunt* an- " nonam:" nam modo dixerat, " quæ " tunc innumerabiles *excandefaciebant* an- " nonam macelli:" Demosthenes autem contra Dionusodorum habet, *τινων αἱ τιμαι* ΕΠΕΤΕΤΑΝΤΟ: " quorum pretia *in-* " *tenta* erant."

Ver. 964. *Naturam:* P. *Natura;* et ejus prisca exemplaria: Ω. *Naturæ;* Π. *Maturam.*

Ver. 965. *At qui:* Vind. V. ed. Π. Σ. Ω. *Atque;* de quâ solenni confusione, Drakenborchium inspice, ad Liv. iii. 52. 8. Et voces *amplius æquo* rectius existimo referri ad *lamentatur,* quam ad *miser.* Natura nunc alloquitur, et acrius atque *συντομωτέρως,* ut par erat, objurgare incipit, mortis appropinquationem immoderatius lugentes. Hoc autem monendum habui, quum diversa ratio magis se Lambino probaverit, ac Pio.—Porro, in proximo, idem Pius *Num,* pro *Non.*

Ver. 967. *Barathre:* sic Vind. B. L. M. soli; P. *Barde;* V. ed. Ω. *Baratte;* O. Π. Σ. *Baratre;* quod idem est; vide Isidor. origg. xiv. 9. Δ. *Baractre.* His utique scribarum tormentis vox quævis exquisitior nunquam non distringi solet! Nos quod exhibetur in contextu verissimum esse arbitramur, quamvis olim in mentem venerit, ut aliis me longe longeque doctioribus, Horatianum verbum *balatro:* adi sis Heinsium, ad Ovid. amor. iii. 3. 1. Bentleium, ad Horat. sat. ii. 3. 166. et Valckenaërum, ad Ammon. p. 42. Utriusque scilicet vocabuli vis eadem videtur. *Baratre* autem a recto *Baratrus.* Thomas Magister, quem Lambinus laudat: *Βαραθρος αρσενικως, ὁ βαραθρου αξιος ανθρωπος:* ubi videas Hemsterhuisium. Nos tamen *barathrus* potius, ut *barathrum,* accipimus; hominem utique, in quem collata commoda pereunt prorsus, et ingrata occidunt, ver. 955. perniciem quasi, ac voraginem, bonorum vitæ. Horatius, epist. i. 15. 31.

Pernicies, et tempestas, *barathrum*que, macelli.

Quod, nisi plures et graviores auctoritates repugnarent, *τῳ Barde* Pii gratiam conciliare poterat Arnobius, lib. iii. p. 112.—" *bardi* enim sunt alii; nec pos- " sunt aliquid scitum, si oratio facienda " est, eloqui." At enim undequaque probabilior habenda est, atque significantior, nostra lectio; et in quâ debemus omnino lubentissime acquiescere.

"Aufer, ab hinc, lacrumas, Barathre, et conpesce querelas."
Grandior heic vero si jam, seniorque, queratur:
"Omnia perfunctus vitaï præmia, marces;

Cæterum, Heinsius ad Ovid. amor. I. c. scribendum dicit:

Aufer, *abi*, *hinc* lacrumas, balatro——:

quam emendationem ingeniosissimo viro dignam esse, atque indignantis festinationem optime exprimere, nemo candidus negaverit: nec tamen contra libros admittendam sentio. Terentius, Phorm. iii. 3. 27. *Aufer* te *hinc*. Et, ut noster *Aufer lacrumas*, Apuleius, met. ii. "*Aufer* "*formidines* pueriles:" et alii similiter. Heinsianæ divinationi lucem fœnerabunt Plautus, Most. i. 3. 136. Asin. ii. 4. 63. Terentius, Andr. i. 1. 1.

Ibid. *conpesce querelas*. Hac exorsus phrasi, rectiorum ope distinctionum, nitori suo restituam Venusini locum, fractum constructione, atque inconcinnum numeris, sic uti scribi solet; et insuper, si quid est in me judicii, qui mentem Horatii minime proloquitur. Exstat autem in od. ii. 20. 22.

Absint inani funere næniæ;
Luctusque turpes, et *querimoniæ*
Compesce *clamorem*; ac sepulcri
Mitte supervacuos honores.

Clamorem utique *querimoniæ*, pro *clamosam querimoniam*; quales formulas nemo libentius Venusino frequentavit. Ita Seneca, Troad. 678. *clamor flebilis*: Q. Curtius, x. 3. 5. *lugubris clamor*; et alii mille consimilibus usi sunt locutionibus. Jam vero *clamorem compesce* phrasis, sic nude posita, nullo modo *funebrem planctum*, qualem vult Horatius, significabit.

Ver. 968. *Grandior seniorque*. Uberius dictum est, et satis pro consuetudine, sermone profluentissimo poëtæ; quamvis huic rei efferendæ per se prior vox jam suffecerit, ad ii. 1163. Plinius, nat. hist. ix. 10. "Quin et parvos semper aliquis "*grandior* comitatur, ut custos." Qui locus simul rationem dictionis primario ipsa pulchre declarat. Capias igitur per hendyaden, pro *grandior senio*; cui germanissimum est hoc Phædri, iv. 1. 10. nitidissimi scriptoris:

Mustela, quum, *annis et senectâ* debilis,
Mures veloces non valeret adsequi——.

Ver. 969. *perfunctus*: sic omnes libri, præter Vind. B. qui, si fides danda sit collatoribus, habent *perfructus*, uti vulgares editi nobis exhibent, ex ingenio editorum. V. ed. valde depravatâ est scripturâ, *per samctus vitari*. Jam vero, non erat caussæ, de quâ eo temeritatis procederent viri docti, ut commentitia sua in locum lectionis, codicibus firmatæ, infercirent; nam phrasis *perfunctus vitæ præmia* per se undequaque proba est, et antiquiori orationis Lucretianæ colori maxime consentanea. More vetustiorum verbum *fungor* cum casu quarto jam posuit hoc libro, ver. 734. et *perfunctus vitaï præmia* stat elegantissime pro illo, "qui "omnes vitæ commoditates obierit et ex- "pertus sit:" (ver. 912.) adeo ut id quod supersit temporis, ærumnas potius, atque omnes senectutis injucunditates, videatur allaturum. Sulpicius ad Ciceron. epist. iv. 5.—"reminiscere—illam, quam- "diu fuerit opus ei vixisse,—*omnibus bo-* "*nis* prope *perfunctam* esse—." Ovidius, art. am. ii. 227.

Nocte, domum repetens, *epulis perfuncta*, redibit:

ubi nota Heinsii omnino inspicienda est. Terentius autem, ad Hec. iv. 3. 17. tam opportunus est, ut meliorem Lucretii interpretem non desideres, locutionibus consimilibus utentem, et gemello sensu:

———— Nihil pol jam isthæc mihi res voluptatis ferunt:
Dum ætatis tempus tulit, *perfuncta* satis sum: satias jam tenet
Studiorum istorum: hæc mihi nunc cura est maxuma, ut ne cui mea
Longinquitas ætatis obstet; mortemve exspectet meam.
Heic video me esse invisam inmerito: tempus est concedere.

"Sed, quia semper aves, quod abest, præsentia temnis,
"Inperfecta tibi elabsa est, ingrataque, vita;
"Et nec opinanti mors ad caput adstitit ante,

—*marces:* V. ed. *matres*, usitatissimo errore, et transpositis etiam elementis: Π. *marcens*. Porro, nota interrogationis non erat editoribus ad *το marces* ponenda. Quasi noster dixerat: "Quamvis inter "omnes vitæ delicias ætatem provectio-"rem et inutilem attigeris, nihil profe-"cisti, neque vel hac conditione de vitâ "potes animo contento cedere." Confer ver. 959. unde definitur dictionis sensus: aliter de aliâ interpretatione poterat aliquis cogitare, ad notionem hujusce verbi in Arnobio, lib. ii. p. 64. "Ne *deliciis* "*marceat*, et corrumpatur mollitudine vi-"tiorum." Et sane non inconcinne complectaris utramque notionem, sic interpretando: "Inter delicias omnes vitæ, et "ætatem provectiorem, marces." Longe tamen priorem expositionem præferam. Hinc interea liceat emendare versus ornatissimos Prudentii de *Luxuriâ*, psychom. 316.

Ad tunc pervigilem ructabat *marcida* cœnam,
Sub lucem, *quâ* forte, jacens ad fercula, raucos
Audierat lituos; atque inde, tepentia linquens
Pocula, lapsanti per vina et balsama gressu,
Ebria calcatis ad bellum floribus ibat.

Quâ scilicet, *ubi:* editi, *quia*. Has autem voculas in scriptis sæpe permutari, multis exemplis Drakenborchius præstantissimus docuit, ad Liv. xl. 29. 8. et redeas ad ver. 491.

Ver. 970. *aves:* V. ed. Σ. *abes;* Π. *abest;* confusis, ut passim, *b* et *v* literis. Sic in Gruteri inscriptt, i. p. 35. "Soli "*inbicto*."

Ibid. Democritus: *Ανοημονες των απεοντων ορεγονται· τα δε παρεοντα, και παρῳχημενων κερδαλεωτερα εοντα, αμαλδυνουσιν.* Bentleius.

Ver. 971. *Inperfecta:* V. ed. B. L. M. maximæ auctoritatis exemplaria, *Imperfecte;* unde versus hoc modo fortasse constituendus sit, duabus vocibus invicem stationem suam commutantibus:

Inperfecte elabsa tibi est, ingrataque, vita.

Venustiora tamen vulgata putabuntur.

Ibid. *ingrataque vita:* i. e. sine fructu et voluptatibus. Horatius, epist. i. 1. 23.

Sic mihi tarda fluunt, *ingrata*que, tempora——.

Optime, et ad rem nostram accommodatissime, Eumenius, paneg. Constant. Aug. sect. 15. "Nullis, ut res est, muneribus "fortunæ explentur, quorum cupiditates "ratio non terminat; atque ita eos feli-"citas *ingrata* subterfluit, ut semper ple-"ni sperum, vacui commodorum, præ-"sentibus careant, dum futura prospec-"tant."

Ver. 972. *opinanti:* P. Vind. O. Π. Σ. *opinati*.

Ibid. *ad caput adstitit*. Et Virgilius similiter, geo. iv. 319.

Tristis *ad* extremi sacrum *caput adstitit* amnis.

Versus etiam pulchros Juvenalis, et egregie moratos, nec Lucretio illustrando non impense commodos, admovebimus, ut prior dudum Pius. Legitur locus in sat. ix. 125.

Nunc mihi quid suades post damnum temporis, et spes
Deceptas? Festinat enim decurrere, velox
Flosculus, angustæ miseræque brevissima vitæ
Portio: dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas,
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.

Ita locus iste distingui debet; neque aliud volebamus nuper ad Silv. Crit. v. p. 153. sed nos operarum negligentia decepit.

Ver. 973. *ac:* Π. *et*.—*discedere rerum:* Δ. *discernere verum;* haud illepidâ prorsus aberratione. Cæterum, similem translationem, a *convivio* sumptam, Horatius, nec Lambino præteritus, feliciter tractavit, ad epist. ii. 2. finem:

"[illegible]
"[illegible]
"[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]

Ex [illegible] Lucreti Flaccique [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] "de suo loco cedit, ut [illegible] "[illegible]" et decedere [illegible] "[illegible] de vita [illegible] "[illegible]." In Lucretio, [illegible] vocem non raro affines inveniuntur) non male steteris Horatianum decedere; Horatio, e contra, vox Lucretii nullo pacto competit. Vide sis nos autem ad i. 681.

Ver. 974. mitte: V. ed. vitte; Π. mittis.

Ibid. aliena tuâ ætate. Minus plenâ constructione, nam præpositio omittitur. Plautus, mil. glor. iv. 7. 5. "aliena a bo-"nis." Ut noster autem, sic Cicero, ad Attic. vi. 1. non longe a fine: "—illud "autem alterum alienum esse existima-"tione meâ, Cybiratas imperio meo pub-"lice venari." Nobis etiam in memoriam redierat Terentii locus percommodus, Adelph. i. 2. 30.

Aliéniore ætate post faceret tamen:

ubi videas Westerhovium.

Ver. 975. age dum: Vind. L. M. Ω. agendum.—magnis: ita Vind. V. ed. O. L. M. Δ. Χ. Ω. magis, Π. magis nempe, per compendium; P. ut editi communes, [illegible] aliis, sed an ex libris MSS. valde dubito. Satius igitur habui tot librorum testimonia non vilipendere. Magnis utique, [illegible] opponatur vocibus aliena tuâ ætate: [illegible] ætate ac florentibus; non au[illegible] ut tu, grandioribus, [illegible] scriptor, cap. xi. comm. 24. [illegible] ΜΕΓΑΣ γινομενος, [illegible] Θυγατρος Φαραω. Similiter [illegible] in gradu comparationis Vir[illegible] 4.

[illegible]

[illegible] Lælii"—[illegible]: Vind. [illegible]

Ibid. [illegible]: i. e. cede locum, recede, [illegible]; ut [illegible], in loco ad ver. 969. [illegible], ed. 1. 63.

———[illegible], sylvæ.

Accedat etiam Ovidius, met. vi. fin.

———[illegible] tempus [illegible] juventæ—.

Cæterum, de [illegible] consulere possis Festum, cum Donato ad Terent. Eun. iv. 4. 27. sed vereor, ut multo sapientior discesseris. Mihi satis constat detortum esse aliquantulum a Græcis αγε δη: et glossator vetus adstipulatur.

Ver. 976. inciletque: Vind. Ω. incilet; O. Δ. insimulet; ex interpretatione scilicet. Nonius, ii. 230. "Incilare est "increpare, vel improbare:" deinde exempla annectit ex Pacuvio, Lucilio, Accii Clytæmnestrâ et Meleagro; quorum locus ultimus ita est emendatior scribendus in transitu:

Quis erit, qui, nomen spernens, incilans probris,
Sermone indecorans, turpi famâ differet?

Impressi, non me, literis solummodo confusis ordine. Spernens autem, conculcans: forte an a πτερνα. Nota est Horatii locutio, od. iii. 2. 24. "spernit humum:" i. e. repellit pede: confer Virg. geo. iv. 233. Mancus est, opinor, Festus in voce Inclamare, et sic redintegrandus: "Incilare, inclamare, conviciis et maledictis "insectari." Dubitem interea, an vox per duplicem l exarari debeat, incillet: i. e. impetum faciat, pulset, verberet, moveat de loco quasi, probris. Isidorus, origg. xi. 1. "Alæ— quas quidam ascil-"las vocant, quod ex his brachia cillun-

Semper, et ex aliis aliud reparare necesse est:
Nec quisquam in barathrum, nec Tartara deditur atra.
Materies opus est, ut crescant postera secla:
Quæ tamen omnia te, vitâ perfuncta, sequentur:
Nec minus ergo ante hæc, quam tu, cecidere cadentque.

" *tur*, i. e. moventur; unde et *oscilla* " dicta ab eo, quod *cillantur*, i. e. move- " antur, *ora:* nam *cillere* est movere." Sed de hoc doctiores et acutiores etymôn sectatores viderint: nobis videtur idem cum *κιλλω;* de quâ voce diximus ad i. 13.

Ver. 977. *extrusa:* Δ. in rasurâ, *exclusa;* minus efficaciter.

Ver. 978. *reparare:* nempe, Naturam; ne constructio labascat: nam verbum *reparare* intransitive, ut putem, adhiberi nequit.

Ver. 979. Contra omnes libros vetustiores, cum MSS. tum impressos, ita versus hicce plerumque exhibetur; per summam audaciam, sed Lucretianis editoribus perquam familiarem:

> Nec *quidquam* in barathrum, nec Tartara *decidit* atra.

Jam vero, ut omittam codices et præfractam illam temeritatem, quæ tantam auctoritatem conculcare non expalluit, *το quidquam*, quum de *hominibus* potissimum verba faciantur, longe cadit imbecillius, et frigidius, membranarum lectione: *deditur* autem verbum, vice *deorsum datur*, primariam et maxime propriam sibi significationem vindicat.

Porro, *in barathrum nec Tartara atra* latior est formula, pro *in barathrum atrorum Tartarorum*, vel exitii. Virgilius locum nominat pari modo *nigra Tartara*, Æn. vi. 134. et *inmane barathrum*, ibid. viii. 245. Et versus, coram positus, nobis videtur longe sanissimus, neque admittere conjecturam quamlibet; aliter proposuissem:

> Nec quisquam in barathrum, nec Tartara *perditur* atra:

nam facilis error fuerit; et exquisitior locutio, quam tetigimus ad Silv. Crit. v. pp. 30. 31. nullo negotio scribis illepidis erat impositura.

Ver. 980. *ut crescant:* V. ed. *ne crescunt.*

Ibid. *Materies opus est.* Ita M. Tullius, epist. ad Curion. ii. 6. " *Dux* nobis " *et auctor opus est*, et eorum ventorum, " quos proposui, *moderator* quidam, et " quasi *gubernator*."—Lambinus.

De hoc regimine nos superius, ii. 814.

Ver. 982. *tu:* sic optime, Vind. L. M. O. Σ. Ω. vulgo, *nunc;* impudenter satis, contra libros, quantum constat, universos vetustiores: P. Δ. *tum;* Π. *tunc;* a V. ed. omnino abest. Voculas autem *tu* et *tum* solere confundi librariis, edocemur Drakenborchio, ad Liv. x. 40. 11. Cæterum, ex his Lucretii versibus Horatium profecisse, ad art. poët. 70. vel pueruli vix erunt admonendi:

> Multa renascentur, quæ jam *cecidere, cadentque,*
> Quæ nunc sunt in honore, vocabula—.

Ver. 983. *alid:* V. ed. O. Δ. Π. *aliud.* —*desistet:* Ω. *desistit.*

Ver. 984. Publius Syrus:

> Homo vitæ commodatus, non donatus, est.

Arnobius, lib. ii. p. 62. " *Usu* et illis est " vita, non *mancipio*, tradita."—Euripides, Supp. *535.*

> ———————— ε τι γαρ κεκτημεθα
> Ἡμετερον, αυτο πλην, ενοικησαι βιον.

Pedo Albinovanus:

> Vita data est utenda; data est sine fœnore nobis
> Mutua, nec certâ persoluenda die.

BENTLEIUS.

Scribitur autem *mancipio*, non *mancupio*, in P. Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. Varro, ling. Lat. v. 8. et gloss. vett. Vide Valck. Eur. Phœn. 561.

Sic alid ex alio numquam desistet oriri:
Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.
Respice item, quam nihil ad nos ante acta vetustas
Temporis æterni fuerit, quam nascimur, ante.
Hocc' igitur speculum nobis Natura futuri
Temporis exponit post mortem denique nostram.
Num quid ibi horribile adparet? Num triste videtur
Quidquam? Non omni somno securius exstat?
Atqui animarum etiam, quæquomque Acherunte profundo

Ibid. *usu.* De hac poëticâ dativi casûs formâ, vel ex Virgilio bene notâ tyronibus, consuli potest Priscianus, si tanti sit, lib. vii. p. 778.

Ver. 988. *Temporis exponit:* Δ. *Exponit temporis.*

Ver. 989. *ibi:* Ω. *tibi;* in quibus voculis commutandis librarios subinde aberravisse, discimus ex indefessâ Drakenborchii diligentiâ, ad Liv. viii. 32. 5.

Ver. 990. *Non:* ita dant L. M. O. Δ. Π. Σ. vide ver. 956. cæteri, *Nonne,* exceptâ V. ed. quæ, *tam;* et *securus.*

Ibid. *securius:* i. e. magis liberum timoribus omnium horribilium ac tristium, quam si, somno vincti sensus, jaceremus. Lucanus, i. 518.

Et, subitus rapti munimine cespitis, agger
Præbet *securos* intra tentoria somnos:

i. e. "agger, *exortus,* vel *exstructus,* munimine cespitis rapti, vel properanter collecti." Ita capienda est dictionis *subitus* significatio: de quâ nos ampliavimus ad ii. 363.

Ver. 991. *Atqui animarum etiam:* ita legitur in P. et Prisciano, lib. i. p. 554. neque aliter in Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. nisi cum diversitate τυ *Atque,* pro *Atqui:* in O. Ω. et, si fides Havercampo sit habenda, cujus rationes non mihi semper sunt probe perspectæ, in B. L. M. *Atque ea nimirum;* ingeniosâ satis variatione: sed nostra lectio longe potior videtur. Per *Atqui,* i. e. Και τοι, vel Και μην, sicuti redditur in vetere glossario, procedere vel optime solent argumenti transitio atque consecutio sententiarum: et phrasis *omnia animarum* exquisitior est, pro "omnia animas spectantia," quam quæ fortuitis aberrationibus scribarum imputari debeat. Si liqueret de scripturâ membranarum L. M. certe tutius de loco judicium tunc ferri poterat.

Ibid. Propertius, iii. 3. 67.

An ficta in miseras descendit fabula gentes,
Et timor haud ultra, quam rogus, esse potest.

Ita intelligendus Horatius, *fabulæque manes.*— Bentleius.

Ad hunc locum pertinent, quæ scribit Servius ad Virg. Æn. vi. 596. his verbis: "Sane de his omnibus rebus mire reddidit rationem Lucretius; et confirmat in nostrâ esse vitâ omnia, quæ finguntur de inferis. Dicit enim, etc."—Lambinus.

Ex postremis autem verbis Servii in illo loco, "Per *rotam* autem ostendit (*Lucretius* nempe) negotiatores, qui semper tempestatibus turbinibusque volvuntur;" certissime colligi videtur, seriem versuum, fabulam de Ixione explicantium, atque hodie desideratorum, ætate grammatici in contextu Lucretiani corporis comparuisse: quod serio dolendum.

Ibid. *Acherunte profundo:* quem Marò vocitat, geo. i. 248. "manesque *profundi.*"

Cæterum, pro *quæcumque,* vel *quæquomque,* Π. habet *quantumcunque;* Δ. autem, *quæ cuique:* quod minime spernendum

Prodita sunt esse, in vitâ sunt omnia nobis:
Nec miser inpendens magnum timet, aëre, saxum
Tantalus, ut fama est, cassâ formidine torpens;
Sed magis in vitâ divôm metus urguet inanis
Mortaleis; casumque timent, quem quoique ferat fors.
Nec Tityon volucres ineunt, Acherunte jacentem;
Nec, quid sub magno scrutentur pectore, quidquam
Perpetuam ætatem possunt reperire profecto,
Quam lubet inmani projectu corporis exstet:

puto; nec rejecissem, si codices álii comprobassent.

Denique, huc Lactantius referendus est, ad vii. 7. "Ergo Epicurus erravit, qui "poëtarum id (nempe, *sedes inferas*) esse "figmentum putavit; et illas inferorum "pœnas, quæ ferantur, in hac esse vitâ "interpretatus est."

Ver. 993. Hoc Tantalo supplicium Pindarus attribuit, Ol. i. 92.

——————— κορῳ δ' ἑλεν
Αταν ὑπεροπλον,
Ταν οἱ Πατηρ ὑπερκρεμα-
-σε, καρτερον αυτῳ λιθον,
Τον αιει μενοινων κεφαλας βαλειν,
Ευφροσυνας αλαται:

I. e. *κατα κεφαλας βαλειν· capiti impingere:* vide nos ad Silv. Crit. ii. p. 34. Cum quo Euripides in hoc consentit, Orest. 5. Lucretio nostro, ut videtur, minime inobservatus:

Διος πεφυκως, ὡς λεγουσι, Ταντaλος,
Κορυφης ὑπερτελλοντα δειμαινων πετρον,
Αερι ποταται.

Ex quibus versibus et scholiaste, cum altero Pindari enarratore, probabile efficitur, nostrum poëtam voluisse *το aëre* ad *Tantalus* referri, non ad *inpendens saxum.* Eadem leguntur apud Suidam, v. Ταντaλος· cujus loci verba postrema sic castiganda sunt, et ordinanda: Διψῃ δ' επηκειτο· ὁρων μεν, αφ' ὡν εδει φαγειν και πιειν, επι γειτνιοις, μη δυναμενος δε· ὁτι ΓΑΡ (vel ΔΗ) ἡπτετο της λιμνης το γειτνιον, εξηραινετο.

Ver. 994. *ut fama est; ὡς λεγουσι* scilicet hoc est Euripideum.

Ver. 995. Similis interpretatio hujusce fabulæ Ciceroni placuit, ad Tusc. dispp. iv. 16.—"quam vim mali significantes, "poëtæ *inpendere* apud inferos *saxum* "*Tantalo* faciunt, ob scelera, animique "inpotentiam, et superbiloquentiam. Ea "communis pœna stultitiæ est: omnibus "enim, quorum mens abhorret a ratione, "semper aliquid, aliis dolor, aliis terror, "inpendet." Vide Davisium. Idem togatorum eloquentissimus, de finn. 18. "Adcedit etiam *mors;* quæ, quasi *saxum* "*Tantalo,* semper inpendet: tum super"stitio; quâ qui est inbutus, quietus esse "numquam potest."

Ver. 996. *casum:* Δ. *cassum.—quem quoique,* vel *cuique:* sic omnia vetera exemplaria, cum scripta, tum impressa: editores tamen ex arbitrio *quemcunque* in contextu posuere; summam per inscitiam, cum temeritate præfractissimâ.

Ibid. Nota *casum:* alludit ad *casum lapidis.*—Bentleius.

Neque illepide, meo saltem judicio, nos fabulæ reminisci Carus fecit, sic adhibitâ voce utrinque pertingente: quamvis Creechii sententia in diversum abeat.

Ver. 997. *ineunt:* i. e. δυνουσι· locutio est Homerea, Od. Λ. 578.

Και Τιτυον ειδον, γαιης ερικυδεος υἱον,
Κειμενον εν δαπεδῳ· ὁ δ' επ' εννεα κειτο πελεθρα·
Γυπε δε μιν, ἑκατερθε παρημενω, ἡπαρ εκειρον,
Δερτρον εσω ΔΥΝΟΝΤΕΣ.

Ubi castigandi sunt interpretes. Ερικυδεος utique, πολυφορβου, παμβωτειρας, *almæ:*

Qui non sola novem disparsis jugera membris
Obtineat, sed qui terraï totius orbem,
Non tamen æternum poterit perferre dolorem;

vide nos ad i. 2. *Alma*, ab *alo*; ut ἐρικυδης, a κυω. Fucus glossatorum non erat perspicacissimo Virgilio illinendus, Æn. vi. 595.

——— Tityon, *Terræ omniparentis* alumnum.

Animum advertas autem inscitiam lexicographorum veterum, qui *almus* et ἐρικυδης pariter per ενδοξος interpretantur.

Ver. 998. *Nec:* V. ed. *Ne.—quid:* sic Vind. V. ed. B. L. M. reliqui, *quod*, præter P. et ille *qui.—quidquam:* Σ. *quisquam.*

Ibid. *sub magno scrutentur pectore.* Verba aliquantulum mutavit Maro, Æn. vi. 599.

——— *rimatur*que epulis, habitatque *sub alto Pectore*—.

Ver. 999. *possunt:* ita L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω.—P. autem et V. ed. *possent;* et nescias utra lectio præferenda sit: vulgo, *poterunt;* omnino male, et præter morem Lucretio in verborum temporibus observatum per omnem locum.

Ver. 1000. *projectu:* V. ed. *pro ictu.* Vox autem legitur etiam in Plinii nat. hist. xvii. 19. " Omnium, quæ *projectu* " frondis ita defenduntur, ut per ipsas " non defluant imbres, stilla sæva est." De *arboribus* loquitur πολυμαθεστατος historicus. Maro, Æn. xi. 87.

——— toto *projectus corpore* terræ.

Ver. 1001. *disparsis*, vel *dispersis*, est omnium librorum lectio: nobis autem inverecundissima editorum gens obtrusit de suo *dispensis.* Heinsius insuper variis conjecturis, minime necessariis, locum vexavit, ad Ovid. met. iv. 457. nam vocabulum *dispersis* ad amplitudinem vastam depingendam mihi videtur omnium longe commodissimum, et quo nullum efficacius sperari potest: ne dum ut scriptis universis et editis antiquis pertinacius obnitamur. Stet igitur *disparsis membris* Lucretio incolumis, prægnans et vivida locutio; ut id Tityo integris artubus contigisse existimetur, quod alteri, nisi deartuato, fieri non potest; nempe, ut tantis invicem intervallis ejus membra distent. Virgilius, geo. iv. 522.

——— Spretæ Ciconum quo munere matres—
Discerptum *late* juvenem *sparsere* per agros.

Celsus aderit opportunus, de med. ii. 6. " Eadem mors denunciatur, ubi æger— " *brachia* et *crura* nudat, et inæqualiter " *dispergit.*"—Hinc dubitari potest de verâ Virgilii mente, ad Æn. iii. 605. *Spargite me* in fluctus, vastoque immergite ponto: utrum vòluerit, uti Servius, rectius fortassis, interpretatus est, *Dilacerate;* an exquisitius, " *Late* et violenter "*jacite.*" Videamus autem, quo modo summus ille artifex phrasim magistri variaverit, ad Æn. vi. 596.

——— per tota *novem* cui *jugera corpus Porrigitur.*

Magnifice minus, nec cum prænobili audaciâ poëtæ nostri.—Et scribi malim *dissparsis*, in talibus.

Ver. 1002. *novem jugera Obtineat.* Ut Livius, xxii. 2. " Quum, *omnia obtinen-* " *tibus aquis*, nihil, ubi in sicco fessa " sternerent corpora, inveniri posset, *cu-* " *mulatas in aquis sarcinas* insuper *in-* " *cumbebant:*" quæ mihi videtur elegantior constructio; ut Avien. orb. desc. 457.

Hæ gentes *Istrum*, quâ se plaga dura Boötis
Porrigit, *incumbunt.*

Ubi Schraderus male conjicit, *incingunt.* Vulgo legitur in Livio, *cumulatis in aquas sarcinis.*

De hac insuper Tityi magnitudine, multum dilucidus est, et facilis, ut adsolet, Ovidius, in Ib. 181.

Jugeribusque novem qui summus distat ab imo,
Visceraque assiduæ debita præbet avi.

Nec præbere cibum proprio de corpore semper.
Sed Tityos nobis hicc' est, in amore jacentem
Quem volucres lacerant, atque exest anxius angor:

Ver. 1003. *Non poterit*, ουκ αν δυναται hypothesi factâ scilicet in versibus duobus præcedentibus: recte igitur hic *poterit*, et recte non minus etiam *possunt* in ver. 999. Hæ vero proprietates atque elegantiæ non sunt editoribus perceptæ; qui proinde locum inscitissime interpunxerint.

Ibid. *poterit perferre dolorem*. Virgilius, Æn. ix. 426. similiter:

——— nec se celare tenebris
Amplius, aut tantum *potuit perferre dolorem*.

Ver. 1005. *hicc' est:* V. ed. *hic et;* Π. *est hic*.

Ibid. Amator, inquit, Tityus est. Macrobius, in som. Scip. i. 10. "Ipsam quoque pœnarum descriptionem de ipso usu conversationis humanæ sumptam crediderunt: vulturem, jecur immortale tundentem, nihil aliud intelligi volentes, quam tormenta malæ conscientiæ, *obnoxiæ* flagitio, viscera interiora rimantis, et ipsa vitalia indefessâ admissi sceleris admonitione laniantis; semperque curas, si requiescere forte tentaverint, excitantis, tanquam fibris renascentibus inhærendo, nec ullâ sibi miseratione parcentis." Lambinus. Sic autem legendum dixerim, pro *obnoxia*.

Ibid. Euphorbius de *Livore:*

——— Tityique vultur, intus
Qui semper lacerat, comestque, mentem.

Bentleius.

Idem occupaverat versus Petronianos, his Lucretianis illustrandis perquam appositos:

Cui vultur jecur ultimum pererrat,
Et pectus trahit, intimasque fibras;
Non est, quem Tityi vocant poëtæ,
Sed cordis mala, Livor, atque Luctus.

In primo versu conjeceram legendum, *penetrat*, vice *pererrat;* i. e. *init* Lucretii, ιεναι Mæonidis: et ita prior Barthius. *Trahit* autem, *lacerat;* ut modo noster, ver. 902. "morsu ferarum *tractari*:" ubi me videas.

Ibid. *in amore jacentem:* i. e. cubantem, quasi ægrotantem; βεβλημενον, ut in re simili loquuntur Græci passim. S. Matthæus, viii. 14. Και ελθων ὁ Ιησους εις την οικιαν Πετρου ειδε την πενθεραν αυτου ΒΕΒΛΗΜΕΝΗΝ και πυρεσσουσαν: i. e. δια πυρετου επι της κλινης βεβλημενην, si plenam orationem tibi repræsentatam cupias. —Porro, pro *Quem* et *exest*, Π. *Que* et *exit*.

Ver. 1006. Mihi certum est in omnium certissimis το *volucres*, i. e. *aves*, esse mendosissimum; neque enim de plus uno, nempe Tityi *vulture*, nunc agitur; neque, si agatur, in fabulæ interpretatione illud *volucres* in sensu proprio locum poterit habere. His, nisi valde fallimur, lectores universi dabunt manus, luce meridianâ clarioribus. Scilicet, me suspicio incessit, inanem illum de metro laborante (vide ad ii. 410.) metum, qui et alias sæpissime, hic etiam librarios ad scripturam codd. mutandam impulisse, et Carum dedisse primitus:

Quem *volucris lacerat*, atque exest, anxius angor.

Jam vero τοις *volucris angor*, in quibus suavissima ad *vulturem* allusio, qualem deamat Lucretius, (redi ad ver. 996.) continetur, nihil opportunius aut elegantius fingi potest. Ut *volucris* autem, vel *velox*, noster, sic Græci solent adhibere λαβρος, λαιψηρος, et similia; de quibus nos consulendi, ad Silv. Crit. iv. p. 210. in Tit. i. 12. tom. v. ad eundem locum, et notis ad Eur. Alcest. 505. Herc. fur. 382. Ita Horatius, od. iii. 4. 76.

——— nec peredit
Inpositam *celer* ignis Ætnam:

i. e. vorax, rapax, *rapidus*. Ovidius, epist. xi. 111. ut alii sæpissime:

——— *rapidarum* præda *ferarum*:

Aut aliâ quâ vis scindunt turpedine curæ.
  Sisyphus in vitâ quoque nobis ante oculos est,
Qui petere a populo fasces, sævasque secures,
Inbibit; et semper victus, tristisque, recedit.

i. e. rapacium, celeriter devorantium; vide ad iv. 716. hujusce carminis.—Denique, non video de hac emendatione diffidendi caussam, ne tenuissimam quidem: nam, quod ad frequentem porrectionem syllabæ brevis in hac cæsurâ pertinet, prorsus in his literis inexercitatus sit necesse est, qui se vel in transitu monendum postulet. At, si quis in eo cavilletur, quod ex nostrâ divinatione duplex epitheton enascatur, ille, qui sit poëta Lucretius, ignorat, quisquis hac re super sibi respondendum velit. Ad ea igitur, quæ supersunt, persequenda, jam progredimur.

Ver. 1007. *quavis:* V. ed. *quamvis.*—*turpedine:* P. *torpedine;* V. ed. Δ. Σ. *turpidine;* ut nos autem dedimus, Vind. B. L. O. Π. Ω. vulgo, *cuppedine:* sed mihi non liquet vel in uno codice hanc scripturam inveniri; et credibile est librarios, in rariore vocabulo offensos, usitatius contextui per arbitrariam importunitatem inseruisse. Glossarium vetus tam *turpedo,* quam *turpido,* sed insulse pro *torpedo,* videas agnoscere; et plures utriusque dictionis auctoritates apud glossarium doctissimi Ducange collectas: unde, et ex Fabri lexico, certior factus sum, nonnulla Tertulliani exemplaria, de coron. 14. legere: "Certe, præter figuram, contumelia in promptu est, et *turpido,* et contumelia:" nostris tamen in impressis *turpitudo* comparet; in tantum castissimarum membranarum conculcatio grassari solet! Jam vero locutio, *aliâ quavis turpedine curæ,* proba est, facilis, et satis obvia, pro "curæ quamvis aliam turpedinem habentes;" forti nempe viro, et veram naturam rerum callenti, dedecorosam. Horatius tales curas vocavisset *sordidas.* Confer ii. 679. Quemadmodum "*turpes* luctus, *turpes* metus," et in aliis animi affectibus similes formulæ, frequentantur. Nec τῷ *cuppedine* multum favet lectionis varietas ad vi. 24. qui locus videndus est: nam libris hic malim obtemperare.

Interea, cogitabam an per hyperbaton illa difficultas dictionis *volucres* tolli interea poterat, ad hunc modum scilicet:

> Quem volucres lacerant, atque exest anxius angor,
> Aut aliâ quâvis scindunt turpedine, curæ:

i. e. *volucres* curæ: nam hujusce figuræ nobis multa sunt in manibus exempla; quibus tamen admovendis hac occasione supersederi malim. Horatius, od. ii. 16. 11.

> ——— Curas, laqueata circum
> Tecta *volantis.*

Hoc autem lectoribus expendendum relinquimus.

Ibid. *scindunt.* Translatio est ex officio carnificis derivata, vinctorum corpora flagello dilacerantis. Silius, Pun. i. 172.

> Non ignes, candensque chalybs, non verbera passim,
> Ictibus innumeris lacerum *scindentia* corpus—.

Ovidius etiam, in Ib. ver. 183.

> Heic tibi de Furiis *scindet* latus una flagello.

Porro, similiter figurate Juvenalis, xiii. 94.

> ——— quos, diri conscia facti,
> Mens habet attonitos, et surdo verbere cædit,
> Occultum quatiente animo tortore flagellum:

in quos versus dignæ sunt, quæ perlegantur, Grangæi animadversiones, ad sententiam illuminandam bene facientes. Hinc autem *curæ* sæpius *mordaces* dicuntur, et *spinosæ* Catullo, lxiv. 72. quia *lacerent.*

Ver. 1009. *sævasque secures.* Maro, Æn. vi. 820.

> Consulis inperium hic primus, *sævasque secures,*
> Adcipiet.——

Nam petere inperium, quod inane est, nec datur umquam;
Atque in eo semper durum subferre laborem;
Hocc' est, advorso nixantem trudere monte
Saxum: quod tamen a summo jam vortice rursum

Ver. 1010. *Inbibit petere.* Ita loquitur M. Tullius, pro P. Quint. 6. "Quod si "facere nolit, atque *inbiberit* ejusmodi "rationibus illum ad suas conditiones "*perducere*, sese nihil precari—." Et noster, vi. 71. Lambinus.

Ibid. Ingenium loci utriusque liquido ostendit, Horatium Lucretii memorem fuisse, ad epist. i. 16. 33. quod Lambini quoque doctrinam non effugit:

> Qui dedit hocc' hodie, cras, si volet, auferet: ut, *qui*
> Detulerit *fascis* indigno, detrahet idem.
> "Pone, meum est;" inquit: pono, tristisque recedo.

Ita rescribendum arbitror, pro *si*: "idem, "*qui* detulerit, detrahet:" populus scilicet. Aliter manca est constructio.

Ver. 1011. *Nam:* Π. *Nec:* et V. ed. mox *meo*, vice *in eo*, falsis literarum lineamentis.

Ver. 1012. *durum laborem.* Ita Virgilius, Æn. viii. 380.

> Et *durum* Æneæ flevissem sæpe *laborem.*

Ver. 1013. *nixantem:* Π. *vix autem.*— *monte:* Vind. V. ed. L. Π. Σ. Ω. *montem;* sed certe mendosissimâ varietate. Cæterum, in hac descriptione exsequendâ totis viribus, quâ verborum efficaciâ, quâ numerorum artificio, locum Homeri consummatissimum, nemini non notum, Lucretius pressis vestigiis æmulatus est; neque conatus ejus, meo judicio, successibus caruere: Od. Λ. 594.

> Και μην Σισυφον εισιδον, κρατερ' αλγε' εχοντα,
> Λααν βασταζοντα πελωριον αμφοτερῃσιν·
> Η τοι ὁ μεν, σκηριπτομενος χερσιν τε ποσιν τε,
> Λααν ανω ωθεσκε ποτι λοφον· αλλ', ὁτε μελλοι
> Ακρον ὑπερβαλεειν, τοτ' αποστρεψασκε κραται' ις
> Αυτις· επειτα πεδονδε κυλινδετο λαας αναιδης.

Scholiastes ad locum detruncationem passus est, quum vocem repetitam, qui mos est hominum, librarii prætermiserint; quam aberrationem nos sæpius attigimus. Non mirum est igitur, hoc scholium Barnesiano acumini crucem fixisse. Ad hunc modum, ut auguror, tota enarratio ita corrigi et suppleri debet: Αλλα και ὁ Σισυφος, κερδιστος αν, (quæ locutio respicit Il. Ζ. 153. et Pindarum habet imitatorem, ad Ol. xiii. 73.) δια τι κολαζεται; το κακοτροπον. ΤΟ ΔΕ ΚΑΚΟΤΡΟΠΟΝ ὁ Γλαυκος τω προγονω εις συνεσιν μετηνεγκε. In impressis verba το δε κακοτροπον haud leguntur.

Ibid. *nixantem:* i. e. σκηριπτομενον· se *fulcientem*, pede scilicet summâ vi in terram presso; ut poëta vetus apud Ciceronis Tusc. dispp. i. 5.

> ———————— quod Sisyphus versat
> Saxum, sudans, *nitendo;* neque proficit hilum.

Hinc *innixans* Ennius, *totis viribus contendens*, in Cic. Acad. ii. 28. Si modo emendatius legatur et rectius constituatur locus:

> Intendit crinitus *Apollon*
> Arcum auratum: Luna, *innixans*,
> Diana facem jacit a lævâ.

Breviter, *innixūs;* unde vulgata corruptela, *innixus*, derivata est.

Ibid. *adverso trudere monte.* Vide quam Virgilius, in alio tamen argumento, ex his, aliquantulum detortis, profecerit, ad geo. iii. 373.

> ——— *obpositum trudentes* pectore *montem.*

Hinc, opinor, varietas illa lectionis in Lucretio, *montem* utique; Virgiliano versu librarii memoriam obsidente. Porro, Hyginus, fab. lx. ex hoc Lucretii loco sua mutuatus est, quod miror Munckero, ut erat impense doctus, non observatum; sed nimirum, pudet dicere! paucos amatores, atque adeo lectores, noster habuit:

Volvitur, et plani raptim petit æquora campi.
Deinde, animi ingratam naturam pascere semper,
Atque explere bonis rebus, satiareque, numquam;
Quod faciunt nobis annorum tempora, circum
Quom redeunt, fetusque ferunt, variosque lepores;

O seclum insipiens et inficetum!

" At Sisyphus—qui nunc dicitur *saxum*, " propter inpietatem, *adversus montem* " ad inferos cervicibus volvere; quod, " cum ad *summum verticem* perduxerit, " *rursum* deorsum post se *revolvatur*."

Ver. 1014. *a:* P. O. *e;* abest omnino præpositio V. ed. L. M. Π. Σ. Ω. neque dubitem, quin emendate; nam Lucretium judicaverim sic aliter scripsisse:

Saxum, quod *tandem* summo jam vortice rursum.

Et illud *tandem* magnos labores, magno tempore perfectos, optime significabit; at frustratos denique. Commutantur scribis *tamen* et *tandem* voces ad Liv. xxv. 27. 8. xxx. 30. 25. nec non alicubi in V. Paterculo. Quid mirum, confundi *tn*, et *tm*, festinante librario, vel negligente?

Ver. 1015. *raptim petit æquora campi.* Prior Ennius, annal. ii.

——— tractatus per *æquora campi.*

Deinde Mantuanus, Æn. vii. 781.

Filius ardentis haud secius *æquore campi*
Exercebat equos.

Nec pulchri versus Avieni, in Arat. 1104. nihil debent huic loco Lucretii:

——— Jovis ales in altum
Conditur, et totis *raptim petit æquora* pennis.

Æquor autem est quæpiam plana superficies, ut omnes norunt: vide nos nuper ad ver. 905. et Havercampus opportune admovit Ciceronem, de div. i. 42.—" et " enim Ægyptii, et Babylonii, in *camporum* patentium *æquoribus* habitantes, " quum ex terrâ nihil emineret, quod con- " templationi cœli obficere posset, om- " nem curam in siderum cognitione po- " suerunt."

Ver. 1016. *ingratam naturam:* quia nullos fructus capit, ideoque nullas grates habet. Sic Horatius, sat. i. 2. 8.

——— si perconteris, avi cur, atque parentis,
Præclaram *ingratâ* stringat malus *ingluvie* rem:

i. e. omnia mergat in ventrem ingratum, et disperdat prorsus; ita ut omnia ejus commoda penitus perierint, et nemini profectus venerit: vide supra, verr. 955. 971. Enarrator Cruquianus rem non tenuit, et multo minus Baxterus, vanissimus et infructuosissimus gerronum omnium, qui cum tenui doctrinâ grande supercilium ad veteres scriptores attulerint.

Ver. 1017. Nonius Marcellus, ad v. 13. nobis videtur de hoc loco verissimam sententiam tulisse, quem proinde coram lectoribus sistemus: " *Expleri* et *satiari* " hanc habent differentiam; *expleri* est, " tantummodo plenum esse; *satiari*, su- " pra modum, *ad* abundantiam. M. Tull. " de repub. lib. vi. Graves enim dominæ " cogitationum, Libidines, infinita quæ- " dam cogunt, atque inperant: quæ, quia " nec *expleri*, nec *satiari*, ullo modo pos- " sunt, ad omne facinus inpellunt eos, qui " illecebris suis incenduntur." Nos autem sic bene rescripsisse, pro " *et* abun- " dantiam," alia grammatici loca satis declarant, (vide i. 196. iv. 400.) et res ipsa. *Explere* igitur est, usque ad labra implere; *satiare* vero, ita explere, ut exundet etiam: adeo scilicet *natura ingrata*, de quâ Lucretius dicit, ne expletur quidem, (vide ver. 951.) ne dum satiatur. Terentius, And. i. 2. 17.

Dum tempus ad eam rem tulit, sivi *animum* ut
expleret suum:

i. e. ad plenum genio indulgere, et obsequi cupidinibus. Adde Ciceronem in paradox. i.— " quippe, quum viderem, " rebus his circumfluentibus, ea tamen

Nec tamen explemur vitaï fructibus umquam:
Hocc', ut opinor, id est, ævo florente puellas,
Quod memorant, laticem pertusum congerere in vas;
Quod tamen expleri nullâ ratione potestur.
Cerberus, et Furiæ, jam vero, et lucis egestas,

" desiderare maxime, quibus abundarent: " *neque* enim *expletur umquam*, nec *satia-* " *tur*, cupiditatis sitis." Polyphemus, apud Virg. Æn. iii. 630. 632. ita erat *expletus*, ut *satiaretur* etiam:

> Nam, simul *expletus dapibus*, vinoque sepultus,
> Cervicem inflexam posuit, jacuitque per antrum
> Inmensus, saniem *eructans*, ac frusta cruento,
> Per somnum, commixta mero; nos—.

Ver. 1019. *Quom:* V. ed. *Quin;* O. *Quam*.

Ibid. *lepores*. In sensu latissimo hoc nomen apud Lucretium accipitur pro omni, quod *venustum* est, *festivum*, ac *jucundum*. Ita definiunt plures veteres grammatici: " *Lepor*, jucunditas voluptatis: " unde et *gratum* aliquid, *lepidum* dici- " mus." Lib. de serm. Lat. p. 1349.

Ver. 1020. *Nec explemur;* ita ut contenti simus de vitâ discedere, quasi convivæ saturi, fructuum pleni, et jucunditatum.

Ver. 1021. *Hocc':* Π. *Non:* et *ut* non invenitur in Vind. V. ed. Π. Σ.—*ævo:* V. ed. *actio*.

Ibid. *ævo florente*. Pariter Virgilius, ecl. vii. 4.

> Ambo *florentes ætatibus*—.

Servius: " *Florentes ætatibus:* hoc est, " *ætate florente*." Corrigit Burmannus, *florentes;* et eadem me subierat cogitatio; sed receptam grammatici scripturam Lucretius validissime defendit.

Ver. 1022. *congerere:* L. O. Π. Σ. *cogere;* vel ex glossâ, vel ex eo genere aberrationum, quam tetigimus ad ver. 804. Huc respexit Hyginus, fab. clxviii. " Ob " id cæteræ dicuntur apud inferos *in do-* " *lium pertusum aquam ingerere*." Porro, *congerere*, συναγειν in sensu primario et maxime proprio vocabuli: " *unâ* scilicet, " junctis operis, *portare*."

Ver. 1023. *tamen* abest V. ed. Eadem, *explere.*—*nullâ:* M. *ulla*.

Ibid. *potestur*. Hac voce usus est Scipio Africanus; ut C. Gracchus etiam *poteratur*, teste Festo. Diomedes, gramm. lib. i. p. 380. " Item *potestur* apud En- " nium reperimus:—et Scaurus—*potera-* " *tur* etiam, sicut *possitur*, dictitat." Nonius etiam, x. 34. exempla τε *potestur*, pro *potest*, Pacuvii et Quadrigarii allegavit: et Creechius Plautinum unum, Merc. iii. 2. 10. ad quæ consulenda lectorem ablegamus.

Ver. 1024. *lucis egestas:* i. e. lucis perfectissima privatio, caligo mera, αυτοτατον σκοτος. Hæc est lectio vetustissimorum et castigatissimorum exemplarium, Vind. V. ed. B. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. solus P. habet vulgarem lectionem *egenus*, cum nostrâ, si vigorem et efficaciam utriusque spectes, nullo modo comparandam; sed quæ illepidis librariis, verba ardentia exhorrescentibus, multo magis arrideret.—Cæterum, pro *Furiæ jam*, Δ. *si me; et* insuper abest Σ.—Interea, Avienus in Arato, ver. 829. exemplum præbet locutionis, quam, auctoritate freti codicum, omnino putavimus eliminandam:

> ——— flammæ steriles, ac *lucis egenæ:*

stellæ quædam scilicet, de quibus loquitur: et Prudentius, contra Symmachum, i. 377.

> ——— *implorent* ut numina, *lucis egena*.

Ver. 1025. *horriferos:* Π. *horrifero*.—*eructans:* O. Π. *eruptans*.

Ibid. *Tartarus eructans æstus*. Nobilissimi versus Æneïdos vi. 297. hinc non nihil leporis sui delibaverunt:

Tartarus, horriferos eructans faucibus æstus;
Quei neque sunt usquam, nec possunt esse, profecto:
Sed metus in vitâ pœnarum pro male factis

Hinc via, *Tartarei* quæ fert Acherontis ad undam.
Turbidus heic cœno vastâque voragine, gurges
Æstuat, atque omnem Cocyto *eructat* arenam.

Ibid. *faucibus æstus:* i. e. flagrantem vaporationem, quam Mantuanus idem, ib. ver. 240. et inibi quoque Lucretii non immemor, ita plenius descripsit:

——— talis sese *halitus*, atris
Faucibus erumpens, supera ad convexa ferebat.

Adi sis nostrum, vi. 816—820. et notulas meas ad Horat. od. iii. 11. 18.

Ver. 1026. *Qui:* sic P. V. ed. B. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *Hæc:* haud dubie ex correctore. Nempe, plenior erat distinctio ad finem præeuntis versûs ponenda; quasi noster diceret: "Jam vero Cerberus et Furiæ sunt etiam nobis animadvertendæ." Similes constructionis decurrentis de subito abruptiones vel purissimis scriptoribus sunt perquam familiares, et passim obviæ: aliud exemplum mox videbimus ad ver. 1052.—*neque:* Δ. *nec.* —*nec:* ita P. V. ed. M. O. Δ. Σ. Ω. reliqui, si fas sit credere, *neque.*

Ver. 1028. *luela:* P. *numella*, vel *numela;* quam lectionem stabilire vult multis probissimis auctoribus: in hoc loco tamen minime audiendus, quum hoc pacto prorsus incongruum sit, et superfluum, τo *sceleris:* V. ed. *biela;* quod evidentissime ex *luela* detortum est, vel ob oscitantiam typothetæ, vel ob priorem literæ *u* ductum nimis in sinistram flexum: Π. *lucella.* Porro, vox *luela* non videtur extra Lucretium hodie reperiri.

Ibid. *insignibus male factis.* Festus in voce: "*Insignis* tam ad laudem, quam "ad *vituperationem*, inflecti potest." Sed multo rarior ejus est in vituperatione usus: quod animadvertendum esse existimavi.

Ver. 1029. *eorum:* vulgo, *deorsum;* libris omnibus, quâ MSS. quâ impressis, reclamantibus: nam, τo *deorsum* quamvis in Vind. compareat, id negligentiæ collatoris imputandum putem.

Ibid. *de saxo jactus.* Dejiciebantur olim de saxo Tarpeio, qui falsum testimonium dixisse convicti erant, ut refert A. Gellius, xx. 1. sub fin. et perduellionis rei; idque jussu tribuni plebis. Hæc Lambinus, apponens Horatium, sat. i. 6. 39.

——— audes
Dejicere e saxo civis, et tradere Cadmo?

Ubi, cum enarratore Cruquiano, libenter habeam *Cadmo*, pro *carnifice* quodam notabili; quum Lucretii contextus faveat.

Ver. 1030. *lamina:* Vind. V. ed. Π. Σ. Ω. *agmina.*

Ibid. *Verbera, carnufices.* Vocabulum posterius, sic positum, omnino otiosum est, et suspectæ fidei. Conjecturâ haud ambigendâ locum integritati suæ redditurus sum:

Verbera *carnuficis*, robur—.

Nihil, me judice, hac emendatione certius: sed codices in lectione vulgatâ consentiunt, et nolui equidem pro arbitrio meo rem administrare. Cæterum, Priscianus, lib. i. p. 553.—"*carnufex* antiqui, "pro *carnifex*."

Ibid. *robur.* Fortassis *equuleus* significatur: "erat nimirum stipes, cui, velut "equo, noxii imponebantur, et fidiculis "sive chordis, quæ equuleo semper an-"nexæ erant, extendebantur, ita ut illâ "torturâ ossium compago divelleretur." Faber in lexico. Pacatus etiam, paneg. Theodos. Aug. sect. 42. opportunus admovebitur, et loco toti illustrando utilis: —"Non potius ignem, laminas, crucem, "culleum, (MS. habet, *eculeum*), et, quid-"quid merebatur, timebat?" Fortassis etiam intelligas τo ξυλον, *lignum;* de quo S. Lucas, actt. apostt. xvi. 24. pedibus vinctorum constringendis inserviente. Suidas: Ποδοκακκη· ξυλον, εις ὁ εν ειρκτῃ τους

Est insignibus insignis; scelerisque luela
Carcer, et horribilis de saxo jactus eorum,
Verbera, carnufices, robur, pix, lamina, tædæ:

ποδας εμβαλλοντες συνεχυσιν—. *λεγεται και ποδοστραβη*· Ὡς *εν ποδοστραβαις τισι, τοις βοθροις ενειργομενοι*, (lego, ΕΝΕΙΡΟΜΕΝΟΙ) *εκτεινοντα*. Confer Plutarchum, ii. p. 598. B. Vel rursus illud *lignum*, de quo Hesychius: Ἑ*κατη· ξυλον εν τοις φυλακιοις*, ᾧ *τους κακουργους προςδεσμευοντες εμαστιγουν*. Vel insuper crux, sive palus: huic utique infigebantur rei, modo quem nos describimus in Silv. Crit. ii. p. 63. et ad Æschyli Eumen. 190. Sic autem alii, uti vel pueris notissimum est. Anthol. Lat. iii. 82. 23.

> Noxius, infami districtus stipite membra,
> Sperat et a fixâ posse redire cruce.

Orosius, hist. v. 12. "Flaccus adolescens "in *robore* necatus est:" ad quam clausulam Fabric. consulas. Tacitus, ann. iv. 29. Preigero non præteritus:—"vulgi "rumore territus, *robur*, et *saxum*, aut "parricidarum pœnas, minitantium—." Vide Dion. Cass. lxii. sectt. 7. 11.

Vel, denique, non absurdum est existimare, Lucretium voluisse, generali nomine adhibito, omnia carnificum tormenta comprehendere, quæ ligni cujusvis ope, utcunque vocitati, exercebantur.

Quid autem? in transitu D. Cassium, modo laudatum, emendatiorem dabo; nam doctus editor extricat nihil: lege ergo, *πασσαλοις* ΔΙΑΤΟΡΟΙΣ *διαπαρηναι*. Libri, *διαπυροις*.

Ibid. *pix*. Pice fervente infusâ olim quorundam maleficorum hominum corpora urebantur. Plautus, Capt. iii. 4. 65.

> Ty. Atra bilis agitat hominem. Ar. At pol te, si hic sapiat senex,
> Atra *pix* agitet apud *carnuficem*, ac tuo capiti inluceat.

Lambinus.

Addam Prudentium, perist. v. 199.

> Exemplar hoc, Serpens, tuum est;
> Fuligo quem mox sulfuris,
> Bitumen et, mixtum *pice*,
> Imo implicabunt Tartaro.

Vel, an *molestam tunicam* noster respexerit Juvenalis, viii. 235?

> Ausi, quod liceat *tunicâ* punire *molestâ*.

Vetus scholiastes ibidem: "Vestis, ex "chartâ facta, *pice inlita*; in quâ igni- "bus, pœnæ addicti, ardere solent. *Ausi* "estis id *conari*, quod hoc pacto *debeat* "puniri." Ita verba enarratoris sunt diffingenda. Evulgantur vero, *Aut, si, conati, debent*.

Ibid. *lamina*. Idem Prudentius, ibid. ver. 207.

> Tum deinde, cunctatus diu,
> Decernit, Extrema omnium
> Igni, grabato, et *laminis*,
> Exerceatur quæstio.

Consulatur etiam Horatius, epist. i. 15. 36. Cicero, in Verr. v. 63. quos Lambinus laudavit.

Ibid. *tædæ*: perlegas interpretes ad Juvenal. i. 155. nam id genus cruciatûs hic respici facile equidem crediderim.

Jam vero versus Lucretianos Siliani quidam, Pun. i. 169. luculenter illustrabunt, et luculenter vicissim illustrabuntur:

> At Pœni, succensi irâ, turbataque luctu
> Et sævis gens læta, ruunt; tormentaque portant.
> Non *ignes*, *candens*que *chalybs*, non *verbera* passim,
> Ictibus innumeris lacerum scindentia corpus,
> *Carnifice*sve *manus*, penitusve infusa medullis
> Pestis, et, in medio *luctantes* vulnere, *flammæ*
> Cessavere—.

Sic legendum: *luctantes* nempe *tædæ* cum *humido* cruore. Rem tibi liquidissimam faciet Lucanus, iii. 503.

> Nec, quam vis *viridi luctetur robore*, lentas
> *Ignis* agit vires.

Vulgo, *lucentes*. Porro, *carnifices manus* sunt *unci*; et *pestis*, *liquidum plumbum*: quæ Venusinus etiam sociavit, od. i. 35. 20.

> ———— nec severus
> *Uncus* abest, *liquidum*que *plumbum*.

Quæ tamen et si absunt, at mens, sibi conscia factis,
Præmetuens, adhibet stimulos, torretque flagellis:
Nec videt interea, qui terminus esse malorum
Possit, quive siet pœnarum denique finis:

Confer Q. Curtium, iv. 2. 12. Sic *libido carnifex*, Arnobius, ad finem libri primi: atque lib. ii. p. 45.—" *carnifices unci*, alii-" que innumeri cruciatus—." Unde, si per codices liceret, Lucretius per duarum vocum transpositionem sic posset optime constitui:

Verbera, *carnufices tædæ*, pix, lamina, *robur*.

Sed enim satis diu hoc saxum volvimus, et stylus noster in restantia traducendus est.

Ver. 1031. *et* deest Π.—*absunt at:* M. *absumat.*—*at:* Π. *ac.*—*factis:* P. *facti;* et sic editi communes, constructionem vulgarem exquisitiori illepide præponentes. Mantuanus, Æn. iv. 168.

———— fulsere ignes, et *conscius* æther
Connubiis.

Ubi quidam codices, *Connubii;* trita semper affectantes. Plautus, Rud. iv. 7. 21.

Ne *conscii* sint ipsi *maleficiis* suis.

Hinc ad Ovidium, met. ix. 706. ut qui probe sciverim importunitatem scriptorum librariorum, atque inficetias, libentius assenserim singulari libro, quam reliquis universis:

———— neque erat *facto* nisi *conscia* nutrix.

Vulgo, *facti.* Ibid. vii. 194.

Tuque, triceps Hecate, quæ *cœptis conscia* nostris.

Summopere miror non suboluisse doctis viris de verâ lectione ad Lucanum, v. 89.

Quis terram cœli patitur deus, omnia cursûs
Æterni secreta tenens, *mundoque futuro*
Conscius.

Edi solet, *mundi futuri;* sed codex *mundo*, sinceram subindicans scilicet scripturam. Vide Phars. i. 20. ubi grex illepidus ad ingenium redit, nam liber unus præbet *nascentis Nili:* et confer imitationem Silianam, Pun. iii. 399. Hæc autem latius persequi non vacat.

Ver. 1032. *Præmetuens:* Vind. *Permetuens;* non male, sed vulgata præfero. " *Ante* pœnam *metuens*, quam re ipsâ ex-" periatur." Eadem confusio est in scriptis ad Virg. Æn. ii. 573. ubi recte viri docti το *Præmetuens* in contextum receperunt.—*flagellis:* Δ. *fragellis.* Phavorinus: Φραγγελλιον, εκ του φραγγελλιον, ὁ σημαινει σειραν εκ σχοινου πεπλεγμενην, ἡ κεκληται μαστιξ. Etymologicum magnum: ‘Τεπληξ· φραγελλιον: ex quibus collectaneis ea Phavorini sunt desumpta, et minus accurate scripta. Ad Columell. de re rust. iii. 10. 22. liber Lipsiensis habet *fragellum;* et alias: vide Wetstenium, ad S. Matt. xxvii. 26. et S. Joh. ii. 15.

Ibid. *adhibet stimulos, torretque flagellis:* i. e. agit in se carnificem, et præsumit ultionem. Pacatus, paneg. Theodos. Aug. sect. 43. 4. " Habet vero, *habet* " nescio quos, internos *mens* scelerata " *carnifices;* aut *ipsa sibi carnifex consci-*" *entia est.*"

Ibid. *torret flagellis.* Ita Flaccus, epod. iv. 3.

Hibericis *peruste funibus* latus:

ut alias in satiris, *loris uri.* Hinc suavissime Catullus, xxv. 11. infelicibus divinationibus misere solicitatus:

Ne laneum latusculum, nateisque mollicellas,
Inusta turpiter tibi *flagella* conscribillent.

Adeas etiam Martial. x. 12. 6. sed locutio est in pervagatissimis: unde miror magis Heinsium, in adversariis, p. 177. vanissime proponentem, " *torquet*que flagellis." Ipsa vox *flagrum*, cujus esse diminutio *flagellum* videatur, non aliunde fortassis ortum accepit, quam a *flagro*. Certe festivissime meus Popius in Dunciade, ii. 148.

Atque eadem metuit magis, hæc ne in morte gravescant.
Hinc Acherusia fit stultorum denique vita.
Hocc' etiam tibi tute interdum dicere possis:
" Lumina sis oculis etiam bonus Ancus reliquit;"

And Tutchin, *flagrant* from *the scourge*, below: ubi nos videndi.

Ver. 1034. *quive siet:* ita codex noster Δ. et impense placet; nec varietates aliorum exemplarium nihil favent. P. V. ed. B. *nec qui sit;* Vind. Π. Σ. *neque sit;* O. *quive sit.* Vulgo, *nec quæ sit:* et suspicor codd. L. M. vulgatis non consensisse, sed discrepantias non tanti esse habitas, ut recenserentur: quod si factum sit, collatoris judicium desidero, doleoque.

Ver. 1035. *hæc:* Σ. *hic.*—*in* abest Δ.

Ibid. Ad *metuit* potius referam *το magis*, quam ad *gravescant:* vide iv. 1062. vi. 336. Et *eadem*, scilicet *mens;* uti scriptores optimi passim loquuntur. Horatius, od. ii. 19. 28.

> ——————— non sat idoneus
> Pugnæ ferebaris; sed *idem*
> Pacis eras mediusque belli.

Justinus, ii. 13. 3.—" quâ manu aut cum " gloriâ ejus perdomiturum se Græciam; " aut—sine *ejusdem* infamiâ hostibus ces" surum."

Ver. 1036. *Hinc:* P. V. ed. M. O. Ω. *Hic;* non male, sed nostra lectio videtur anteferenda. Hæ voculæ, *hic* nempe et *hìc*, persæpe confunduntur: et vix aliter potuit accidere.

Ibid. *Acherusia:* repræsentatio scilicet ærumnarum omnium, quas sontibus in imo Acherunte sustineri fingunt, eorum vita est.

Porro, sensu latiore *Hinc* particulam accipimus: *Hinc*, i. e. " ex omnibus istis, quæ sigil" latim modo, a ver. 991. ad ver. 1037. " ordine memoraverim:" ut hicce versus sit pro coronide, superiora exempla complectente, atque omnia quasi compingente.

Ibid. *stultorum:* " ut qui commoditates " et amœnitates vitæ per stolidam fatuitatem negligant, atque infructuosas, ne" que in voluptatibus perfruendis colloca" tas, dilabi per manus supine patiantur." Hinc medela loco Tibulli corruptissimo feliciter dari potest, eleg. i. 4. 34.

> Vidi ego jam *juvenem*, premeret cum serior ætas,
> Mœrentem *stultos* præteriisse *dies:*

i. e. " Vidi seniorem mœrentem dies præ" teriisse stultos ipsi juveni." Libri, *juvenem;* quam lectionem non remoratam esse viros eruditos valde miror. Persius, sat. v. 60. alio tamen respiciens, hanc *stultitiam* pulchrâ significat translatione; quasi profecto frugem philosophiæ negligentes sub aëre nebulis caliginoso, et obnubilato sole, vitam transegerint:

> Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem,
> Et sibi, jam seri, vitam ingemuere relictam.

Johannes Sarisburiensis, de nug. curial. vii. 19. hos versus aliter scriptos exhibuit; sed mendose, ut arbitror, ac memoriæ vitio deceptus. Compares Pindarum, Ol. i. 132. Isth. viii. fin. solitâ cum dignitate se gerentem.

Ver. 1037. *tibi tute dicere:* *προς ὃν θυμον φαναι·* ut Homericus Menelaüs, Il. Ρ. 90.

> *Οχθησας δ' αρα ειπε προς ὃν μεγαλητορα θυμον.*

Porro, quæ sequuntur ad finem libri, egregia et admiranda, palmam poëtis omnibus in hoc genere præripiunt; adeo noster, aptissimo temperamento quodam, simplicitatem miscuit, et subtristem majestatem.

Ver. 1038. *sis:* P. Δ. *sic.*—*Ancus reliquit:* Π. *reliquit Ancus.*

Nempe versum ab Ennio noster mutuatus est, ut dudum est animadversum aliis. Festus, (quem videas, et commentatores eruditos): " *Sos* antiqui pro *suos* pone" bant; ut, cum per dativum casum idem " Ennius effert:

Qui melior multis, quam tu, fuit, inprobe! rebus.
Inde aliei multei reges, rerumque potentes,
Obciderunt, magnis quei gentibus inperitarunt.

"Post quam *lumina sis oculis bonus Ancus reli-*
"*quit.*"

Sic *miis*, pro *meis*, legendum esse ad Terent. Heaut. iv. 3. 21. monuit Velius Longus, p. 2236. qui Bentleium *πολυμαθεστατον* et *οξυδερκεστατον* haud latuit. Vide Anthol. Lat. i. 34. 3. Est itaque quasi diceret Lucretius: "Potes subinde te tute "alloqui hoc notissimo versu Enniano, et "animum ægrum consolari."

Ibid. *Lumina reliquit.* Cicero, de divin. i. 11. de secundo suo consulatu:

Aut quum, terribili *percussus* fulmine, civis
Luce serenanti vitalia *lumina liquit.*

Ita legendum est; *percussus* utique, i. e. ictus: neque aliter, ut jam video, codex unus Bodleianus. Vox recepta in vulgatis, *perculsus* scilicet, ab hoc loco alienior est: me videas ad i. 13. Ammianus Marcellinus, xxx. 5. "Quo ille verbo, tan- "quam telo, *perculsus*, actus ejus, ut sa- "gax bestia, rimabatur—." Reponas ocyssime, *percussus.* Alia est versûs Siliani ratio, figurate accipiendi, unde dictionem eandem non emoverim, Pun. xvi. 626.

——— tanto *perculsi fulmine* belli—.

Nævius in disticho vitiato apud Nonium Marcellum, i. 18.

Alis sublime alios saltus inlicite, ubi
Bipedes volucres lino *linquant lumina.*

An *sublimem?* Sed, re ignotâ, hoc hariolari est.

Ver. 1039. Hic versus notissima est Mæonidis imitatio, ad Il. Φ. 107.

Κατθανε και Πατροκλος, ὁ περ σεο πολλον αμεινων.

Quibus illud Hesiodi consimile est, quod legitur in opp. et dd. 205.

Δαιμονιη, τι λεληκας; εχει νυ σε πολλον αρειων.

Accedet etiam Varro, de re rust. ii. 1. 2. "De tertiâ parte, ubi est de arte, Scrofa "suscipiet,

"——— *ὁς περ μευ πολλον αμεινων·*
"ut semigræcis pastoribus dicam Græce."

Ita clausulæ nobis videntur in quibusdam scriptis commodius disponi. Interea, piget dicere, quæ nemo libenter audiet, Bentleium ita esse legendum dixisse:

Lumina *sic* oculis etiam *Patroclus* reliquit.

Sed debemus reminisci, magnum virum non meditate scripsisse in Lucretium, sed perfunctorie tantum margini illevisse, quæ fortuito ei carmen percurrenti subinde in mentem venirent, tempore fortassis commodiore recogitanda et expolienda: unde nequit ambigi quin multa erant secundæ cogitationes sublaturæ.

Ibid. *inprobe.* Virgilius, Æn. iv. 386.

——— dabis, *inprobe!* pœnas.

Ver. 1041. *inperitarunt:* V. ed. *impeditarunt.*
Ex hoc autem versu mihi videor Horatium bene emendasse, sat. i. 6. 4.

Olim qui magnis *regionibus* imperitarint:

i. e. amplis provinciis. Pomponius Mela, i. 12. 5.—"classe confligere, *imperitare* "*gentibus*—." *Legio* non nisi ad militares turmas videtur pertinere. Sic Sidonius Apollinaris, ii. 204.

Sic sub patre Pius, moderatus *castra* parentis,
Sic Marcus, vivente Pio, post jura daturi,
Innumerabilibus *legionibus imperitabant.*

Vide nos ad Horatium, et dictionum *legio* ac *regio* permutationem ad Valer. Flacc. vi. 48. et supra quoque, ad i. 470.

Ver. 1042. *qui:* V. ed. *que;* Π. *quæ:* qui codex statim omittit *que.*

Ibid. *Ille quoque ipse.* Hermesianax, apud Athen. deipn. xiii. 8.

ΑΥΤΟΣ δ' 'ΟΥΤΟΣ *αοιδος*—.

Ver. 1043. *Stravit viam per mare:* elementorum usu mutato, ut habet Ammianus, xxiii. 6. Cum nostro locutus est Avienus, or. marit. 327.

Ille quoque ipse, viam qui quondam per mare magnum
Stravit, iterque dedit legionibus ire per altum,
Ac pedibus salsas docuit superare lacunas,

Stravisse quippe *maria* fertur Hercules,
Iter ut pateret facile captivo gregi.

Et Tertullianus, adv. Marc. v. 114.

Si non ipse dedit leges, Deus ipse, Creator;
Ægypti de calle *viam* qui *stravit in undis.*

Juvenalis etiam de Xerxe, x. 175.

——— *constratum classibus* iisdem,
Suppositumque rotis, solidum *mare:*

uti Manilius quoque loquitur ad i. 774. qui super eodem argumento sic videtur castigandus, in iii. 20.

——— nec Persica bella, profundo
Indicta, et magnâ pontum sub classe latentem,
Immissumque fretum terris; iter æquoris *undas.*

Vulgo, *undis.* Versus sunt elegantissimi, quos Sedulius profudit, ad pasch. carm. i. 123. de *Israëlitis,* mare rubrum permeantibus:

Pervia divisi patuerunt cærula ponti,
In geminum revoluta latus; nudataque tellus
Cognatis spoliatur aquis, ac turba pedestris
Intrat in *abstantis* pelagi mare, perque profundum
Sicca peregrinas stupuerunt marmora plantas.

Vulgo, "*absentis* pelagi;" mendose, ut arbitror, et illepide. Porro, dum in hac re versor, sublimes quosdam, pulcherrimosque, Sidonii Apollinaris versus, v. 461. pro meritis politiores dabo, et explicitos; nam Savaro, Parisinus editor, quamvis haud vulgariter eruditus, interpretationem minus commodam commentus est:

——— nec tantæ, Seston juncturus Abydo,
Xerxes classis erat, tumidas cùm sterneret undas,
Et pontum sub ponte daret; cum stagna superbo
Irrupit temerata gradu, turmæque frequentes
Hellespontiacum persultavere *profundum.*

Stagna temerata sunt idem Hellespontus, usu perverso et quasi sacrilego, ob spretas naturæ leges, violatus. Vulgo autem scribitur, *Hellespontiaco ponto,* cassâ constructione, et codicis formis, opinor, *Hellespontiacō pontō*, parum fideliter exhibitis: vide superius, ver. 647. Idem nitidissime, ix. 41. super eodem argumento:

Nec non Thermopylas, et Hellis undas,
Spretis obicibus soli salique,
Insanis *equitasse* cum catervis.

Perizonio adjutus, contaminatissimum locum Lucii Ampelii, cap. 13. puriorem dabo: "Darius rex,—victus ab Atheni-"ensibus, ducente Miltiade, apud *palu-"dem Marathona* (vide Pausan. i. 32. sub "fin. Vulgo, *Pseudomarathona*) *recessit.* "Xerxes, Darii filius, cum *decessisset* pa-"ter ejus, *aliquam multis* navibus arma-"tis, *et* militibus, in Europam transivit "contabulato Hellesponto, et forato Atho "monte." Libri, *decessit, recessisset, aliquantis,* omisso *et.*

Plures autem loci veterum, hæc facinora Xerxis præstringentium, orationem habent versibus Lucretianis coloratam: quos prudens prætereo.

Ibid. *iter ire.* Virgilius, geo. iv. 108.

——— Non illis quisquam cunctantibus altum
Ire iter, aut castris audebit vellere signa.

Ver. 1044. *superare:* sic P. V. ed. O. Δ. Π. et placet, quum jam habuimus *τὸ ire* ad eundem pedem versûs præcedentis, quamvis prisca Pii exemplaria, et libri reliqui, dent, quod optimum per se, *super ire.* Virgilius, Æn. ix. 314.

Egressi, *superant fossas:*

i. e. *superant lacunas;* nam *lacunæ* sunt *fossæ,* interprete Servio, ad geo. i. 117. iii. 365. Et sic alii frequentissime: adi Nonium, iv. 414. Annectam tamen Lucanum, v. 503.

——— *fluctus*que, verendos
Classibus, exiguâ sperat *superare* carinâ:

ubi consulas Oudendorpium. Et profecto, quod damus, efficacius est, et significantius, hoc saltem loco, vocabulum.—Cæterum, verba *superare* et *super ire* confunduntur etiam libris scriptis ad Manil.

Et contempsit equis, insultans, murmura ponti;
Lumine adempto, animam moribundo corpore fudit.

iii. 385. vel 358. edit. Bentleianæ.—*lacunas:* V. ed. *lucanas.*

Ibid. *pedibus;* ponti utique insistentibus: i. e. "Xerxes, junctis pontibus, "*maria pedibus peragravit:*" quæ sunt ipsissima Ammiani Marcellini verba, ad xxii. 8. Est enim poëtica rei magnificatio, quasi re verâ liquidam superficiem ponti perambulassent, ut homines giganteâ magnitudine, quos noster finxit, ad i. 201.

——— *pedibus* quei *pontum* per vada possent
Transire—.

Contempleris interea, quam libenter tenui sermonis ubertati in descriptionibus ejus, emphasis et ἐναργείας gratiâ, Lucretius indulgeat:

——— juvat usque morari,
Et conferre gradum—.

Ver. 1045. *contempsit:* V. ed. *contusit;* quam varietatem non temere abjecissem, si compertum haberem, antiquiores formavisse præteritum verbi *tundo* in *tusi:* sed nihil habeo, quod super hac re cum lectoribus communicem.—*equis:* ita exemplaria ad unum scripta, nec minus impressa vetusta; unde digni sunt mehercule editores, qui fustuario probe dedolentur, Lambinianum *aquis*, arbitrarium prorsus et conjectarium, unanimi consensu propagantes. Nempe, in duobus versibus, qui præiverint, transitum copiarum *pedestrium*, in hoc rursum *equestrium*, describit noster. Veram lectionem calculo suo Salmasius donavit, et Bentleius; quibus probantibus, Creechium obloquentem morer? Refero tamen *equis* ad *contempsit;* ut, quod ambiguum foret, evitetur. Virgilius, geo. iii. 116. Lucretii memor, de *equo:*

——— *equitem* docuere sub armis
Insultare solo——:

in quem versum Burmannianas animadversiones perlege. Quamvis ferri poterat *equis insultare,* pro *cum equis.* Idem, Æn. vii. 580.

——— *nemora* avia matres
Insultant thiasis.

Sed ea tutior est, quam nos ingressi sumus viam. Servius, ad hunc Maronis locum, frigore ferit omnia, veram constructionem non tenens. Jam vero nostram lectionem firmat ver. 32. Culicis Virgiliani, aliis jam laudatus, et hinc evidentissime expressus:

Non *Hellespontus, pedibus pulsatus equorum.*

Hellespontus utique andacter, pro *ponte*, instrato fluctibus. Nec minus Claudianus, in Rufin. i. 375. ad rem nostram facit:

——— *calcabitur* asper
*Phasis equo, pontem*que pati cogetur Araxes:

eandem ἔννοιαν verbis variantibus bis efferens. Ad quem modum Eumenius, paneg. Constant. Aug. sect. 13. "Sed pul-"chrum tibi videtur,—ut Rhenus ille—"novo *ponte calcetur,* ubi totus est—." E Corippi iii. 292. operæ pretium fuerit corruptelas sustulisse, pravis lectionibus distinctionibusque fedissime turpati:

——— *fremitu*que sonorum,
Cornipedum liquidos *cum* terruit ungula campos,
Insanum volvens strepitum, *calcavimus* Ebrum.

Vulgo, *fremitus* atque *ceu.* Et *ungula volvens,* ob *currus* appensos scilicet.

Ibid. *contempsit murmura ponti.* Hunc locum æmulatus est Claudianus, in Rufin. ii. 123. quem ex codicibus restituam, non intellectum editoribus, atque adeo deformatum:

Haud aliter, Xerxen toto simul orbe secutus,
Narratur rapuisse vagos exercitus amnes,
Et telis *vibrasse* diem; quum classibus iret
Per scopulos, tectumque *pedes contemneret æquor.*

Ubi nobilissima, et vere magnifica, locutio, *telis vibrasse diem,* valet, "alterum "diem multitudine et splendore corus-"cantium telorum, solem quasi provo-"cantium atque æmulantium, efficere:" quo nihil pulchrius magnificentiusque fingi potest. Quid velim, melior quovis in-

Scipiades, belli fulmen, Carthaginis horror,
Ossa dedit terræ, proinde ac famul infimus esset.

terprete, Virgilius declarabit, ex Æn. vii. 526.

——— æraque fulgent,
Sole lacessita, et lucem sub nubila jactant.

Libri plures in Claudiano præbent *umbrasse;* quod, ut tritum est ac vulgare, ita loco alienum: nam de prælio jam inito, quando capitibus pugnantium nubes jaculorum super fundebantur, poëta nondum loquitur; confer Nazarii panegyricum, sect. 29. 5. et miror, hoc non animadversum esse hic, et alias, viris eruditis. Haud aliter a turpissimæ tautologiæ dehonestamento vindicari quit cultissimum poëmatium, quod legitur in Anthol. Lat. Burm. ii. 12. cujus secundum distichon sic certissime scribendum est:

Tellus jussa facit; *cælum* texere sagittæ;
Abscondunt clarum Persica *tela diem.*

Sermo est de eodem Xerxe. Pro *cælum,* codices quidam *solem,* perperam; quum *Tellus* et *Cælum* optime vicissim opponantur. *Abscondunt* autem *diem tela,* lumine solis restinguendo: vide mox, ad ver. 1057. Epigramma alterum ibidem, iii. 24. 3. ex nostro proficiens, emendatius exhibebitur:

Calcamus *rabidas* subjecti gurgitis *undas,*
Et libet iratæ *spernere murmur aquæ.*

Ita erat acumen meum assecutum. Libri, *rapidas,* et *cernere;* sed unus etiam, nostrum *spernere:* pulchre autem conveniunt *iratæ aquæ,* et *undas rabidas.* Jam vero voces *rapidus* et *rabidus* passim confundi solent: vide nos ad v. 890. et in eâdem paginâ *rabidos fluctus* legitur. Titulus est epigrammatis, " De *ponte* viæ Salariæ:" et vanitas divinationis Heinsianæ, proponentis *marmora* in Lucretii versu, pro *murmura,* ut hoc obiter notem, χ*ε*λ*ει*ω scilicet χ*ρυ*σ*ε*ω*ν* loco, hinc ex abundanti demonstratur: vide acutissimum virum in adversariis ejus, p. 186. Saltem nostrum voluit effingere Prudentius, perist. vii. 59. de Christo, mari inambulante:

Haud quaquam tibi gloria
Hæc est insolita, aut nova,
Calcare fremitum maris,
Prona et flumina sistere:

ubi apertum est, glossatorem, qui explicat *sistere,* per *retro fluere,* legisse *calcari;* quod malim: minime tamen de metro solicitus, quum omnino Prudentianum gustum sapiat.

Ibid. *insultans:* i. e. *insiliens,* calcans, *καταπατησας,* cum fastu quodam, et impietate, quasi rerum dominus, atque oceani tyrannus: videas me in Silv. Crit. i. p. 102. Ovid. met. i. 134. Tacit. ann. ii. 8. Sil. It. iv. 66. Ovidius, in Ib. 29.

——— *calcasti* qui me, violente, *jacentem.*

Occasione moniti, locum Julii Firmici eloquentem, ubi Constantium et Constantem impp. laudat, pravæ distinctionis incommodo liberabimus: " Vicistis hostes, " propagastis imperium; et, ut virtuti" bus vestris gloria major accederet, mu" tato ac contempto temporum ordine, " hyeme, quod nec factum est aliquando, " nec fiet, tumentes ac sævientes *undas* " *calcastis oceani.* Sub remis vestris in" cogniti jam nobis pene maris unda con" tremuit, et insperatam imperatoris fa" ciem Britannus expavit." Vulgo sic ille locus interpungi solet: " —oceani sub " remis vestris. Incogniti jam—." Hinc etiam, certe elegantissima, nonnullarum membranarum scriptio feliciter potest asseri Claudiano, de cons. Stil. iii. 13.

——— hicc' est felix bellator ubique,
Defensor Libyæ, Rheni *calcator,* et Istri:

quæ vox insultantem dominum vividissime depingit. Vulgo, *pacator;* longe longeque minori spiritu. Silius Italicus, dum magnificos versus expoliret, ad Pun. iv. 66. oculum videtur in Lucretium intendisse:

Adde repertores doctrinarum, atque leporum:
Adde Heliconiadum comites; quorum unus Homerus,

> Raptum per Celtas iter; et, quâ ponere gressum
> Amphitryoniadæ fuerit labor, isse sub armis
> Pœnorum turmas; equitemque, per ardua vectum,
> Insultasse jugo; et fremuisse hinnitibus Alpes.

Qui nitor, quæ dignitas, qui numeri denique, hujusce carminis! Consimili autem argumento monitus, probe concinnatum ex codicibus dabo Lucani locum, Phars. v. 440.

> ——————— nec pervia velis
> Æquora frangit eques; fluctuque *tacente*, sonantem
> Orbita migrantis *tundit* Mœotida Bessi.

Nec, pro *Et non;* vide ad ii. 467. hoc primum. Deinde, vulgo *latente;* minus exquisite: nempe, "*sonantem* ungulâ pul-"sante, dum fremitus interea ponti si-"lent:" quâ antithesi quid pulchrius, aut animosius? Non alienus est interea Horatius, ad epod. xvi. 12.

> Barbarus, heu! *cineres insistet* victor, et urbem
> Eques *sonante verberabit ungulâ.*

Itidem Seneca, Herc. fur. 535.

> Calcavitque freti terga rigentia,
> Et mutis *tacitum* litoribus *mare.*

Ibi tamen, ob *mutis*, malim *placidis:* vide ver. 680. ejusdem dramatis. Denique, pro *tundit*, vulgo *scindit* scribi solet: sed libri quidam, *fundit;* unde nos scripturam sincerissimam, et extra dubii fines positam, effinximus. Literas *T* et *F*, ob affinitatem, persæpe confundi, docet Drakenborchius, ad Liv. vi. 11. 8. xxxii. 21. 1.—Sed tempus est nobis progrediendi; satis enim verborum de hoc Lucretii loco, utcunque illustri, fecimus.

Ver. 1046. *fudit:* V. ed. O. Π. Σ. Ω. *fugit;* sed perperam. Virgilius, Æn. i. 98. *animam effundere;* Æn. ii. 532. *vitam fundere;* Arnobius, lib. i. p. 23. *spiritum effudit;* etc. In his autem vocabulis libri fluctuant etiam ad Liv. viii. 36. 8. xxxviii. 17. 6.

Ibid. *Lumine adempto:* nempe *solis.* Virgilius, Æn. vi. 735.

> ——————— supremo quum *lumine* vita reliquit—;

confer xii. 935. et nos mox, ad ver. 1059.

Ver. 1047. *Scipiades:* Scipio utique, *Scipionis filius:* sicuti *Memmiadæ*, i. 27. et Memmio, et Memmii filio.

Ibid. *Scipiades belli fulmen.* Has nobiles metaphoras Græci priores tractavere. Lycophron egregie, Cassand. 462. de Telamonio Ajace:

> ——————— ὁ Λημνιος
> ΠΡΗΣΤΗΡ ΕΝΤΟΥΣ———.

Sed operæ fuerit pretium versus integros perlegere; sunt enim expoliti non vulgari elegantiâ: et ille nimirum dignissimus est poëta, qui manibus ingenuis liberaliter eruditorum frequentius teratur. Sed enim utramque clausulam Lucretii, cum *belli fulmen*, tum *Carthaginis horror*, vel expressit Mantuanus, vel adumbravit, in Æn. vi. 843.

> ——————— geminos, duo *fulmina belli*,
> *Scipiadas, cladem Libyæ*———:

quem Silius pro more subsecutus est, Pun. vii. 106. ut Preigerus quoque monuit:

> ——————— ubi nunc sunt, *fulmina* gentis,
> *Scipiadæ?*

Et idem similiter, ibid. xxv. 667.

> Et, *fulmen* subitum *Carthaginis*, Hannibal adsit.

Ab his locus Ciceronianus in paradox. 1. non abhorret: "Quid, duo *propugnacula* "*belli* Punici, Cn. et P. *Scipiones*, qui "Carthaginiensium adventum corpori-"bus suis intercludendum putaverunt?" Nempe, ἑρκη πολεμε: Hom. Il. Γ. 229. Addam quoque Ammianum Marcellinum, xxiv. 6.—"longæ loquantur ætates So-"phanem, et Aminiam, et Callimachum, "et Cynægirum, Medicorum in Græciâ "*fulmina* illa *bellorum*—." Liber MS. *culmina;* etiam bene.

Ibid. *Carthaginis horror.* Silius idem rursum, Pun. xv. 340.

Sceptra potitus, eâdem aliis sopitus quiete est.
Denique, Democritum, post quam matura vetustas

——— jacet campis *Carthaginis horror:*
Forsan *Scipiadæ* confecti nomina belli
Rapturus, si quis paullum deus adderet *ævo.*

Ubi malim, *ævi;* ad usum tritiorem elegantioris Latinitatis.

Ver. 1048. *infimus:* P. *improbus;* male.

Ibid. *Famul* suum Lucretius hausit ex Enniano fonte, teste Nonio Marcello, ii. 322. " *Famul*, famulus. Ennius, lib. viii.

" ——— Mortalem summum Fortuna repente
" Reddidit, ut summo e regno *famul infimus esset.*"

Sic facillimam laboranti structuræ medelam afferas: et viri docti probabiliter reponunt *infimus*, pro *optimus*, laudantes Plaut. Capt. ii. 2. 55. *Famul* autem, pro *famulus;* ut Græci δῶ, pro δῶμα· et aliis in multis.

Ver. 1049. *Adde:* i. e. non *reges* tantum potentissimi et prudentissimi, cum maximis *imperatoribus*, morte victi decubuere; sed *poëtæ* summi, *philosophi*que.

Ibid. *repertores doctrinarum.* Non mirum est, hos versus, plane divinos, vetustis scriptoribus studiosissime esse observatos. Plinius hunc respexit, ad nat. hist. xxv. 5. " *Homerus* quidem, primus *doctrina-* " *rum* et antiquitatis parens, multus alias " in admiratione Circes, gloriam herba- " rum Ægypto tribuit—." Virgilius, Æn. vii. 772.

——— *repertorem medicinæ* talis, et *artis*—.

Arnobius, lib. i. p. 24. " Æsculapium, " *medicaminum repertorem*—." Orosius, ' hist. i. 4. " Zoroastrem—magicæ *artis* " *repertorem*—." Locutionem M. Tullius mmutavit, de orat. i. 4.—" omnium *doc-* " *trinarum inventrices*, Athenas—." Servavit autem Ovidius, remed. am. 76.

Carminis, et medicæ, Phœbe, *repertor* opis.

Ibid. *leporum:* i. e. " literarum amœ- " niorum omnium," præter *poëticas* elegantias; de quibus in versu proximo.

Ver. 1050. *Heliconiadum comites.* Ita Mantuanus ille, Æn. ix. 775.

——— amicum Crethea Musis;
Crethea, *Musarum comitem.*

Ubi in Servio videas grammatici jejunitatem.

Ibid. *unus Homerus:* i. e. unicus, sine rivali; cui nihil simile aut secundum: vide ii. 1076. Magnifice profecto; sed et vere. Velleius Paterculus similiter, nec minus honorifice, de illo scribit, i. 5. " Cla- " rissimum deinde Homeri inluxit inge- " nium, *sine exemplo maximum:* qui mag- " nitudine operis, et fulgore carminum, " solus appellari Poëta meruit." Versuum autem Lucretianorum sententiam sic Ovidius suavissime dilatavit, amor. iii. 9. 25. quem locum vere constitutum, ad Burmanni quoque mentem, dabimus:

Adjice Mœonidem; a quo, ceu fonte perenni,
Vatum Pieriis ora rigantur aquis;
Hunc quoque summa dies nigro *demisit* Averno;
Defugiunt avidos carmina sola rogos.

Ver. 1051. *potitus:* Vind. V. ed. et II. *potius;* Nonius, vii. 112. *potitur.*

Ibid. *Sceptra potitus.* Hujus regiminis exempla cernas plura in Nonio, l. c. et ix. 14. 21. Redeas ad ii. 652. Lucretii. Hinc libenter castigarem Virgilii locum plane depositum, deploratumque, Æn. ix. 363.

Post mortem, *spolium* Rutuli, *prædam*que, *potiti;*

ut mox ibid. ver. 450, *spolium*, *spoliom*, *spoliō:* unde vulgata lectio: sed de hoc eruditi viderint; nos haud pœnitet suspicionem in medium sic protulisse.

Ibid. *eâdem aliis:* ἐν ταὐτῷ τοῖς ἄλλοις, uti Xenophon locutus est, anab. iii. p. 195. et Sophocles, Elect. 269.

——— εἰσίδω δ' ἐσθήματα
Φοροῦντ' ἐκείνῳ ταὐτὰ—.

Simili structurâ usus est Ovidius, amor. i. 4. 1.

Vir tuus est epulas *nobis* aditurus *easdem:*

ad quem versum alia hujusce formulæ ex-

Admonuit memores motus languescere mentis,
Sponte suâ leto caput obvius obtulit ipse.

empla Heinsio sunt allata; cum quo Vossium quoque, de construct. cap. 58. possis consulere. Plenum fuerat "eâdem *cum* "aliis." Hinc illi Peligno vati medela videtur admovenda, ad epist. xix. 150.

> Da veniam, servaque duos: natat ille; sed *iisdem*
> *Corpore* Leandri spes mea pendet aquis.

Locus vulgo constituitur hoc pacto:

> ———————— natat ille; sed iisdem
> Corpus Leandri, spes mea, pendet aquis:

nec numeris, nec orationis lepore, cum habitu novo, quem nos dedimus, comparandus. Homerus et alii Græci hujusce formulæ specimina præbuerunt. Ille autem ad Il. Γ. 238.

> ———————— τω ΜΟΙ ΜΙΑ γεινατο μητηρ.

Plura exempla, Horatiano specimini similia, *alium sapiente*, lexicis vulgaribus, et L. Bosio, suppeditantur. Tantilla res inobservata mirum est ad quas incitas redegerit, et quo temeritatis impulerit, viros maximos Valckenaërum, Brunckium, Musgravium, atque alios; quibus crucem fixit hoc distichon Euripidis, in Androm. 6. longe planissimum:

> Νυν δ' ει τις ΑΛΛΗ δυστυχεστατη γυνη
> ΕΜΟΥ πεφυκεν, η γενησεται ποτε.

Ordo est: Νυν δε ει τις γυνη, αλλη εμου, πεφυκε δυστυχεστατη—: "Nulla mulier, "alia me, est omnium miserrima—." Quo nihil verius clariusque. Sed hoc nimirum usu comprobatum est, Πολλα πταιομεν ἁπαντες.

Ibid. *eâdem aliis quiete.* Ecce! aliud Græcis, paullo rarius, hujusce schematis exemplum, e Plutarchi Numâ, p. 64. im. Λεγεται δε και τον εξωθεν ογκον και σχηματισμον απο της ΑΥΤΗΣ ΠΥΘΑΓΟΡΑ διανοιας περιβαλεσθαι.

Ibid. *sopitus:* per comparationem utique sacris potissimum scriptoribus usitatissimam; ut, exempli gratiâ, S. Lucas, gott. apostt. vii. 60. και, τουτο ειπων, ΕΚΟΙΜΗΘΗ. In hac re nihil habeo Callimachi epigrammate excellentius:

> Τηδε Σαων, ὁ Δικωνος, Ακανθιος, ἱερον ΥΠΝΟΝ
> ΚΟΙΜΑΤΑΙ· θνησκειν μη λεγε τους αγαθους.

Pulchre Velleius Paterculus, i. 11. fin. "Hoc est nimirum magis, feliciter de "vitâ migrare, quam mori." Conferas autem omnino velim Frontinum, strateg. iii. 12. 2. et ibidem doctissimos commentatores.

Ibid. *sopitus quiete.* Valerius Maximus, ii. 4. 5. "Quâ potâ, salutari *quiete sopiti*, "diutinâ vi morbi repente sunt liberati." Nonnulli codices, *potiti;* minus eleganter. Hinc longe melius Ammiani Marcellini constructio procedet, xxix. 1. ad librum MS. constituti: "Namque et in "nemoroso quodam inter Antiochiam et "Seleuciam loco leni *quiete* post meridi"em *consopitus*, a Sallustio tunc Scuta"rio, et sæpe alias *appetenter* insidianti"bus multis, vitæ terminis a primigenio "ortu adscriptis ausa immania frenanti"bus, evadebat." Vulgo, *appetitus:* vide sis Phædrum, iii. 10. 31. Apuleius, met. v. p. 369.—"Cupidinem, leni *quiete sopi*"*tum*—."

Ibid. *quiete.* Cornelius Nepos, de Hannibale, sect. 12. "Sic vir fortissimus, "multis variisque perfunctus laboribus, "anno *adquievit* septuagesimo." Ubi doctissimus Bosius plura contulit appositissima. Hyginus, fab. ccliv. "Preca"tione peractâ, plaustrum et matrem filii "domum reduxerunt, et fessi *somno ac*"*quieverunt:*" i. e. mortui sunt.

Ver. 1052. *Democritum matura vetustas.* Maximus Tyrius etiam, xxxvi. 5. quamvis *annorum numerum* non tradiderit, dixit generaliter Democritum ad *ultimam senectutem* pervenisse: κατεγηρα εις το ακροτατον.

Ibid. *matura:* Vind. V. ed. O. Π. Σ. *natura;* Δ. *nativa.*

Ibid. Lege, "Denique, *Democritus*."

Ipse Epicurus obiit, decurso lumine vitæ;
Qui genus humanum ingenio superavit, et omneis

Bentleius.
Perperam: si vero mutatione opus foret, mutata interpungendi ratio facilius expediret rem:

Denique, Democritum post quam matura vetustas
Admonuit——.

Sed locus non est solicitandus: optimi enim scriptores subinde solent in progressu sermonis constructionem, quâ exorsi erant, immutare; et præsertim quoties interposita sententia cursum narrationis ruperit: me videas ad i. 16. de formulâ non dissimili. Haud aliter Homerus, Il. B. 681.

Νυν δ' αυ ΤΟΥΣ, ὁσσοι το Πελασγικον Αργος ἐναιον,—
ΤΩΝ αυ πεντηκοντα νεων ην αρχος Αχιλλευς.

Neque diversa est ejusdem ratio in nobilissimo versu ibid. E. 85. sic interpungendo, quod editores latuit:

Τυδειδην δ', ουκ αν γνοιης ποτεροισι μετειη.

Centies hanc structuram in Lucretio habuimus. Cum interpretum plebe video aliter Eustathium dictare; sed virum πολυμαθεστατον omnino fefellit exquisitior scribendi formula. Nos super hac re plura diximus ad Silv. Crit. iii. p. 92. iv. p. 176. et alibi. Idem schema decepit Oudendorpium, ad Julii Obsequentis, cap. cxxix. "*Cæsar* cum in campum Martium exercitum deduceret, sex vultures apparuerunt:"—reponere volentem *Cæsari*.

Ibid. *matura vetustas:* ut pote qui vixerit εννεα προς τοις ἑκατον ετη, teste Laërtio in vitâ ejus, segm. 43. Paullo aliter alii; (vide Stanleii vitas philosophorum) sed omnes consentiunt, eum ad senectutem longissimam pervenisse.

Ver. 1053. *memores:* sic omnes libri, quibus obviam ire non ausus sum, excepto recentiore Σ. *memorem* exhibente, quæ Lambini est arbitraria correctio. Sane phrasis *Admonuit memorem* Homereum illud pulchre expressisset, Il. N. 46.

Αιαντε πρωτω προσεφη, ΜΕΜΑΩΤΕ ΚΑΙ ΑΥΤΩ: sed librorum sincera scriptura vetustorum conjecturis commentitiis anteponi debet. Nihil igitur mutandum. *Memores* autem *motus* sunt id officium mentis, per quod *sui meminit*, et agnoscit se, neque adeo ab omni sensu derelinquitur, ut actionum suarum sit parum conscius, atque in fatuitatis torpedinem demergatur. Hoc ad hunc modum aliter extulit in iv. 769. poëta noster:

Præterea, *meminisse jacet, languetque sopore.*

Cæterum, pro *motus*, Π. *metus*.

Ver. 1054. Notionem sic exhibuit versibus limatis Valerius Flaccus, vi. 310.

——— Genitor, turpi durare senectâ
Quem mihi reris adhuc, *ipse* hac occumbere dextrâ
Maluit, atque *ultro* segnes *perrumpere* metas.

Ita rescribendum dico: vulgo legitur, parum Latine, *abrumpere*. Nisi quis velit *nexus* pro *metas*, quod minus veri videtur simile. Ex hoc autem Lucretii loco, satis liquido constat, qui sensus sit phraseos Diogenis Laërtii, de Democrito, ix. 43. in Suidâ etiam et Anecdotis Villoisoni Græcis exstantis, editoribus non intellectæ: Ηδη ὑπερηγηρων οντα, προς τῳ καταστρεφειν ειναι· *in moriendo esse:* i. e. "animum habebat ad mortem versum;"—sive "ad obeundam mortem accingebatur." Deinde, paucis interjectis, addit, quæ Lucretium illustrant, διακαρτερησαι αὐτον την ἑορτην· επει δε παρηλθον αἱ ἡμεραι, τρεις δε ησαν, ΑΛΥΠΟΤΑΤΑ ΤΟΝ ΒΙΟΝ ΠΡΟΗΚΑΤΟ. Ad quam normam Suidas pariter exigendus est, et corrigendus.

Ibid. *Sponte suâ ipse.* Et Virgilius similiter, ad geo. ii. 10.

Namque aliæ, nullis hominum cogentibus, *ipsæ*
Sponte suâ veniunt——.

Nam nonnulli in Lucretio aliam interpungendi viam instituerunt, hoc pacto scilicet:

Sponte suâ leto caput obvius obtulit. Ipse,
Ipse Epicurus obiit——.

Restinxit, stellas exortus uti aërius sol.
Tu vero dubitabis, et indignabere, obire,

Quo nihil, me judice, fieri poterat inficetius: nam a Lucretii simplicitate longissime distat hæc ratio, et mollem carminis fluxionem odiosissime intercidit.—Jam vero *Sponte suâ*, ut hominem fortem atque constantem decuit. Ita M. Tullius, Acad. ii. 23. "Quid loquar de Democrito? "Quem cum eo conferre possumus, non "modo ingenii *magnitudine*, sed etiam "*animi?*"

Ibid. *caput obvius obtudit.* Idem Virgilius, Æn. i. 552.

Obvius ardenti *sese obtulit.*

Quem locum Heinsius perperam solicitabat.

Ver. 1055. *decurso:* V. ed. *de curso;* II. autem *de cursu.*

Ibid. *lumine.* De aliquibus exemplaribus, sibi, opinor, soli notis, Lambinus loquitur; sed an scripti, an impressi typis, non addit, qui legunt *limite.* Pessime omnino: nam pulcherrima est translatio in phrasi, *decurso lumine*, a sole diurnum curriculum peragente. Pomponius Mela, i. 1.—"unde *sol* oritur, oriens nuncupa-"tur;—quâ *decurrit*, meridies:" i. e. ubi *deorsum currere*, vel descendere, incipit. Pacuvius, apud Varron. de ling. Lat. v. 2.

——————— pastor ———,
Exorto jubare, noctis *decurso itinere.*

Ad finem prioris versûs, vox *it* fortasse poni debet, ut numeri recte fluant; si modo Virgilius sit imitatus locum, ad Æn. iv. 130.

Oceanum interea surgens Aurora relinquit:
It portis, *jubare exorto*, delecta juventus.

Petronius, de bell. civ. 2.

Quâ mare, quâ terræ, quâ *sidus currit* utrumque:

quem locum Barthius et Bourdelotius recte ceperunt. Confer nostrum, iv. 395. 435. 1189. Q. Curtium, iv. 7. 16. Tibullum, iv. 1. 51. Senecam, Med. 30. Plautum, Merc. iii. 2. 4. Terentium, Adelph. v. 4. 6. Et Anthologiam Latinam Burmanni porro, ad iv. 10. 3. nos emendabimus transeuntes:

Præcipitem memet superi mersere sub *umbras:*

vulgo, *undas;* vide Virg. Æn. vi. 267. quæ voces confusæ sunt ad Lucan. ix. 818. et alias persæpe. Mox autem, verr. 8. 9. ejusdem epigrammatis, propter quos poëmatii mentionem fecimus:

Et quandoque, simul *finito lumine vitæ*,
Manibus *hic* juncti, pariter *sociabimur urnâ.*

Vulgo scribitur, *Ut, his, sociavimur, una.* Jam vero voculas *et* atque *ut* librarii permiscuerunt in multis locis: vide Drakenborchium ad Sil. It. v. 217. et ad Liv. xxi. 28. 8. Hinc Statius restat emendandus, silv. iv. 3. 121.

En! *ut* colla rotat, novisque late
Bacchatur spatiis, viamque replet!

Libri, *et.* Cæterum, *una* et *urna* facile confundi poterant. Sed enim, ut ad Lucretium revertamur, nihil tempestivius ad propositum nostrum Tibulli versu, eleg. iv. 1. 160. Quid autem vetat, dum in hoc sumus, integrum locum emendate constitutum dare?

Illic *extensâ* tellus absconditur umbrâ,
Et nulla *incerto* perlabitur unda liquore,
Sed durata riget densam in glaciemque nivemque:
Quippe ubi non umquam Titan superingerit ortus,
Seu propior terris æstivum fertur in orbem,
Seu celer hibernas properat *decurrere luces.*
At media est Phœbi semper subjecta calori—.

In primo versu libri habent, *et densâ;* sed *densam* statim sequitur. Illud *incerto* Guyetus præceperat, me parum conscio. *Mobili* nempe, ob æstus ventosque. Ovidius, ex Pont. iv. 3. 33.

Quo libet est follo, quâ vis *incertior* aurâ.

Vulgatum *incepto*, quod longe longeque ineptissimum est, interpretatione ineptiore defendit Heynius. Confer Lucanum, ii. 571. ne alia investigem. Tres postremos versus verissime transposuimus, uti statim boni judices agnoscent.

Mortua quoi vita est prope jam vivo, atque videnti?
Qui somno partem majorem conteris ævi;

Denique, figuram Lucretianam Dictys etiam Cretensis speciosissime tractavit, iii. 3. "Jam summa rerum Trojanarum "prope *occasum* erat."

Ibid. *decurso lumine vitæ:* i. e. "curriculo vitæ non præproperanter interecepto, sed juste finito per maturam vetustatem:" quum duos et septuaginta annos impleverit Epicurus, auctore Diogene Laërtio, x. 15.

Ver. 1067. *Restinxit:* sic emendatissime, Vind. B. L. M. O. Δ. Σ. Ω. et codd. Lactantii, iii. 17. *Restrinxit* autem, non aliud haud dubie volentes, P. V. ed. Π. Quidam volunt, *Præstinxit*, vel *Præstrinxit;* mendosissime, ut acute vidit Davisius, ad Minuc. Fel. p. 117. hæ quoniam voces nihil aliud possunt, quam *leviter obscurare*, illa quidem; et *in superficie ferire*, hæc: vide nos ad i. 487. 667. *Perstringo* autem valet, *valide* et efficaciter *ferire*. Jam vero, in tyronum gratiam huic argumento paullisper immorari liceat; nam veritatem in his rebus non nisi per nebulam viri vel doctissimi viderunt. Conferas tamen prius ipsum Carum, ad iv. 871. 1080. v. 121. quæ loca sunt proposito maxime consentanea: nam solis exorientis luce sidera minora, quasi infusis aquis, prorsus exstingui solent. Henricus Cannegieterus de his vocibus amplivit ad Avian. fab. xvii. sed infructuose penitus; et infeliciter attigit, inter alios veteres, Lucretium. Aviani versus ita sunt certissime legendi:

> Et simul emisso transjecit viscera ferro,
> *Præstrinxit*que citos hasta cruenta pedes:

i. e. *præpediit*, et cessare fecit; secundariâ dictionis significatione: nam, quicquid violenter percutiat, plus minus impedit, cohibetque. Nugæ sunt, quas dicit vir doctissimus de "visceribus et pedibus simul vulneratis." Vetus glossarium, "*Præstringo*, περιστελλω" morem respicit involucrorum corporibus defunctis circumligandorum: nam proprium est in hoc usu vocabulum περιστελλω, cum cognatis. Nonius, ad i. 149. et iv. 375. accuratius administravit rem, quam ad iv. 376. quem lector consulat; memor tamen his grammaticis non esse temere credendum. Avienus, Arat. phæn. 958. evulgari solet castissime:

> ———— heic celeris vestigia summa
> *Præstringuntur* equi, *præstringitur* ales ab ipso
> Verticis extremo:

i. e. in superficie raduntur. Eadem vox Virgilio asserenda est, ad Æn. x. 344.

> ——— magnique femur *præstrinxit* Achatis:

i. e. *leviter strinxit;* nam de vulnere femur permeante, vel *perstringente*, contextus nos non sinit cogitare: neque aliter multo plures libri. Vim vocis *præstringo* Lucretius noster optime declaravit, ad iv. 250. 278. Prudentius, Psychom. 507.

> ———— vix in cute summâ
> *Præstringens*, paucos tenui de vulnere lædit
> Cuspis Avaritiæ.

Sic libri meliores, accurate. Non accesserim membranis consentientibus, ad Valerium Maximum, ii. 10. 6.—"*claritate* "viri *obcæcatus*, abjecto ferro, adtonitus "inde, ac tremens, fugit. Cimbrica nimirum calamitas oculos hominis *perstrinxit*." Ferri potest hæc lectio, pro "violentissimo luminis incussu, partes intimas penetrante;" sed usus linguæ in his ac consimilibus locis videtur τo *præstringit* postulare. In eodem, vi. 8. 2. certissime legendum, "levi vulnere *præstrictum*," non *perstrictum*; mille membranis licet reclamantibus. Neque aliter statuam, de ix. i. 5.—"cum præsertim "acerrimus hostis Sertorius Romanorum "exercituum oculos Lusitanis telis *præstringeret*." Nec de Suetonio, ad v. 15. —"ut genam non leviter *præstrinxerit*." Vulgo, *perstrinxerit;* quæ dictio per se sine τῳ *leviter* suffecisset, neque unâ ferri

Et vigilans stertis, nec somnia cernere cessas,
Solicitamque geris cassâ formidine mentem;

potest. Recte in Aurelii Victoris epitome, xvi. 9. "lapidibus *perstringeretur:*" i. e. percelleretur, vel concuteretur, ictu solidiore quasi lapidum. De graviore sonitu optime Horatius, od. ii. 1. 18.

> Jam nunc minaci murmure cornuum
> *Perstringis* aures——.

Unde Gellius, noctt. Att. xi. 13. neutiquam vexandus est:—"sed uti caveretis, "ne vos facile *perstringeret* modulatus "aliqui currentis facundiæ sonitus." Quasi dixerat: "Ne sinatis, ut id, quod *præ-"stringere* tantummodo debeat, vos etiam "*perstringat.*" Ad Mamertini geneth. Maxim. sect. 2. malim *præstringit*, ut translatio sit a *luce pertergente oculos*, potius quam *perstringit;* cui contextûs ratio minus favet, et verborum color. Similiter castigari debet Nazarius, paneg. ix. 30. 2. Egregius est in hac materie Ovidii locus, met. x. 495.

> Jamque gravem crescens uterum *perstrinxerat*
> arbor.

Libri quidam, *præstrinxerat*, et aliter alii; sed mendose: nempe, *fibris uterum arbor penetraverat.* Sed hem! desino; hæc enim sunt infinita:

> ———————— *τις κεν εκεινα*
> *Παντα γε μυθησαιτο καταθνητων ανθρωπων;*

In his autem quæ diximus, magnum subsidium, nisi fallimur, lectores invenient, ad judicium rectum de locis innumeris scriptorum veterum levi cum negotio ferendum.

Ibid. *uti:* V. ed. O. Π. Σ. Ω. *ut;* Δ. ac.—*aërius:* sic omnes libri vetustiores cujuscunque generis, præter Vind. qui cum vulgaribus editionibus habet *ætherius*, sed male, atque negligentiâ, uti nullus dubitem, collatoris; et Lactantii vulgares editos, l. c. *Aërius sol* is est, qui in aëra emergit ex oceano; qualis requiritur in hoc loco: *ætherius* autem *sol*, qui medium cœli, vel saltem altiores cœli tractus, perequitat. Nihil verius hac lectione, quam Lucretio restituimus: vide ad iv. 216. Hæ voces passim permutantur. Hinc castigandum putem Maronem, ad Æn. viii. 68.

> —— Nox Ænean, somnusque, reliquit.
> Surgit; et, *aërii* spectans *orientia solis*
> Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
> Sustulit, ac talis effundit ad *æthera* voces.

Vulgo, *ætherii;* quod parum congruit, et *æthera* statim venit. Suo proposito convenientissime Ovidius, met. i. 435.

> Ergo, ubi diluvio tellus lutulenta recenti
> *Solibus ætheriis, alto*que recanduit æstu——:

i. e. "meridianis, flagrantissimis:" unde Burmannus non prudenter *almo* prætulit. Ad Sedulium, i. 134. de Israëlitis manna vescentibus:

> ———— *aëriâ* populum dulcedine pastum;

libri quidam, *ætheriâ:* sed prius vocabulum melius est, ob Virgilianum *aërii mellis*, geo. iv. 1. quod poëta Christianus videtur respexisse. Avieno medicinam faciamus, Arat. 1546.

> Istius ingentes radii caliginis *antrum*,
> Et nebulosarum tractus piceos tenebrarum,
> Lumine dispiciunt; cum per chaos umbriferum
> vis
> Flammea pervasit, cum *se per* noctis amictus
> Inserit *aëriæ* fulgor *facis*——.

Vulgo, *atrum*, in primo versu. Mox *disjiciunt* Grotius, me non probante; atque *ætheriæ*, perperam. Idem tamen vir egregius ante me assecutus est illud *se per*, loco corrupti *semper.* Anthologia Latina, ii. 251. 2.

> Hæc tibi, Arateis multum vigilata lucernis,
> Carmina, queis *ignes* movimus *aërios*—.

At enim, ne longius evagetur hæc disputatio, ad reliqua convertar, cum admonuero, hæc vocabula confundi scriptoribus librariis ad Ovid. fast. ii. 252. Virg. Æn. v. 520. Claudian. laud. Herc. 72. et alibi; Callimachumque emendavero, quem Lucretius mihi persuasit depravatum esse, et

Nec reperire potes, quid sit tibi sæpe mali, quom
Ebrius urgueris multis miser undique curis,

non aliâ ope expurgandúm, ad hymn. Del. 176.

Τυρσιν, ἡνικα πλειστα κατ' ΑΙΘΕΡΑ βυκολεονται.

Libri, νερα. Noster Carus, i. 232.

———————— Unde *æther* sidera pascit?

Ibid. *Restinxit:* i. e. "ita perfudit, ut "obruantur, suæ lucis flumine torrentis-"simo:" quasi *fluidum* corpus lux foret; de quo nos, ad ii. 147. Cicero, in orat. 1. pervenuste:—"nec ipse Aristoteles ad-"mirabili quâdam scientiâ, et *copiâ*, cæ-"terorum studia *restinxit*." Sic alii centies. Aliter idem sensum parem extulit in Arateis:

Nec pleno *stellas superavit lumine* luna.

Vocabulum coram nobis Alcimo Avito redonari debet, ad iv. 375.

———————— Quid criminis, inquit,
Ardetis flammis? *Restinguent* omnia pœnæ.

Vulgo, *Restringent*. Hac emendatione nihil verius. Idem censeo de ver. 209. ibidem:

Inter sacra virum conterruit, et dubitantes
Protinus ingrato *restinxit* in ore loquelas.

Editi, *restrinxit;* minus efficaciter, et venuste minus. Elegantissimus est Columellæ locus, de re rust. præfat. 30. ex Ciceronis illo, supra memorato, adumbratus: "Nam neque ille ipse Cicero territus "cesserat tonantibus Demostheni Plato-"nique; nec parens eloquentiæ, deus ille "Mæonius, vastissimis *fluminibus* facun-"diæ suæ posteritatis studia *restinxerat*." Ubi nonnulli ex codicibus exhibent etiam *restrinxerat*. Eadem confusio est ad Virg. ecl. v. 47. incert. paneg. viii. sect. 6. Ovid. met. xii. 543. Claudian. bell. Get. 291. Liv. x. 13. 8. xxviii. 23. 2. et 42. 10. vide notas Drakenborchii; Q. Curt. vi. 6. 16. et ubi profecto non?

Ibid. *Restinxit stellas uti sol*. Similitudinem hanc Longinus adhibuit, περι ὑψ. sect. 17. multo cum nitore et elegantiâ verborum: Σχεδον γαρ, ὡς περ και τἀμυδρα φεγγη εναφανιζεται τῳ ἡλιῳ, περιαυγεμενα· οὑτω τα της ῥητορικης σοφισματα εξαμαυροι, περιχυθεν παντοθεν, το μεγεθος: i. e. "evanescunt in sole, undique illustrata." Ita clausulam redditam oportuit. Pulchre Nonnus, in Dionys. xvii. 13.

Καλλεϊ δ' εκρυφε παντας· ιδων δε μιν, η ταχα φαιης
Ηελιον πυροεντα πολυσπεριων μεσον αστρων.

Forte, πολυσπεριων· *in cælo sparsorum*. Magnifice, ut semper, Philo Judæus, de mund. opif. p. 13. Και τυ μεν (ἡλιυ) ανατειλαντος, αἱ φαντασιαι των τοσυτων αστερων υκ αμαυρυνται μονον, αλλα και αφανιζονται, τῃ τυ φεγγυς αναχυσει—. Leonidæ porro Tarentini epigramma, quod Havercampum non latuerat, et minime alienum est, cum lectoribus meis communicabo:

Αστρα μεν ημαυρωσε, και ἱερα κυκλα σεληνης,
  Αξονα δινησας εμπυρος ηελιος·
Ὑμνοπολυς δ' αγεληδον ΑΠΗΜΑΔΔΥΝΕΝ Ὁμηρος,
  Λαμπροτατον Μυσων φεγγος ανασχομενος.

Denique, Corippi quibusdam venustis versibus, sed misere morbosis, medelam afferemus, lib. ii. ver. 292.

Ambo patricii, dilecti principis ambo,
Fulgebant geminis similes radiantibus astris;
Astris, quæ cœlum flammâ meliore perornant,
Solaque prolato possunt cum sole videri,
Stellarum fugiente globo; quando omnia pallent
Sidera, et *adflatos* ortum jubar *adficit orbes*.

Evulgari solet mendosissime:

——— et *adflatas* ortum jubar *adspicit herbas*.

Attendas autem copiam ac varietatem sermonis in dictionibus, *astris*, *stellarum*, *sidera*, et *orbes*.

Ver. 1058. *Tu vero indignabere?* Homericam, quam remiserat ad ver. 1039. sententiam resumit:

Αλλα, φιλος, θανε και συ· τι η ολοφυρεαι αὑτως;

Ita scribendum, separatim; non τιη conjunctim: nam ex illis particularum colligationibus omnia corrumpuntur, et ob-

Atque, animo incerto fluitans, errore vagaris?
Si possent homines, proinde ac sentire videntur

scura fiunt. Τι η idem est atque η τι; *quid? quâ de caussâ?* ubi η officio interrogandi fungitur; et transpositio necessitati poëtæ consulit.

Ibid. *dubitabis obire?* Maro, Æn. vi. 807.

Et *dubitamus* adhuc virtutem extendere factis?

Atque similiter ad geo. ii. 433.

Ver. 1059. *Mortua vita est vivo:* ut S. Paulus, 1 Tim. v. 6. de lasciviente viduâ: *ἡ δε, σπαταλωσα, ζωσα τεθνηκε:* ubi plura in hanc sententiam Wetstenius congessit, Lucretii tamen interea oblitus. Pariter Julianus, ad finem orat. vi. obiter emendandus: Αλλ' *ουκ εστι σοι τουτων ουδεν, ὡς εμοι δοκω,* ΣΠΟΥΔΑΙΩΝ *ουδεν πολλα γε και δι' γυναικων αθλιων τεθαυμακας,* ΚΑΙ ΦΑΥΛΩΝ, *νεκρον βιον.* Vulgo legitur, *σπουδαιον* et *φιλον*, omisso *και*. Cicero, somn. Scip. 3. "Vestra vero, quæ dicitur "*vita, mors* est." Conferas insuper illum de senect. 23.

Ibid. *vivo atque videnti.* Hæc formula ex fontibus Homereis scaturit, in Il. Α. 88.

——— *εμευ* ΖΩΝΤΟΣ, *και επι χθονι* ΔΕΡΚΟΜΕΝΟΙΟ—:

vel in eodem ad Od. Δ. 540.

——— *ζωειν, και ὁραν φαος ηελιοιο:*

quem excepit Æschylus, Agam. 686.

——— *αυτις ἁλιν νιν ἱστορει*
Και ζωντα, και βλεποντα.

Sed examussim quadrat Terentius, Eun. i. 1. 28.

——— prudens, sciens,
Vivus, vidensque, pereo:

ubi nobismetipsis videtur strenuissime nugari cum suâ *λεπτολογιᾳ* Donatus; præ quo malim equidem Homerum comici interpretem adhibere. *Videnti* utique, ut cui *lumen* non *ademptum* sit, noster ver. 1046. qui *lumina sis oculis* non *reliquerit*, ver. 1038. Arnobius, lib. vi. p. 194.— "ut a germani servulis *vitâ* fuerit spoliatus, *et lumine*—." Silius, Pun. xii. 242.

Tum, delapsus equo, galeam atque insignia magni
Consulis abrumpit dextrâ, spoliatque *videntem:*

i. e. vivum. Viri eruditissimi cogitant de *jacentem* substituendo: quam inscite! Hinc Virgilius, geo. iv. 472.

——— simulacraque *luce carentum:*

et similiter, Æn. ii. 85.

——— nunc, *cassum lumine*, lugent.

Incerti panegyricus, Maxim. et Constant. sect. 12. "Solus hoc, ut dicitur, potuit "deus ille, cujus dona sunt, quod *vivi*"*mus*, et *videmus*—." Ita porro locuti sunt alii bene multi, quos molestum esset suscitare. At enim, hac usus occasione, ex epigrammate non insuavi mendam levem tollam, quod legitur in Anthol. Lat. Burm. iv. 79. 4.

Conjugii spe capta, Leon, tua facta Neæra,
Post spreta, ah! turpis fabula sum populo.
Conjuge desertam, dum me vicinia latrat,
In puteum præceps *liqui animam atque deum:*

i. e. "desii *vivere et videre;* nec spirans, "nec cernens solem." Probo tamen Burmanni conjecturam, *diem*, vice *deum;* utpote simplicitati carminis convenientiorem. Favet epig. 230. ibidem:

Cum primum Lucina daret *lucemque, animamque.*

Sol nuncupatur *deus*, ibid. v. 11. 58. si modo recte legatur locus:

Sol, noctis lucisque *deus;* sol, finis et ortus.

Burmannus verum subodoratus est. Denique, hanc formulam *vivente me ac vidente* Jaëgerus recte restituisset Mamertino, gratt. act. Julian. sect. 32. 2. nam locus Ciceronis, de divin. i. 30. ubi de *animo* loquitur philosophus, non gemellus est. Confer Sophoc. Elect. 66. quem Brunckius optime est pro suo more interpretatus, post alterum tamen scholiasten.

Ibid. *Mortua vita est jam vivo.* Ad hæc insuper illustranda faciunt egregie Porphyrii quædam in tractatu de abst. iv. 21. fin. ita, nisi fallor, verissime constituendi:

Pondus inesse animo, quod se gravitate fatiget,
E quibus id fiat caussis quoque noscere, et unde

Το γαρ κακως ζην, και μη φρονιμως και σωφρονως και οσιως, Δημοκριτος ελεγεν ω κακως, ΟΥ ΖΗΝ ειναι, αλλα πολυν χρονον ΑΠΟΘΝΗΣΚΕΙΝ. Vulgo, ελεγεν, ου κακως ζην ειναι, αλλα—. Satis frigide et insulse.

Ibid. *Mortua vivo est atque videnti.* Bene; nam *vita* non est *vivere*, sed *valere*, teste Martiale. Sed longe appositissimus est locus Sophoclis, Antig. 1167.

——— τας γαρ ἡδονας,
'Οτ' αν προδωσιν ανδρας, ου τιθημ' εγω
Ζην τουτον, αλλ' εμψυχον ἡγουμαι νεκρον.

Ita scribendus est secundus versus, ad eandem ei constructionem, quam nosmet asseruimus Lucretio, ad ver. 1052.

Ver. 1060. *conteris:* O. *congeris;* quæ mihi videtur non inelegans aberratio.

Ver. 1061. *vigilans stertis.* Quemadmodum et Plautus, Amphit. ii. 2. 65.

——— So. Paullisper mane,
Dum edormiscat unum somnum. Am. Quæ
ne *vigilans somniat?*

Julianus, orat. ii. p. 87. Αληθως γαρ ουδεις ουδενος εις ουδεν αξιος καθευδων ανηρ, η και ΕΓΡΗΓΟΡΩΣ, τοις ΚΑΘΕΥΔΟΥΣΙΝ εμφερης. Opportunus erit Arnobius, lib. ii. p. 46. "Ambigit in Theæteto Plato, vigilemus "aliquando, an ipsum vigilare, quod "dicitur, somni sit perpetui portio?"

Ver. 1062. *geris mentem:* i. e. habes; Græci similiter non parcius φερειν, pro εχειν. Virgilius, Æn. ix. 311.

——— Nec non et pulcher Iulus,
Ante annos *animumque gerens* curamque virilem.

Hinc Orosius fortasse concinnandus est, ubi libri multum variant, hist. i. 4. "Huic mortuo Semiramis uxor successit, "viri *animum, habitum filii, gerens;* avi"dosque, jam usu, sanguinis populos per "duos et quadraginta annos cædibus "gentium exercuit." Catullus etiam annectatur, lxiv. 54.

Indomitos in corde *gerens* Ariadna *furores.*

Ver. 1063. Δ. habet *ubi* post *potes*, omisso *tibi:* Π. *quod*, loco *quid;* et Σ. *ibi*, pro *tibi*.

Ver. 1064. *miser:* V. ed. *inseris;* ut in ver. 1061. *vigilaris*, vice *vigilans*.

Ibid. *Ebrius urgueris curis:* i. e. "ita "curarum plenus, ut vertiginosus quasi, "et commotus sensibus evadas." Ad eundem modum Græca exemplaria non raro. Oppianus, hal. v. 227.

Τον δ' ετι πειρασσοντα λαβῃ κορος, εκ τ' οδυναων
Θηρ ολοος ΜΕΘΥΗ—.

Nonnus, Dionys. xxxvi. p. 892. similiter:

Την δε, φοβῳ ΜΕΘΥΟΥΣΑΝ, απο φλοισβοιο κομιζων,
Αμφοτερῳ πηχυνι κατηφει Φοιβος αγοστῳ.

Mattius, apud Gellium, xx. 9.

Jam tonsiles tapetes, *ebrii* fuco.

Nec fas est pulcherrimos Avieni versus, Arat. 272. silentio prætervehi:

Aurea quâ summos adstringunt cingula amictus,
Ebria flammanti consurgit stella rubore:

i. e. refertissima. Libet etiam apponere ferculum lautissimum Platonis, tom. ii. p. 639. Serran. interprete non intellecti: Τι δ' αρχων στρατοπεδων; Αρ' εαν την πολεμικην εχῃ επιστημην, ἱκανος αρχειν, καν, δειλος ων, εν τοις δεινοις ὑπο ΜΕΘΗΣ του ΦΟΒΟΥ ναυτιᾳ; Addam insuper Philostratum, icon. i. 15. ΜΕΘΥΩΝ τῳ ΕΡΩΤΙ, φησι περι των ακρατως ερωντων Τηϊος. Illum Avienum, ibid. ver. 1631. leviter vitiatum emaculabo:

——— aut *ubi* rursum,
Cum matutinos molitur Lucifer ortus,
Ebria sanguineæ subvolvant vellera nubes.

Libri, *tibi;* sed, opinor, mendose. Jam vero locutiones μεθυειν πλουτῳ, et quasdam similes, ut tritiores, prudens prætereo. Confer Hom. Il. P. 390. Philippi epig. xxiii. 2. analect. Brunckii.

Ver. 1065. *animo:* editiones hodiernæ ex arbitrio emendantium dederunt *animi;* et sic præ se fert Vind. sed incuriâ procul dubio editoris: nam omnes alii MSS. et impressi veteres consentiunt in *animo*. Nihil ultra quæri debet; aliter de illo co-

Tanta mali tamquam moles in pectore constet;
Haud ita vitam agerent, ut nunc plerumque videmus:
Quid sibi quisque velit, nescire, et quærere semper;
Conmutare locum, quasi onus deponere possit.

gitabam, quod Bentleius etiam in margine libri posuerat:

Atque, animo *incertus*, fluitans errore vagaris.

Sed undequaque proba sunt vulgata. Non liquet tamen, quæ sit optima via distinguendi: utrum,

Atque animo incerto, fluitans errore, vagaris:

an rursus,

Atque, animo incerto fluitans, errore vagaris:

an, denique,

Atque animo, incerto fluitans errore, vagaris.

Ad suum gustum lector electionem faciat.

Ibid. *animo incerto vagaris.* Non alienus est Virgilius, geo. iv. 103.

— quum *incerta* volant, cœloque examina ludunt.

Unde mendam tollas e Vegetio, de re milit. iii. 10. "— iter suum ita temperet, "ut aut cibum capientes, aut dormientes, "aut *vagantes incerte*, securos, inermes, "discalciatos, distractis equis, nihil sus- "picantes, ipse paratus invadat." Vulgo scribitur, *vacantes certe.*

Ibid. *animo fluitans.* Huc forte an respexerit Venusinus, epist. i. 18. 110.

—— neu *fluitem* dubiæ spe pendulus horæ.

Ibid. *fluitans errore vagaris.* Cicero, de off. ii. 2. "Non enim sumus ii, quo- "rum *vagetur animus errore*, nec habeat "umquam, quid sequatur." Horatius epist. i. 12. 17.

Stellæ spónte suâ, jussæne, *vagentur et errent.*

Prudentius, præfat. apoth. 11.

Quæ si quis, *errans ac vagus*, sectabitur—.

Denique, Virgilius superveniat, Æn. v. fin. nam multi similiter locuti sunt:

— pater amisso *fluitantem errare* magistro
Sensit—.

Ver. 1066. *videntur:* P. *videre.* Non probo.

Ver. 1067. *E:* ita conjeceram legendum, et ita scribitur in Vind. L. M. O. Ω. cæteri libri, ut evulgari solet, habent *Et.* De quâ commutatione, videas Drakenborchium, ad Liv. xl. 26. 7.—*quoque noscere:* P. Π. *cognoscere;* ut communes editi, perperam, tot contra stantibus fide majore vetustis exemplaribus.

Ver. 1069. *moles:* Π. *molles.*—*in:* V. ed. *tu;* forte pro *sub.*

Ibid. *mali moles.* Orosius, hist. v. 1. "Quanti igitur pendenda est gutta hæc "laboriosæ felicitatis,—in tantâ *mole in-* "*felicitatis?*" Et Tullius, Tusc. dispp. iii. Lambino citatus:—"aut semper ali- "quam *molem* meditabar *mali.*"

Ver. 1070. *Haud nunc:* Π. *Aut non.* Qui profluxit error, τῳ *non* utique pro *nunc*, ex similitudine utriusque compendii, ut probe monuit fructuosissimus Drakenborchius, ad Liv. ix. 7. 5. quem consulas etiam ibid. x. 14. 12.

Ver. 1071. *nescire:* Π. *nesciens:* et idem mox *Commutes*, et *possis.*

Ibid. Deleo punctum ad *semper*, et jungo "quærere Conmutare."—Bentleius.

Hoc nobis etiam olim in mentem venerat, orsis ab Horatio, sat. ii. 7. 114.

Jam vino *quærens*, jam somno, *fallere* curam.

Sed, re reputatâ, minus arridet hæc ratio: dubitantis enim animi fluctuatio clausulis disjunctis multo vividius videtur adumbrari. Hinc insuper distinctum volui ad *videmus;* ut pulchre variaretur constructio politissimæ periodi, et artificem egregium vociferantis.

Ver. 1072. *deponere:* V. ed. *disponere;* et hæ voces confunduntur scribis ad Lucan. iv. 439.

Ibid. *onus deponere.* Gemellâ translatione Virgilius, geo. iv. 530.

Nate, licet tristis animo *deponere curas.*

Exit sæpe foras magnis ex ædibus ille,
Esse domi quem pertæsum est, subitoque reventat;
Quippe foris nihilo melius qui sentiat esse.
Currit, agens mannos, ad villam præcipitanter,

Ver. 1073. *Exit:* P. Vind. V. ed. Σ. *Exiit;* minus bene: contra ordinem temporum in hoc loco, ac vividiorem repræsentationem rei.

Ibid. Similiter Ennius, Iphigeniâ:

> Imus huc, hinc illinc: quum illuc ventum est, ire illinc lubet:
> Incerte errat animus; præter propter vitam vivitur.

Confer ver. 1065.—Nutrix ad Phædram, Eur. Hippol. 182.

> Δευρο γαρ ελθειν, παν επος ην σοι·
> Ταχα δ' εις θαλαμους σπευσεις το παλιν·
> Ταχυ γαρ σφαλλη, κοὐδενι χαιρεις·
> Ουδε σ' αρεσκει το παρον, το δ' απον
> Φιλτερον ἡγῃ:

ut noster etiam ver. 1095. Bentleius. Talis describitur Charinus ille Plautinus, in Mercat. iii. 4. 1.

> Sumne ego homo miser, qui nusquam bene queo quiescere?
> Si domi sum, foris est animus; sin foris sum, animus domi est.

Lambinus.

Ibid. *magnis ex ædibus:* i. e. "quamvis amplus sit exspatiandi locus, æstuat, quasi angustissimâ caveâ conclusus." Hac *amplitudine ædium* pulchre subindicatur quidam, omnibus opibus, quæ vitam queunt beatam efficere, instructissimus. Virgilius, Æn. xii. 473.

> Nigra velut *magnas* domini quum *divitis ædis*
> Pervolat, et pennis alta atria lustrat, hirundo.

Ver. 1074. Post *domi,* in Δ. Π. Σ. *per* legitur; unde tantum non nobismetipsis persuasimus Lucretium scripsisse:

> Esse domi *per* quem *tæsum* est——:

hac enim tmesi noster multum gaudet; vide ii. 394. iv. 203. v. 1267. Plautus, most. i. 4. 5.

> Ita me ibi male convivii sermonisque
> *Tæsum est*——.

—*est:* M. *sit;* error nempe a scripturâ vulgari *pertæsust,* vel *pertæsumst,* literâ non bene interpositâ.—*reventat:* sic dilucide codices quidam Pii, et Ω. noster: vulgo, *revertit;* ex quâ auctoritate nescio, nisi quod in P. O. compareat: nam vox omnino desideratur in Vind. V. ed. Δ. Π. et Σ. nempe, quia displicuerit, opinor, nasutis hercule librariis exquisitius vocabulum, quod Lucretio resuscitavimus. De membranis B. L. M. altum est silentium. Undenam vero vox *reventat* poëtæ nostri contextum occupaverit, nisi sit a Lucretii manu primitus profecta? *Vento* simplex tam in Festi reliquiis, quam in vetusto glossatore, legitur: compositas etiam dictiones *advento, convento, provento, subvento,* sincera Latinitas hodieque conservat, et agnoscit. Denique, si reputes rem attentius, nihil ex vero similibus tutius admitti posse haud ægre dixeris hujusce vocabuli restitutione.

Ver. 1075. *foris:* Ω. *foras.*

Ver. 1076. *mannos:* V. ed. *in annos:* per errorem satis explicatu facilem; vide nos ad ii. 196.—Cæterum, editores in hunc versum intrudunt *hic* post *villam;* audacissime et insulsissime, contra universam exemplarium bonorum auctoritatem. De eodem homine etiamnum poëta loquitur. Nuper ex ædibus exierat in urbem, ut ex civium concursu levationem ægritudinis, et oblectamentum animi, inveniret: nunc autem urbis frequentiam cum ruris solitudine mutare fingitur.

Ver. 1077. *instans:* Vind. *instas;* vice *instãs.* V. ed. mox, *exemplo.*

Ver. 1078. *tetigit limina villæ.* Hinc Mantuanus, ad Æn. vi. 829.

> Heu! quantum inter se bellum, si *limina* vitæ
> *Attigerint,* quantas acies, stragemque, ciebunt!

Sic legendum esse nos diximus ad locum: vide etiam supra, ver. 681. Vulgo, *lumina;* per usitatissimam aberrationem, aliquan-

Tanta mali tamquam moles in pectore constet;
Haud ita vitam agerent, ut nunc plerumque videm
Quid sibi quisque velit, nescire, et quærere sempe
Conmutare locum, quasi onus deponere possit.

gitabam, quod Bentleius etiam in margine libri posuerat:

> Atque, animo *incertus*, fluitans errore vagaris.

Sed undequaque proba sunt vulgata. Non liquet tamen, quæ sit optima via distinguendi: utrum,

> Atque animo incerto, fluitans errore, vagaris:

an rursus,

> Atque, animo incerto fluitans, errore vagaris:

an, denique,

> Atque animo, incerto fluitans errore, vagaris.

Ad suum gustum lector electionem faciat.

Ibid. *animo incerto vagaris.* Non alienus est Virgilius, geo. iv. 103.

> —— quum *incerta* volant, cœloque examina ludunt.

Unde mendam tollas e Vegetio, de re milit. iii. 10. "— iter suum ita temperet, "ut aut cibum capientes, aut dormientes, "aut *vagantes incerte*, securos, inermes, "discalciatos, distractis equis, nihil sus-"picantes, ipse paratus invadat." Vulgo scribitur, *vacantes certe*.

Ibid. *animo fluitans.* Huc forte an respexerit Venusinus, epist. i. 18. 110.

> —— neu *fluitem* dubiæ spe pendulus horæ.

Ibid. *fluitans errore vagaris.* Cicero, de off. ii. 2. "Non enim sumus ii, quo-"rum *vagetur animus errore*, nec habeat "umquam, quid sequatur." Horatius epist. i. 12. 17.

> Stellæ sponte suâ, jussæne, *vagentur et errent*.

Prudentius, præfat. apoth. 11.

> Quæ si quis, *errans ac vagus*, sectabitur—.

Denique, Virgilius superveniat, Æn. fin. nam multi similiter locuti sunt:

> —— pater amisso *fluitantem errare* magist
> Sensit——.

Ver. 1066. *videntur:* P. [illegible] probo.

Ver. 1067. *E:* ita con dum, et ita scribitur in Ω. cæteri libri, ut evulg *Et.* De quâ commutat kenborchium, ad Liv. *noscere:* P. Π. *cognos* editi, perperam, tot majore vetustis exen

Ver. 1069. *moles* ed. *tu;* forte pro *s*

Ibid. *mali mol* "Quanti igitur "laboriosæ felic "*felicitatis?*" iii. Lambino "quam *mole*

Ver. 1070 Qui proflu *nunc*, ex sir ut probe n borchius, etiam ibi

Ver. idem m

Ibid jungo LEII Ho rat.

ii- cum uctum itera, ad onsuetudi- veteres in de quâ re præcedentibus. Lucretii evul- impendio mini- scribarum, de solicitorum, et verum *obii* in

quisque relictis
rum;

.v. 3,
mnem

. Δ. ne-

ὡς ταχιστα.

plum hujusce
putem.
V. ed. *primi;*
efingere:
at cognoscere rerum:
. *in* facile absorberet
aus τε *s* vocabulo se-
ercipi.

re rerum. Paul-
o. ii. 490.

. *cognoscere caussas.*

est, *physicam philo-*
us. Et apposita sunt
ud Diog. Laërt. x. 143.
νον λυειν ὑπερ των κυριωτα-
τα τις ἡ τε συμπαντος φυσις,
μενον τι των κατα τες μυθες·
ειν φυσιολογιας, ακεραιας τας
αμβανειν. Quales Epicuri dis-
stitutos Horatio existimem equi-
nificari, ad epist. i. 6. 3.

solem, et stellas, et decedentia certis
pora momentis, sunt, qui, formidine nullâ
ati, spectent:

nferas Virgilium, l. c. ver. 491. Neque
alia est Ascensii sententia ad locum. Vitruvius, i. 1. "—de *rerum naturâ*, quæ "Græce φυσιολογια dicitur, philosophia "explicat."

Ver. 1086. *Temporis æterni:* voces transpositæ leguntur in Vind. V. ed. Π. Σ. In Ω. *Temporis* post *non* scribitur.—*non:* P. *velut;* abest vocula V. ed.

Ver. 1087. *sit:* V. ed. *fit;* Δ. *sic.*

Ver. 1088. *manendo:* sic omnes libri, si excipias Π. qui habet *manendum.* Nempe, *manendo* per *manendō,* vel *manendom,* nullo negotio abire potuit in *manendum* recentiorum. Editores de suo scribunt, *manenda;* hoc modo sincerissimas Latinitatis exquisitæ formulas ad suum gustum corrumpentes, quoties scriptura membranarum forte displiceat. Hoc autem quis cordatior non mecum stomachabitur, nec putabit indolescendum? Nimirum, utcunque ad nos-

Certe equidem finis vitæ mortalibus adstat,
Nec devitari letum pote, quin obeamus.
  Præterea, vorsamur ibeidem, atque insumus, usque;
Nec nova vivendo procuditur ulla voluptas:
Sed, dum abest, quod avemus, id exsuperare videtur
Cætera; post aliud, quom contigit illud, avemus;

tros sensus durior phrasis accidat, verba *ælas sit manendo* ejusdem sunt omnino structuræ Virgilianis illis, ad geo. i. 4. notissimis:

———— qui *cultus habendo*
Sit pecori—:

ubi quorundam inscitia similiter grassata est, reponendo *habendus:* vide sis commentarios eruditorum ad illum locum. Formula consimilis reddenda videtur Minucio Felici, sect. 2. ed. Davis. "Itaque, "cum diluculo ad mare *inambulando litori* pergeremus—:" i. e. ut litus nobis inambularetur. Libri, *litore.* Aliam viam Davisius ingressus est; quem vide.

Ver. 1090. *subigit:* O. *subiit;* Δ. *subit.*

Ver. 1091. *Certe equidem:* P. Vind. *Certa;* ut evulgari solet: quam scripturam tamen in P. emendatori imputandam dixerim, in Vind. negligentiæ: nam libri reliqui uno consensu dant *Certe equidem;* quos in re tali nos non ausi sumus non audire. Nimirum ipsemet eram minime paratus in eorum sententiam concedere, qui putaverunt *το equidem,* pro *ego quidem,* aliquoties non stare: sed hic Lucretii locus, nisi codicibus summæ fidei velimus pertinaciter obniti, rarissimis illis annumerari debet hunc usum confirmantibus. Glossarium vetus: "*Equidem,* "ἐγω μεν, ΓΕ, και ΔΗΤΑ." Servium videas, ad Virg. Æn. i. 576. de hac dictione disserentem. Sane, si syllaba finalis in *Certe* corripi poterat, existimavissem fortasse *το e* a præcedente vocabulo aufugisse; sed hoc leges metricæ non sinunt, et omnibus modis me vertenti prorsus effugium præcluditur: lectionibus igitur, sicut nobis constitutæ sunt, videtur acquiescendum. Conferas Virg. ecl. ix. 7.

Ver. 1092. *quin:* V. ed. *quando;* ut alias, ob compendium profecto *qñ.*

Ibid. *letum obeamus;* ut *obire mortem,* iv. 1014. Inscriptiones Gruteri, p. 339. insc. 4.

Pulchre vixisti; *fatum* mortalis *obisti.*

Sic scribendum, pro *fato:* i. e. *fatō, fatom.*

Ver. 1094. *vivendo:* V. ed. *videndo.*—*procuditur:* Δ. *producitur;* uti solent hæc verba commutari: vide ad ii. 1114. nec mirum, quum grammatici *procudere* interpretentur per *producere;* sed crasse et inscite, imo, plane perperam, nisi de *telis* solum ἐληλαμεναις intelligantur. Hinc operam ludit Nonius, ad ii. 677. et mendosâ mactat explicatione Varronem Virgiliumque. Non peritiores se dederunt Servius ad Maronis locum, et glossator vetus; tibi, si sit tanti, lector, consulendi. *Procudere novas voluptates* scilicet a *nummis* est manifestissima translatio, vel a *telis,* quæ terendo, seu *feriendo,* in acumen ducuntur, haud semper *producuntur* tamen. Hæc autem nonnullis fortasse λεπτολογια nimia videbitur; ideoque manum abstinebo, post quam admonuero, priorem interpretationem Lucretio melius convenire. Aliter Plautus, Pseud. ii. 2. 20.

Nam hæc mihi *incus* est: *procudam* ego hodie hinc multos *dolos.*

Ver. 1095. *abest:* V. ed. *obest:* deinde inserit Π. *id.*—*avemus:* Vind. V. ed. Δ. Σ. *habemus;* ex orthographiâ nempe *havemus, b* cum *v,* ut sæpissime, mutatâ; Π. *habet.* Hoc genus acutissima est J. F. Gronovii restitutio, *si vi* Livio redonantis, pro *sibi* membranarum, ad xxv. 32. 5.

Ver. 1096. *avemus:* V. ed. *haberemus;* Π. Σ. *habemus.*

Et sitis æqua tenet vitaï, semper hianteis:
Posteraque, in dubio est, fortunam quam vehat ætas;
Quidve ferat nobis casus, quive exitus instet.
Nec prorsum, vitam ducundo, demimus hilum
Tempore de mortis; nec delibrare valemus,
Quo minus esse diu possimus morte peremptei.

Ver. 1097. *æqua:* i. e. par, similis, *eadem;* quod notandum, nam rarior est vocabuli usus: hinc autem suam proprietatem nanciscitur, quoniam omnia paria omnibus contingunt, ubi fas et æquitas dominantur. Terentius, Eun. i. 2. 12.

——— O! Thaïs, Thaïs, utinam esset mihi
Pars *æqua* amoris tecum!

Ubi perlegas opportunam notam Westerhovii; et cum hoc versu conferas ipsum nostrum, ad vi. 1173. 1174.

Ver. 1098. *Postera:* P. V. ed. *Postea.* —*fortunam:* Vind. V. ed. Π. Σ. *fortuna.* Librarii nempe constructionem, quam pro solito exquisitiorem, concoquere non quibant.

Ibid. *vehat ætas.* Sic Horatius, od. iii. 29. 48.

Quod fugiens semel *hora vexit:*

et Virgilius, geo. i. 461.

Denique, quid *vesper* serus vehat—.

Lambinus.

Ver. 1099. *ferat:* V. ed. *referat.*—*casus:* Vind. V. ed. Π. Σ. *casu;* non omnino male, ut Plancus in epistolis Ciceronianis, x. 8. " Sed, cum in eum *casum* " me *fortuna* demisisset, ut—." Sed vulgata puto præferenda.

Ibid. *exitus:* i. e. ἔκβασις omnium, vitæ finis. Virgilius, Æn. ii. 554.

Hæc finis Priami fatorum; hicc' *exitus* illum
Sorte tulit.

Juvenalis etiam, sat. x. 127.

——————— Sævus et illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ—.

Glossator vetus: " *Exitus,* ἀπώλεια." *Qui* exitus vero, pro " *quis* exitus;" ut optimi scriptores sæpiuscule. Catullus, lxii. 20.

Hespere, *qui* cœlo fertur crudelior ignis?

Ver. 1100. *prorsum:* O. Δ. *prorsus.*—*demimus:* V. ed. *demus.*

Ver. 1101. *delibrare:* sic P. solus; Vind. V. ed. B. L. M. Δ. Π. Σ. Ω. *deliberare,* per eam aberrationem, qualem exspectes ab indoctis librariis vocem speciosissimam et exquisitissimam tractantibus: O. ut quædam priores editiones, *delibare;* non male, si faverent alia, pro " ne minimum quidem *decerpere:*" quod auctoris menti valde consentaneum. Sed lectio, nobis admissa, mordicus tenenda est, ut unice venustissima, et Lucretii lepore digna. *Delibrare* autem valet *decorticare,* ἀπολεπίζειν, ἐκλεπίζειν· ut glossator vetus interpretatus est. Quasi dixerit poëta: " Non valemus id a tempore mor- " tis deminuere, vel deradere, quod eâ " sit ratione ad æternitatem, quâ cortex " tenuissima est ad solidum arboris in- " tegræ truncum." Columella sæpius usus est dictione *delibro;* et apud illum de re rust. iv. 24. 6. v. 11. 1. itidem abiit nonnullis exemplaribus in vitiosum *deliberare.* Confunduntur etiam ad Tertull. advers. Marcion. iv. 21. hæc verba; adeo ut de sinceritate scripturæ *delibrare* in Lucretio nullus relinquatur ambigendi locus. " *Delibratum,* decorticatum:" Nonius, i. 314.

Ver. 1102. *Quo:* P. V. ed. *Quid;* Π. *Quod.*—*possimus:* M. *possumus.*—*morte:* P. M. *sorte;* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. *forte.* Sed receptæ lectioni standum videtur, quum Virgilius non multo aliter locutus sit, Æn. vi. 163.

——— Atque illi Misenum in litore sicco,
Ut venere, vident, indignâ *morte peremptum.*

Adde Silium, Pun. xiv. 554.

Proinde, licet quot vis vivendo condere secla,
Mors æterna tamen nihilo minus illa manebit:

——— et, jaculis cessantibus, hostem
Morte suâ *perimunt*——:

ubi Drakenborchius evulgatam scripturam prudentissime vindicat contra frigidam Heinsii emendationem. Confitendum est tamen, exempla Virgiliana atque Siliana Lucretianæ phrasi non nihil discrepare, propter adjuncta scilicet *indignâ* et *suâ;* sed Cari simplicitatem in omni parte orationis suæ probe novimus, a sincerissimâ illâ orientalium scriptorum ubertate non abhorrentem. Exodus, xxi. 12. ex versione LXX. virali: Εαν δε παταξη τις τινα, και αποθανη, ΘΑΝΑΤΩ ΘΑΝΑΤΟΥΣΘΩ. Et similia sunt ibidem numero fere innumerali; nemini, his literis exercitato, non bene cognita. Gemellæ simplicitatis archaïsmum vir doctus male solicitabat ad Catullum, lxiv. 140.

At non hæc quondam nobis promissa *dedisti*
Voce: mihi non hoc miseræ sperare jubebas.

Quod lautis ingeniis, opinor, potissimum displicebit, id est nimia dictionum *nobis* ac *mihi* propinquitas, et cæsuræ versuum minime jucundæ. Hoc modo non illepidi procedent:

At non hæc quondam, *non*, (*scis*) promissa dedisti
Voce mihi: non hoc miseræ sperare jubebas.

Has repetitiones nemo libentius Catullo frequentavit: et tenerrimos affectus infelicissimæ puellæ jam spirat locus. Vide Virg. geo. iv. 447. Docti judicent. Denique, lectio MSS. Basil. et Cantab. longe nobis videtur exquisitior ad Juvenalis iii. 261. et omnino admittenda futuris editoribus in contextum:

——— obtritum vulgi *perit* omne cadaver
Morte animæ——.

Editi dant nimirum *more*.

Ver. 1103. *quot vis:* V. ed. B. O. Σ. *quod vis;* Π. *quod;* omisso *vis.*—*condere:* M. *ducere;* Π. *concedere.* Illud *ducere* ex glossatore natum est: nam elegantissimam translationem habet vox *condere* *secla*, a *solis* decursu et occultatione derivatam. Virgilius, ecl. ix. 52.

——— sæpe ego longos
Cantando puerum memini me *condere soles.*

"*Condere:* finire, usque ad occasum du-"cere." Servius. Ibi quoque liber unus habet *ducere*, pro *condere*. Idem de *sole*, geo. i. 458.

—— quum referetque *diem*, *condet*que relatum—:

ut Horat. od. iv. 5. 29. ubi Janum videas, phrasi lumen doctrinæ injicientem.

Ver. 1104. *Mors æterna;* ut supra, ver. 882. *mors inmortalis,* θανατος αθανατος. Lambinus.

Miror interea, ut integram figuram conservaret, Lucretium non scripsisse:

Nox æterna tamen nihilo minus illa manebit.

Ita, versibus longe suavissimis, ad v. 978.

Nec diffidere, ne terras *æterna* teneret
Nox, in perpetuum detracto lumine solis.

Neque aliter Mantuanus, geo. i. 468.

Inpiaque *æternam* timuerunt secula *noctem*.

Sane in nominibus *nox* et *mors* librarii non raro turbant: in quâ re nobis otium fecit eruditissimus Drakenborchius, ad Sil. Ital. xiii. 129. *Nox* etiam pro *morte* venustissime solet usurpari. Exemplo sufficiat unus Naso, epist. xiv. 74.

Surge age, Belide, de tot modo fratribus unus:
Nox tibi, ni properas, ista *perennis* erit.

Sic alii passim: sed enim in Lucretio nostro citra necessitatem, contra libros consentientes, nihil novatum velim.

Ante vero, quam hanc disputationem missam faciamus, liceat hinc nobis a Valerio Flacco labem abstergere, et pulchros versus nitore pristino redonare, qui ad Argon. vii. 282. leguntur:

Cur non hospitibus fas sit succurrere dignis
Te quoque, et Ææos jubeas mitescere campos.
Occidat æternâ tandem Cadmeïa *nocte*
Jam seges, et viso fumantes hospite tauri.

Vulgo, in versu tertio, *morte;* sed *morte* in ver. 285. statim redit; et phrasi *nocte occidere*, (vide nos ad ver. 1[illegible]7. tantum

1105 Nec minus ille diu jam non erit, ex hodierno
Lumine qui finem vitaï fecit, et ille,
Mensibus atque annis qui multis obcidit ante.

infra) nihil fieri potest perfectius. Consulas, velim, Valerium ipsum, iii. 291. cum viris doctis ad Sil. Ital. x. 173. et Ovid. met. iii. 503.

Cæterum, secundus versus Valeriani carminis teterrimo ulcere dehonestatur, quod prava constructionis ratio luculentissime declarat. Scripti pro *jubeas* dant *subeas:* unde non male sic castiges, neque cum enormi literarum, si attentiore oculo contempleris, mutatione:

———— et Ææos *sulcis* mitescere campos:

quod vere poëticum foret, atque speciosum. Sed veritas, uti solet, minore cum molimine de tenebris quit extrahi; nec dubito, me genuinam manum poëtæ exhibiturum esse:

Cur non hospitibus fas sit succurrere dignis
Te quoque? En! Ææos jubeas mitescere campos:
Occidat æternâ——!

Quæ certe sublimem locum animosi vatis apprime decent. Adeas animadversiones meas in Horat. od. iii. 29. 6. *En* autem atque *et* in libris commiscentur ad Liv. ii. 12. 13. ubi copiosus est in hanc rem excellentissimus Drakenborchius; Virg. ecl. viii. 7. et Lucan. v. 58.

Hinc autem Annæum illum, Phars. vii. 784. indubitatâ conjecturâ sponte emendaveram:

En! quantum misero pœnæ mens conscia donat,
Quod Styga, quod manes, ingestaque Tartara somnis,
Pompeio vivente, videt.

Sed hanc restitutionem longe verissimam sagacitas Heinsii præcerpserat; et sic legitur in Oxoniensi codice. Vulgatum *Et* Burmannus atque Oudendorpius inscitissime tuentur. Ad Juvenalis sat. ii. ver. 126. in cod. MS. optimæ notæ in bib. pub. Acad. Cantab. scribitur *et*, vice *O!* editorum. Dedit nimirum satiricus:

———— *En!* pater urbis,
Unde nefas tantum Latiis pastoribus?.

Ver. 1105. *non erit*, juncte; "jam ex "hodierno lumine." Bentleius. Illud recte; hoc autem non probandum arbitramur, utpote ex minus expeditâ constructione.—In hanc insuper Lucretii sententiam concedunt ea Pacati, ad paneg. Theodos. August. sect. 7. fin. "Parum "interest, quando cœperit, quod termi- "num non habebit."

Ver. 1106. *vitaï:* II. *vita;* ut modo *in*, pro *ex*. Plotius autem, de metris, p. 2629. ed. Putsch. *Limine* et *vitæ*, multum mendose.

Ibid. *Lumine;* nempe *solis*, quem *condidit:* committas autem Virg. ecl. ix. 52. Hor. od. iv. 5. 29. Porro, Virgilius, Æn. vi. 356.

———— Vix *lumine quarto*
Prospexi Italiam, summâ sublimis ab undâ:

cujus loci sententia serie dictionum expresse signatarum pulcherrime declaratur.

Ver. 1107. *obcidit:* V. ed. *accidit*.

Ibid. *obcidit;* ut sol: nam in eâdem figurâ perseverat, et cum emendatione meâ omnia procederent congruenter, et amicissime sibi responderent invicem; *obcidit*, *lumine hodierno*, *nox*, *condere*. Atque hæc hactenus.

T. LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

LIBER QUARTUS.

AVIA Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo: juvat integros adcedere funteis,

VER. 1. *Avia:* Q. *Omnia.*—*peragro:* V. ed. B. *perago;* non male, nisi prior usus, in i. 925. multum obstaret: ut *perago loca* gemellum foret Græcæ phrasi πιλειν ἰδειν, quam nos tractavimus ad Silv. Crit. sect. lxi. et ejusdem operis tom. v. pp. 19. 20. Voces similiter confusæ sunt ad Liv. ix. 15. 2. ubi vide Drakenborchium; et ad Petronium, sect. cxix. de bell. civ. 4.

> ———— Gravidis freta pressa carinis
> Jam *peragebantur:*

quam lectionem alteri *peragrabantur* jure prætulit Burmannus.—Cæterum, B. quoque *nullus*, pro *nullius*.

Ibid. *peragro loca, nullius ante Trita solo.* Horatius, epist. i. 19. 22. ita variavit:

> Non aliena meo pressi pede—.

Hac autem translatione usque ad sermonis duritatem vix ferendam Oppianus videtur abusus, ad cyneg. i. 20.

> Ευρειν, και τρηχειαν επιστειβωμεν αταρπον,
> Την μεροπων ου πω τις εης ΕΠΑΤΗΣΕΝ ΑΟΙΔΑΙΣ·

ubi consulendæ sunt editoris doctissimi De Ballu animadversiones, Lucretii non immemores.

Ver. 2. *juvat:* V. ed. *vivat;* solitum per errorem literarum: et in sequente versu.—Cæterum, Π. *Attrita.*

Ibid. *integros:* i. e. non tactos, et deminutos; quos nemo ne *delibavit* quidem: cujus vocabuli signatam efficaciam viri doctissimi non tenentes, loco Flori injuriam fecerunt, desertis codicum vestigiis. Ita legendus erat scriptor floridissimus, ad ii. 6. 40. ubi de Scipione sermo instituitur: "Certum est tamen, ad profligan-" "dam provinciam maxime profecisse sin-" "gularem ducis sanctitatem: quippe qui" "captivos pueros puellasque, præcipuæ" "pulchritudinis, barbaris restituerit; ne" "in conspectum quidem suum passus ad-" "duci, ne quid de virginitatis *integritate*" "*delibasse* saltem, *vel* oculis, videretur:"

Atque haurire; juvatque novos decerpere flores,
Insignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Musæ.
Primum, quod magnis doceo de rebus, et artis
Religionum animum nodis exsolvere pergo:
Deinde, quod obscurâ de re tam lucida pando
Carmina, Musæo contingens cuncta lepore:
Id quoque enim non ab nullâ ratione videtur;
Nam, velutei pueris absinthia tetra medentes
Quom dare conantur, prius oras, pocula circum,
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,

i. e. ne videretur, non dico *gustare*, sed vel *delibare;* nec *corpore* indulgendo, sed ne *oculis* quidem. Editores omittunt *vel;* unâ operâ viribus fractis sententiæ, deminuto pondere verborum, et auctoritate librorum scriptorum conculcatâ. Versus autem sunt Maniliani, poëticarum Venerum referti, et ita comparati, ut videri possint Lucretii locum velle fusius exponere, ii. 49.

Omne genus rerum doctæ cecinere sorores;
Omnis ad accessus Heliconis *semita trita* est:
Et jam *confusi* manant de fontibus *amnes*,
Nec capiunt haustum, turbamque ad nota ruentem.
Integra quæramus rorantes *prata* per herbas,
Undamque occultis meditantem murmur in antris:
Quam neque durato gustarint ore volucres,
Ipse nec ætherio Phœbus *libaverit* igne.

Addam non indisertum scriptorem, Minucium Felicem, sect. 15. "Decedis, inquit "Cæcilius, officio judicis religiosi: nam "perinjurium est, vires te actionis meæ "intergressu gravissimæ disputationis in-"fringere, cum Octavius *integra* et *illibata* "habeat singula." Cato in Diris, Statius plus semel, hos fontes *castos* vocaverunt: vide Heinsium, ad Ovid. fast. ii. 174.

Ver. 3. *Atque:* Ω. *At.—juvatque:* Π. *juvat.—decerpere:* B. *decrepere;* Ω. *decepere.*

Ver. 4. *petere:* malim, *metere;* redi ad i. 928. Sic Ovidius, fast. ii. 706.

——— virgâ *lilia* summa *metit:*

ubi tres codices habent *petit.*

Ver. 7. *animum:* Vind. *animos;* ut communes editi: quam tamen a reliquis libris discrepantiam negligentiæ collatoris imputandam puto.

Ver. 8. *pando:* Vind. O. Δ. Π. Σ. Ω. *pango;* ut ad i. 932. sed melioribus libris non potui non auscultare, et nescias, an Lucretius varietatem locutionis carmini voluerit aspergere. Harum dictionum commutationem jam vidimus ad i. 26.

Ver. 9. *contingens;* a *tango* nempe, non *tinguo*, ut opinor: adi notas, i. 933. Itidem in dubio est ad Ovid. epist. xix. 44. ubi Burmannum consulas.

Ver. 11. *velutei:* Π. *velut;* et *ullâ* in præcedente.—*tetra:* V. ed. *terra.*

Ver. 12. *conantur:* V. ed. *conamur;* quam pro pulchrâ variatione amplexus essem, si libri plures addixissent. Mox B. *melle.*

Ver. 14. *Ut:* L. M. *Et.—ætas:* V. ed. *actas;* ut sæpiuscule similiter erravit hæc editio. Eadem, in sequente versu, *tenuis*, pro *tenus.*

Ver. 17. *A:* sic P. Vind. V. ed. B. L. O. Δ. Σ. sed Ω. *ad;* forte pro *ab.—a tactu:* L. *a tacto;* M. *attacto;* Π. *atractu.*—Malim, *facto;* ut ad i. 934. vide ibid. quoque ver. 789. cui conjecturæ suffragatur L. liber. Hirtius, bell. Al. 7. "Quo

Ut puerorum ætas inprovida ludificetur
Labrorum tenus; interea perpotet amarum
Absinthii laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius, tali a tactu recreata, valescat:
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque videtur
Tristior esse, quibus non est tractata, retroque
Volgus abhorret ab hac; volui tibi suaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram,
Et quasi Musæo dulci contingere melle;
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Versibus in nostris possem, dum percipis omnem

"*facto* dubitatione sublatâ, tantus incessit "timor—:" quemadmodum alii sæpissime. Hyginum tamen admovebo, poët. astron. ii. 4. "Quorum rex Aristæus "petit a parente, quo *facto* a calamitate "civitatem posset liberare." Ubi quædam exempla dant *pacto*.

Ver. 18. *ego:* V. ed. *ergo.*—*quoniam:* M. *qũo;* forte pro *quando:* de quâ frequente variatione, vide Drakenborchium ad Liv. ix. 8. 5.—*ratio:* Δ. *non;* qui provenit error, ut putem, a brevi formâ *rō*, codicum scriptorum.—*videtur:* Δ. *videntur.*

Ver. 19. Σ. interserit *illis* post *esse*, et omittit *non*. Voces *non est* absunt V. ed. Π. *tractata:* B. L. M. *tractatque.*—*retroque:* P. *ideoque.*

Ibid. *tristior:* i. e. amarior, respectu similitudinis, quæ præcessit. Utramque vocem pulchre junxit Ovidius, epist. xix. 184.

Fert aliis *tristem* sucus *amarus* opem.

Ver. 20. *ab hac:* B. *ob hoc.*—*suaviloquenti:* Σ. Ω. *suave loquenti.*

Ver. 22. *Musæo melle:* ut Persius *Pegaseïum nectar;* vide nos ad i. 946. post quem Martianus Capella dixit, *vocis Pegaseïæ nectar*, hanc lectionem firmans; uti Vossius observavit, in art. gramm. ii. 16.

Ver. 24. *percipis:* ita V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. quamvis major numerus librorum habeant *perspicis*, ad i. 948. uti hic etiam P. Vind. B. L. M. si fides habenda sit collatoribus; quibus tamen, quoties leviuscula res videretur, non temere credendum esse expertus novi. Et profecto verbum *percipis* cum sequente *persentis* amicissime concordat.

Ver. 25. *persentis:* V. ed. *per presentis;* L. M. P. *præsentis*, sed codices ejus quidam, *persentis;* B. *perp̃tis:* et pro *rerum*, idem *præsens;* per confusionem, cujus caussa liquido patet.

Ibid. Versus quatuor sequentes inseruntur post ver. 51. in exemplis P. Vind. V. ed. B. L. M. O. Π. Ω. et hic desiderantur etiam in Σ. Aliæ sunt autem in codd. meis transpositiones atque repetitiones, quibus recensendis non immorabor, nisi quoties alii libri consenserint.

Ver. 26. Ordinem receptum versuum rectissime se habere judico, nec satis esse caussæ, ut mutetur, quanquam in hoc loco constituendo vexatissimis modis scripti et editi vetusti turbent.

Ver. 28. *æterno:* P. V. ed. L. M. O. Π. Σ. Ω. *alterno;* sed aliter noster ad ii. 1054. et hæ dictiones commisceri solent; ut in Ovid. fast. i. 131. vide nos, i. 768. iii. 33. Neque aliud nimirum res ipsa patitur. Epicurus ipse, apud Diog. Laërt. x. 48.—*κινουνται τε* ΣΥΝΕΧΩΣ *αἱ ατομοι.* Addam Plutarchum, de plac. philos. i. 4.

Naturam rerum, ac persentis utilitatem.
Sed, quoniam docui cunctarum exordia rerum
Qualia sint, et quam, variis distantia formis,
Sponte suâ volitent, æterno percita motu;
Quoque modo possint res ex hiis quæque creari:
Atque, animi quoniam docui natura quid esset,
Et quibus e rebus cum corpore compta vigeret,
Quove modo distracta rediret in ordia prima:

—των ατομων σωματων απρονοητον και τυχαιαν εχοντων την κινησιν, ΣΥΝΕΧΩΣ τε και ταχιστα κινουμενων εις το αυτο, πολλα σωματα συνηθροισθη—. Confer nostrum porro, ii. 309.

Ver. 29. *Quoque:* Π. *Quæque.—possint:* P. V. ed. O. Π. *possit.—res ex hiis:* Π. *ex aliis res.*

Ver. 31. *corpore:* Ω. *corpora.—vigeret:* V. ed. B. *vigere.*

Ibid. *compta:* i. e. *ornata*, instructa, composita; vide nos, ad i. 949. iii. 260. Lactantius, vii. 14. cum his locis bene committetur:—" ex quo hic pulcherrimus " *mundi* exstiterit *ornatus*—." Demiror Havercampi rationes, non dignas hercle, quibus responsum detur, reponentis Fabri conjecturam *cōpta*, i. e. *coapta;* et rogantis: " Quid enim est *compta cum corpore?*" Apposite glossarium vetus: " *Comptus, συγκειμενος:*" i. e. *κατεσκευασμενος.*

Ver. 32. *ordia prima:* i. e. primordia: dissolutâ dictione, et inversâ. Simplex nomen haud alibi videtur inveniri.

Ver. 33. *Nunc agere incipiam.* Quemadmodum Virgilius, geo. i. 5.

> Hinc *canere incipiam*——:

quorum *το Hinc* exquisitius est et comptius; unde non inepte suspiceris ita Lucretium scripsisse, quum *N* et *H* literæ sæpenumero commutentur: vide nos, ad iii. 925. et Drakenborchium, in primis, ad Sil. It. vi. 580.

Porro, hic et, qui sequitur, versus post ver. 29. ponuntur in Π. Σ. Ω. et connectuntur his verr. 48. 49. 50.

Ver. 34. *esse:* M. *et esse;* bis positis finalibus vocabuli præcedentis literis.

Ibid. *rerum simulacra.* De his imaginibus, vel idolis, sic Epicurus ad Herodotum, apud Diog. Laërt. x. 46. quem locum, procul dubio depravatum, infeliciter Casaubonus tentavit, nos autem, nisi fallimur egregie, sumus verissime emendaturi, et vocem deperditam resuscitaturi Græciæ, scopo loci manifestissimo suffulti: *Και μην και τυποι ὁμοιοσχημονες τοις στερεμνιοις εισι, λεπτοτησιν απεχοντες μακραν των φαινομενων. Ουτε γαρ αποστασεις αδυνατουσιν εν τῳ περιεχοντι γινεσθαι τοιαυται, ουτε επιτηδειοτητες* ΤΑΙΣ ΚΑΤΕΡΓΑΣΙΑΙΣ *των κοιλωματων και* ΛΕΠΡΟΤΗΤΩΝ *γινεσθαι·* (*neque convenientiæ*, i. e. imaginum cum suis solidis, *effectibus cavitatum, et eminentiarum;* vel asperitates solidorum corporum) *ουτε απορροιαι, την ἑξης θεσιν και βασιν διατηρουσαι, ἥν περ και εν τοις στερεμνιοις ειχον. Τουτους δε τους τυπους ειδωλα προσαγορευομεν.* Conspirant in vulgatâ lectione *λεπτοτητων* Anecdota Villoisoni in *Επικουρος·* sed nihil fingi potest corruptelis scribarum magis obnoxium, quam rarissima dictio *λεπροτης*, a *λεπρος*, tritæ *λεπτοτης* tam affinis. Auctoris propositum non aliter procedit, atque pro meâ emendatione validissime propugnat; nec lectorem mihi dissensurum arbitror. Scribitur etiam in editis *τας κατεργασιας.* Casaubonus *ες*, Menagius autem *κατα*, interpolavit.

Ver. 36. *Dereptæ:* P. V. ed. B. Δ. Π. Σ. Ω. *Direptæ;* perperam: sed ita passim in scriptis exemplaribus variari solet.

Nunc agere incipiam tibi, quod vehementer ad has res
Adtinet, esse ea, quæ rerum simulacra vocamus;
Quæ, quasi membranæ summo de corpore rerum
Dereptæ, volitant ultro, citroque, per auras;
Atque eadem, nobis vigilantibus obvia, menteis
Terrificant, atque in somnis, quom sæpe figuras
Contuimur miras, simulacraque luce carentum;
Quæ nos horrifice, languenteis sæpe sopore,

Videamus igitur, an has voces ita definire ac distinguere nos evaleamus, ut omnis disceptatio tollatur, et de quibuslibet locis, in quibus libri turbant, vel tyrones tutissimum judicium possint interponere. Aio igitur; *deripere* aliquid, est "detrahere de corpore partem quandam, ita "ut corpus, unde illa pars detracta sit, "in loco suo maneat imperditum:" *diripere* autem, est "usque adeo turbare et "sus deque habere rem, ut dissipetur "undique, ac disjiciatur." Optime glossator vetus: "*Deripere*, ἀφαρπάσαι. *Deripio*, ἀφαιροῦμαι. *Deripit*, ὑφαρπάζει. "*Diripio*, διαρπάζω." Subjungit tamen glossemata minus bona, ac minime probanda: "*Diripit*, ἀφαρπάζει. *Diripuit*, "ἀφήρπασεν." Similis confusio est in codicibus ad Virgilii Æn. i. 211. sed verissime docti viri scribunt:

Tergora *deripiunt costis*——.

Neque minore cum judicio inter discrepantia exemplaria rem editores administraverunt ad Æn. iv. 593.

*Deripient*que rates alii navalibus?——

Hanc vocem pro *dirempta* certissime restituit Burmannus Sereno Samonico, ver. 553. qui Lucretium nostrum, ad ver. 48. hujusce libri, illustrabit commode:

Arbore Pyrameâ cortex *derepta* coquetur
Axe sub ætherio:

ubi Burmannum consulas, et, quem merito laudat, Heinsium, ad Ovid. met. iii. 52. Hinc Q. Curtius corrigendus est, vii. 5. 24. "At illi, simulatione omissâ, "circumsistunt eum, et frustra repug"nantem vinciunt; *derepto* ex capite reg"ni insigni, laceratâque veste, quam e "spoliis occisi regis induerat." Vulgo, *direpto*. Corrigendus etiam Ausonius, epitaph. xxiii. 2.

Hic Priami non est tumulus, nec condor in istâ
Sede: caput Danai *deripuere* meum:

i. e. a corpore detraxere. Vulgo, *diripuere;* quod cum *corpus*, pro *caput*, approbavissem. Item Plinio non alia facienda est medicina, nat. hist. xviii. 72. "Galliarum latifundiis, valli prægrandes, "dentibus in margine infestis, duabus "rotis per segetem impelluntur, jumento "in contrarium juncto: ita *dereptæ* in "vallum cadunt spicæ:" i. e. culmis avulsæ. Vulgo, *direptæ;* multum diverso sensu, et occasioni prorsus alieno. Nec minus ibid. xix. 36. "Hoc et in rapis: "nam et eadem, *dereptis* foliis, cooperta "terrâ, crescunt, durantque in æstate:" i. e. *detractis* foliis. Vulgo, *direptis;* quod sonat *dilaceratis:* male. Similiter scribas, ibid. xx. 39.—"huic aridis tuni"cis *dereptis:*" pro mendose evulgato, *direptis*. Iterum, x. 4. "Sed vis illa me"dica non nisi nido *dereptis*." Pariter libri hic vitiosi sunt, *direptis* exhibentes. Eandem denique mendam ex eodem scriptore tollam, ibid. viii. 54.—"nec idem "pollere, nisi viventi *dereptum*." Editi, *direptum*.—Cæterum, O. habet *Directæ;* quasi *Dierectæ*, pro Diruptæ, διαρρήκται· quæ vox Plautina est. Dictiones autem *direptus* et *directus* interdum commutatas esse, nos docuit ille diligentissimus, et judicio subactissimus, Drakenborchius, ad Liv. xxxvii. 31. 5.

Excierunt: ne forte animas Acherunte reamur
Ecfugere, aut umbras inter vivos volitare;
Neve aliquid nostri post mortem posse relinqui,
Quom corpus simul atque animi natura, perempta,
In sua discessum dederint primordia quæque.
  Dico igitur, rerum ecfigias tenueisque figuras
Mittier ab rebus, summo de corpore, eorum

Ibid. *volitant simulacra.* Sic etiam conjunxit vocabula Virgilius, Æn. vii. 89.

Multa modis *simulacra* videt *volitantia* miris.

Cicero, epist. ad famil. xv. 16.—" si in-" sulam Britanniam cœpero cogitare, ejus " εἴδωλον mihi *advolabit* ad pectus." Cæterum, idem vates Mincianus oculos in hunc locum contentos habuit, ad Æn. x. 641.

Morte obitâ quales fama est *volitare figuras*,
Aut quæ *sopitos* deludunt *somnia sensus*.

Ver. 37. *menteis Terrificant.* Idem rursus Maro, Æn. iv. 210.

——————— cæcique in nubibus ignes
Terrificant animos——.

Ver. 38. *in somnis:* Π. *insomniis;* aberratione non valde contemnendâ.

Ibid. *figuras miras.* Idem, geo. i. 477.

——— *simulacra* modis, pallentia, *miris*—.

Ver. 39. *Contuimur miras:* Macrobius, ad Sat. vi. 1. *Contuitur mirans:* i. e. *mirās.*—*luce:* Π. *lite.*—*carentum:* B. *carente.*

Ibid. *simulacraque luce carentum:* i. e. non jam vivorum et *videntium;* adeas notata in iii. 1059. Hæc autem mutua sumpsisse Virgilium, ad geo. iv. 472. quis ignorat?

Umbræ ibant tenues, *simulacraque luce carentum.*

Ver. 40. *sopore:* B. *sapore;* usitatissimo errore.

Ver. 41. *Acherunte:* P. O. *Acheronte.* Mox M. *vibos,* pro *vivos;* per solitam commutationem elementorum *b* et *v.*

Ver. 43. *aliquid posse:* V. ed. B. *aliquis possit.*

Ver. 44. *animi:* M. *animam.*—Et nescias, an poëta τὸ *perempta* posuerit in primo casu numeri singularis, an pluralis: vide quæ nos dedimus ad ii. 908. iii. 459. 505. Morem Lucretianum nosmetipsi sequimur, participium ad nomen utrumque referentes.

Ver. 45. *dederint:* Vind. Δ. Π. *dederunt.*

Ver. 46. *ecfigias:* ita vetustissimi libri L. M. nec non B. si collatores sint credendi; certe reliqui omnes codices, cum summâ pertinaciâ consensûs, *effigies.* Formam autem, quam servandam habuimus, exhibet Afranius apud Nonium Marcellum, viii. 77. et Plautus, Rud. ii. 4. 7. Porro, vetus orthographia, quam exhibeo in hoc versu, etiamnum restat in dictionibus *ecclesia, ecloga, ecdicus* apud Ciceron. epist. fam. xiii. 56. *ecfodere, ecferre, ecscriptos,* ad nonnulla exemplaria Taciti Plautique; ne plures voces enumerem, Græcis propiores. Similiter in vetere glossatore, confidens rescripserim equidem, *Eccedo,* et *Eccanto;* vice τῶν *Ecedo, Ecantoque.*

Ver. 47. *corpore:* verum omnes libri, tam MSS. quam vetustiores impressi, *cortice;* sed procul dubio mendose: conferas verr. 35. 50. 57. 62.—*eorum:* P. O. *earum;* sed ex correctore, ut putem: et an sic voluerit immutare Lucretius, ut ambiguum evitaret ob tot nomina ejusdem generis? *effigias* scilicet, *figuras, rebus.* Simile quid habemus in varietatibus, ad ver. 92. Insuper, vulgo interpungunt ad *eorum;* sed me perspicuitati consulturum

Quæ quasi membranæ, vel cortex nominitanda est,
Quod speciem ac formam similem gerit ejus imago,
Quoiusquomque cluet de corpore fusa vagari.
Id licet hinc quam vis hebeti cognoscere corde;
Principio, quoniam mittunt in rebus apertis
Corpora res multæ, partim diffusa solutæ,
Robora ceu fumum mittunt, ignesque vaporem;

esse existimavi, si vocabulum istud proveheretur in sequentia. Et, si malis, ad *corporum* tacite τε *eorum* referre poteris.

Ver. 48. *membranæ:* sic P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Ω. et quovis pignore contenderim, non aliter scriptum in L. M. quamvis taceat Havercampus, et *membrana* sit in Π. Σ. atque Nonio Marcello, iii. 61. quum sit vero simillimum, librarios ad exquisitiorem constructionem offendisse, de quâ verbum *nominitanda* ad postremum solummodo substantivum redit. *Corticem* vero utriusque generis inveniri docet ibidem exemplo etiam Virgiliano, in ecl. vi. 63. ille Nonius; apud quem falso scriptum est, *nominandas*, errore in errorem cumulato. Videas Heinsium, ad Ovid. met. iv. 375. de feminino genere vocabuli *corticis* ampliantem. Per *corticem* vero intelligas *insectorum* redivivorum *integumentum*, ut sæpe Plinius; et per *membranam*, tacite significari *fetûs involucrum:* confer verr. 56. 57. cum Plin. nat. hist. xi. 16. 32. xxviii. 50.

Porro, Varronis locus in Nonio, l. c. ad Lucretium nostrum egregie facit. E Tithono, περι γηρως, fragmentum est excerptum: " Sic invitata, matura anima " *corporeum corticem* facile relinquit." Ubi forte an *corporis* reponi debeat, ut evadat versus iambicus tetrameter brachycatalecticus, dubitare liceat:

Sic invitata, matura anima *corpori?* corticem
Facile relinquit.

Ibid. *membranæ vel cortex:* uti Nicander, ther. 392. de *cute* senectâ serpentis:

Ευτ' αν 'ΥΠ' ηελιοιο περι ΦΛΟΟΝ ἀψεα βαλλῃ.

Sic Bentleius correxit ex scholiaste, pro απ'· sed impeditior verborum collocatio minime nobis placet, neque poëtam venustum resipit. Scribendum ideo forsitan:

Ευτ' αν 'υπ' ηελιοιο ΠΥΡΙ φλοον ἀψεα βαλλῃ·

i. e. *membra corticem abjiciant.*

Ver. 49. *ac:* P. V. ed. B. *et;* O. Δ. Π. *ad.*

Ibid. *speciem ac formam.* Arnobius, lib. iii. p. 106. " Nunc ad *speciem* venia- " mus *et formas*, quibus esse descriptos " deos superos creditis."

Ibid. *gerit:* i. e. habet; ut φερει, εχει, in Græcis. Sic Gruter. inscriptt. i. p. 9. " Numine *fontigero:*" i. e. fontem *habente.* Alibi diximus.

Ver. 50. *cluet:* L. Π. Σ. *cui et;* Δ. *cui;* O. Ω. *tui et.*—*fusa:* V. ed. B. Δ. *fusta;* L. O. Σ. Ω. *fusca.*

Ibid. *cluet vagari.* Simili cum regimine Ennius apud Nonium, ii. 147. *cluebat esse;* Plautus, Bacch. iv. 9. 1. *cluent fecisse:* hoc autem rarissimi est exempli, et de constructione Lucretiani interpretes prudentissimum silentium præstant.

Ibid. *fusa imago.* Minucius Felix, sect. 19. " Quid Democritus? quamvis ato- " morum primus inventor, nonne plerum- " que naturam, quæ *imagines fundat*, et " intelligentiam, Deum loquitur?"

Ver. 52. *mittunt in:* M. O. Δ. *mittuntur;* librarii sensu nimirum scriptoris constructionem cum suâ, et eâ faciliore quidem, præcurrente.

Ver. 53. *solutæ:* sic P. V. ed. O. quod elegantius puto vulgatâ lectione, *solute.* Ordo est: " Partim solutæ *res* (i. e. se " facile solventes, ut ligna) *mittunt cor-* " *pora* diffusa: (i. e. se passim diffun-

Et partim contexta magis, condensaque, ut olim
Quom teretes ponunt tunicas æstate cicadæ,
Et vitulei, quom membranas de corpore summo
Nascentes mittunt; et item quom lubrica serpens
Exuit in spinis vestem; nam sæpe videmus
Illorum spoliis vepreis volitantibus auctas.

" dentia) partim *solidiores res*, ut teretes " cicadæ, *mittunt corpora* contexta magis " et condensa." Nihil clarius, quam quod nostra lectio sit multis nominibus evulgatæ præponenda, et poëtæ menti maxime accommodata. Non alienus est elegans locus Novatiani, de *Deo* loquentis, in reg. fid. init.—" qui cœlum altâ sublimitate " suspenderit, terram dejectâ mole soli- " daverit, maria *soluto* liquore *diffuderit*."

Ver. 54. *ceu:* sic P. V. ed. B. O. Ω. reliquorum tamen exemplarium scriptura *seu* communes editiones mirifice occupavit.

Ver. 55. *condensa:* Vind. *contensa;* operarum, ut videtur, vitio.

Ver. 56. *teretes:* sic P. verissime: i. e. " longiuscule rotundæ, et tamen solidius " compactæ;" ita ut opponi intelligatur cuipiam scabro, tenui prorsus, et quasi dilaminato, corpori. Mens scriptoris sensum hunc efflagitat: videas expositionem meam ad ver. 53. modo datam, cum v. 801. et quæ dicentur ad ver. 1160. hujusce libri. V. ed. B. Π. *cæteris;* Vind. *tereris;* O. Ω. *veteris;* Σ. *teneras:* reliqui, si veros egerint, qui membranas oculis usurpaverint, *veteres.* Porro, vice *æstate*, L. *ætate;* fortasse non deterius. Sed Nemesianus, ecl. iv. 42. habet *æstivis cicadis*; ideoque nihil novem.—Cæterum, nomen *teretem* velle quiddam concinne compactum, ac nullis prominentiis, incisionibus, aut asperitatibus quibuscunque, inæquale, Arnobius luculentissime docebit, lib. vi. p. 196. " Nam, cum omnes homines *teretem* esse " solem indubitabili luminum contem- " platione videamus; os illi vos hominis, " et mortalium corporum lineamenta, do- " nastis."

Ibid. *tunicas Et membranas.* Hæc aliter Aristoteles conjunctim exhibuit, de partt. animm. iv. 15. vocans eas *χιτωνα ὑμενωδη.* At enim vox *tunica* videtur ab Empedoclis usu derivata. Stobæus, ecl. phys. lib. i. p. 141. Porphyrii citans egregium fragmentum:

Σαρκων ΑΛΛΟΧΡΩΤΙ *περιστελλουσα* ΧΙΤΩΝΙ,

και μεταμπισχουσα τας ψυχας. Sic locus iste emendandus est.

Ver. 58. *lubrica serpens.* Maro, Æn. v. 84.

——— adytis quum *lubricus anguis* ab imis——.

Cæterum, totius color loci satis indicat poëtam memorem fuisse Aristotelis, de hist. animm. viii. 17.—*ὅτ᾽ αν δε αρχωνται εκδυνειν (το γηρας) οἱ οφεις, απο των οφθαλμων αφιστασθαι πρωτον φασι——εκδυονται γαρ ὡς περ τα εμβρυα εκ των χοριων.—οἱ δε τεττιγες,—περιρραγεντος τε κελυφους, εξερχονται.*

Ver. 59. *Exuit in spinis:* V. ed. *Exivit iuspiis.*

Ibid. *Exuit vestem:* redeas animadversa nobis ad iii. 613. Ex hac figurâ similiter Virgilius, ad Æn. xi. 829.

——————— Tum frigida toto
Paullatim *exsolvit* se corpore:

quasi scilicet *diffibularet tunicam.*—Et ex hoc loco flosculum legit Prudentius, in materiâ quamvis admodum dissimili versatus, apoth. ver. 56.

——— Deus *in spinis volitabat* acutis,
Vulnificasque comas innoxius ignis agebat.

Ver. 60. *auctas:* Δ. *actas;* M. *auctos;* sed vulgatam lectionem tuetur Nonius, vi. 55. hunc versum laudans.

Quæ quoniam fiunt, tenuis quoque debet imago
Ab rebus mitti, summo de corpore rerum.
Nam, quur illa cadant magis, ab rebusque recedant,
Quam quæ tenuia sunt, hiscundi est nulla potestas;
Præsertim, quom sint in summis corpora rebus
Multa minuta, jaci quæ possint ordine eorum,*

Ibid. *spoliis:* i. e. pellibus. In Senecæ Herc. fur. de se Hercules, ver. 1151.

——— cur latus lævum vacat
Spolio leonis?

Palladius, xii. 7. 4. " Juvat in eâ (ar- " bore) et *spolium serpentis* appendi." Hinc pro humano *corpore* Prudentius voce usus est, intexens peplo proprio sermonis Lucretiani fila, apoth. 410.

——— Fuge, callide *serpens;*
Exue te membris, et spiras solve latentes.
Mancipium Christi, fur corruptissime, vexas.
Desine; Christus adest, humani corporis ultor:
Non licet, ut *spolium* rapias, cui Christus inhæsit.

Ibid. *volitantibus:* i. e. ad auras motis; ob levitatem utique. Sic Nonnus, de pelle Marsyæ, quem Phœbus decorticavit, Dionys. i. 43.

Δερμα παρῃωρησε ΠΑΓΩ, *κολπωμενον αυραις:*

i. e. *summitate scopuli* in antro; sic enim legendum puto, pro codicum scripturâ *φηγῳ*, quam Musæ respuunt.

Ver. 61. *Quæ:* Vind. *Hæc*, vel editor potius somniculosus; ut editi vulgares, sine librorum auctoritate.

Ver. 62. *Ab:* B. *At;* Δ. Σ. *A.—rerum:* editores ex arbitrio, *earum;* ubertatem atque evidentiam orationis Lucretianæ nec attendentes, et audacissime contaminantes.

Ver. 63. *illa:* nempe crassiore filo contexta; de quibus supra; *membranas* puta, *tunicasque*, verr. 56. 57.—Pro *quur*, B. *cum;* a *quum*.

Ver. 64. *hiscundi* vel *hiscendi est*, libris scriptis manu ducti, vere videntur edidisse docti: M. *hiscendis;* i. e. *hiscendi'st*, ut probe judicavit Havercampus: L. *iscendi*, derasâ primâ literâ; P. V. ed. B. Δ. *ostendit;* Vind. O. Σ. Ω. *ostendi est;* Π. *ostendis:* quæ sunt variæ corruptelæ vocis genuinæ, quam exhibemus, abeuntes ex *hiscendi est*, per *iscendi'st*, et *istendist*, in *ostendi'st*, *ostendis*, *ostendit;* eo faciliore demigratione ob similitudinem elementorum *t* et *c*. Hinc est quod Juvenalis codex MS. probus et vetustus, bibliothecæ publicæ Cantabrigiensis, ad sat. ii. 77. vii. 190. bis habeat *ater*, pro *acer*. Sed in notissimis est hæc commutatio. *Hiscere* autem, Nonio Marcello interprete, ii. 400. " est proprie loqui." In quo tamen glossemate *ακριβειαν* grammatici desidero: nam *hisco* venit ab *hio*, quæ vox ipsum negotium aperiendi oris ad loquendum exactissime describit. Glossator vetus optimus interpres aderit: " *Hiscere*, *κεχηνεναι*, *επι-* " *χειρησαι λαλησαι.*" Unde Virgilius egregie, Æn. iii. 314.

——— Vix pauca furenti
Subjicio; et raris, turbatus, vocibus *hisco:*

i. e. *hio* magis, quam loquor. Servius ibidem: " *Hiscere* est *hiare*, nec loqui " posse: nam, qui nimium mœrent, *præ* " singultibus, ore etiam aperto, verba red- " dere non possunt." Ita supplendum esse hoc glossema censeo. Diomedes, de orat. i. p. 334. " *Hiscere* vero, incipere " loqui." Est autem tritius vocabulum, quam quod se pluribus exponi, vel defendi, postulet.

Ver. 66. *eorum:* scilicet " corporum, " vel superficierum, unde hæ particulæ, " ex quibus imagines constant, sunt emis- " sæ: eo ordine nimirum *Quo fuerint:*" i. e. quem prius habebant, quam evolarent. Mens Lucretii plenius declarata est in notis ad ver. 34. Hæc autem cum editores habuerint minime perspecta, com-

Quo fuerint, et formaï servare figuram;
Et multo citius quanto minus indupediri
Pauca queunt, et sunt in primâ fronte locata.

mentitiam suam lectionem *eodem* non erubuerunt obtrudere poëtæ: neque aliâ ex caussâ propagata est per libros scribarum varietas, *τε rerum* utique, quæ legitur in P. qui testatur tamen, evulgatam insuper scripturam publicarum editionum in priscis codicibus inveniri. Quæ sequitur phrasis, *Quo fuerint*, epexegesis est; ad solitam illam ἐναργειαν orationis, quam noster sectatur studiosissime in omnibus, et quâ nihil argumenti didactici subtilitatem decentius commendat. Interea, nobis gratulabimur, si possimus a Lucretio rubiginem temerariis incrustatam abstergere; et in hoc vel diligentissime nobis esse elaborandum arbitramur.

Ver. 67. Versum sic repræsento, ut Vossius quoque videtur constituisse, ad libros omnes antiquos, præter P. qui vulgatis impressis consentit, exhibens ad hunc modum:

Quo fuerint, *veterem* et *formæ* servare figuram;

et O. Ω. cum P. facientes: nisi quod illa *forma* habeat, hæc *formam*. Ad libros universos veteres dixi, præterquam in terminatione singularis dictionis; nam scribitur *formæ* in V. ed. Δ. et *forma* in Vind. L. M. Π. Σ. Librarios autem sæpiuscule aberravisse in syllabis *a*, *æ*, et *aï* permiscendis, docuimus ad i. 553. 952. ii. 1062. iii. 681. Mox eadem est confusio, ad ver. 76. Similem errorem felicissime ex Horatio sublatum esse certo certius est, ad od. ii. 16. 19. et optime sic rescribi:

——— quid terras, alio calentis
Sole, mutamus *patriâ?* Quis exsul
Se quoque fugit?

Aliter Latinitas non constat: quicquid enim dicat Bentleius, *mutare terras* per se nihil aliud significare potest, quam "terras quas nunc incolimus:" neque omnia exempla, quæ vir doctissimus congessit, suam crisin tuentur, aut tueri valent. Ineptus sit necesse est, qui sic loqui velit, sine sensu, sine exemplo probi cujuspiam scriptoris. Sed hæc in transitu. Porro, inter *et* ac *forma* in M. *cum* comparet; unde Gifanius sic elegantissime tentavit locum:

Quo fuerint, et *cum* formæ servare figuram:

quod, ut est perquam ingeniosum et sane Lucretianissimum, ita veritatis etiam affine videri potest.—*servare:* B. *servate.*

Ibid. *formæ figuram:* i. e. "ea externa lineamenta, quæ formam efficere et "χαρακτηριζειν solent." Accuratissime et perpensissime videtur loqui noster, dum *formam* pro vocabulo generali adhibet; et pro speciali *figuram* rursus. Pariter Ovidius, ex Pont. iii. 4. 25.

——— gentes, *formatæ* mille *figuris*.

Severiores autem hæ sunt regulæ, quam quæ scriptoribus, otio suo et commoditati rerum consulentibus, morose possint observari. Hinc ut synonymas non dubitant has dictiones usurpare. Sic glossarium vetus: "*Forma*, μορφη, τυπος, σχημα. *Figura*, σχημα, τυπος." Cicero, de nat. deor. i. 18. "Quod, si omnium animantium *formam* vincit hominis *figura*, Deus autem animans est; eâ *figurâ* profecto est, quæ pulcherrima sit omnium." Idem rursus, de off. i. 35. "Principio, corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem; quæ *formam* nostram reliquamque *figuram*, in quâ esset species honesta, posuit in promptu." Sed de hac re profecto satis dicta sunt.

Ver. 68. *Et:* Δ. *Sed;* quod placet: nec librarii non solent confundere voculas *Et* ac *Sed*, vel *Set;* vide Drakenborchii notam ad Liv. xxi. 26. 6. cum Van Staveren, ad Cornel. Nep. iv. 3. 7. et, quos ibi laudat, eruditos viros. Codex Cantabrigiensis, quem usurpavi, ad Juvenal. vii. 242. pro *cura sed*, habet *curas*

Nam certe jacere, ac perciri, multa videmus;
Non solum ex alto penitusque, ut diximus ante,
Verum de summis ipsum quoque sæpe colorem:

et.—Porro, vice *citius*, B. *tutus;* et M. *endopediri*, auctore Havercampo.

Ibid. *indupediri.* De vocibus hoc genus, ab ἐνδον compositis, nonnihil diximus ad i. 83. huc etiam referendæ sunt eæ, quæ sequuntur etymologorum cruces, *indigenus*, indigenitalis, *indigetes:* i. e. *in* patriâ *geniti*, vel nati. Et forte a poëtico ειν pro εν Latini suum *indu* pro *endo* derivaverint.

Ver. 69. *et:* P. V. ed. B. Pii codd. quidam, *ut.*—*sunt:* V. ed. B. *sint.*—*in primâ:* Vind. V. ed. L. *prima;* O. Ω. et Pii quidam codices, *prima sub;* non male: sed videas i. 878. Pro *queunt*, Π. fedissime, *queruntur.*

Ibid. *Pauca:* nam, quamvis multæ sint particulæ jaculabiles, non videntur ad has imagines tenuissimas confingendas uno tempore requiri multæ. Cæterum, successio est harum particularum; et evolantes aliæ locum præbent aliis ex novâ superficie evolaturis. Faber autem lectionem evulgatam coarguit, et reponit *Parva:* cui non assentior.

Ver. 70. *jacere ac perciri.* Postremam vocem ex conjecturâ rescripsimus; sed Lucretiana est, (vide i. 213. v. 212. iii. 304.) et optimam societatem cum locutionibus, quæ sequuntur, *ex alto, penitus*, init; nec non ad rudera lectionum in libris quam proxime accedit: est enim in hoc loco diversitas vexatissima scripturæ. P. O. Ω. *jacere ac jaculari;* quæ sunt invenustissime tautologa, sapiuntque sarcinatorem plane inscitissimum: Vind. *jacere ac ciergiri;* V. ed. L. *jacere rea ciergiri;* M. Σ. *jacere ac vergiri;* B. *ac jacenterea aergiri;* Δ. *in etheria ciergari;* Π. *jacere et ciergiri.* Forte an lateat in isto *ciergiri* vetustum quiddam vocabulum, quod ex latebris nequeo equidem protrahere. Vossius proposuit, *jacere atque esciri;* J. F. Gronovius, *jacere ac invergi.* Vulgares editi, *jaci atque emergere;* longe mendosissime. Lector vel emendationem meam amplectatur, vel, quod malim, de suo probabilius aliquid excogitet: nam lampada libenter tradimus. *Jacere* autem absolute ponitur, ut Græcis consimiles dictiones βαλλειν et ῥιπτειν sæpe: jam vero absolutum verborum usum Lucretio adamatum esse satis constat, et nos super hac ipsâ re lectorem repetitis vicibus admonuimus: vide ad iii. 433. 501. Hinc nullus dubitem, quin Livius, ad codicum plurium MSS. fidem, sit hoc pacto tandem elegantissime rescribendus, xxv. 35. 1. "Haud "segniter inde duces Pœni, fortunâ usi, "confestim e prœlio, vix necessariâ quiete "datâ militibus, ad Hasdrubalem Hamil-"caris citatum agmen rapiunt; non dubiâ "spe, quum *conjunxissent*," (ut nostrates: *When they should have joined)* "debellari "posse." Vulgo, ex emendatione Gronovianâ, *juncti essent.* Nos sincerissime locum constituimus.

Ver. 71. *penitusque:* P. *penitus ceu;* et fortasse rectius. Non aliter Cicero sine copulâ, de legg. i. 5.—"sed *penitus ex in-"timâ* philosophiâ hauriendam juris dis-"ciplinam putas."

Ver. 72. *ipsum quoque colorem:* "qui, "quum sit res tenuissima atque super-"ficiaria tantummodo, si jaculetur for-"mas et imagines; multo magis quæ so-"lidiora sunt ac densiora, suas effigias "debent emittere." Ita mens loci capienda.

Ver. 73. *id:* B. *ad.*—*russa:* V. ed. *tusa;* B. *tus;* Δ. *ruffa;* Π. *rura;* Σ. *rusa;* P. *rufa;* non deterius, si copia codicum favisset: nam vestes militares, quas *tunicas russas* vocavit Trebellius Pollio, in Claudio, sect. 14. Martialis *rufas* nuncupat, xiv. 129.

Roma magis fuscis vestitur, Gallia *rufis;*
Et placet hic pueris, *militibus*que, color.

Et volgo faciunt id lutea russaque vela,
Et ferrugina, quom, magnis intenta theatris,

De coloribus autem *luteo russoque*, vel ex tritissimis poëtarum locis, atque lexicographis, omnia sunt vulgata. Paucula tamen apponentur. Vocem *russus* Ennianum fragmentum habet apud Ciceron. de div. ii. 26. ita legendum et disponendum; nam vulgo legitur *plausu* et *alas:*

——— favent faucibu' *russis*
Cantu, *plausum*que premunt *alis:*

i. e. "*cum* faucibus favent cantui, et *cum* "alis premunt plausum:"—tacent nempe, et quiescunt. *Russa* sunt, *rubra* utique, vel *sanguinei* coloris: unde Prudentius, perist. x. 908.

Perfusa pulcher menta *russo* stemmate
Fert, et *cruenti* pectoris spectat decus;
*Ostro*que *fruitur* vestis, ut jam regiæ.

Sic legam, vocibus transpositis, in ultimo versu, proxime ad quosdam codices. Et omnia assimilat imperatorio ornatui poëta; diademati, balteo, laticlavioque: unde non audiendus est Salmasius subtilissimus cum suo acumine, *stammate*, i. e. stagmate; vice *stemmate*.—Porro, navet operam Lucretio Ammianus Marcellinus, xx. 11.—"sequens (species iridis) *fulva*, id est "paullo excitatior quam *lutea; punicea* "tertia—." *Russa* nempe *ἐρυθρή*: vide schol. ad Hom. Od. I. 125.

Ver. 74. *ferruginea:* B. M. O. Δ. Π. *ferruginea.*—*intenta:* Δ. *tensa.*

Ibid. *ferrugina:* i. e. cærulea, subfusca, hyacinthina. Virgilius, geo. iv. 18.

Et pinguem tiliam, et *ferrugineos hyacinthos.*

"*Ferrugo* coloris genus est, qui vicinus "est *purpuræ subnigræ:*" Servius ad Virg. Æn. ix. 582. 'Τακινθινον· ὑπομελανιζον, πορφυριζον· Hesychius. Conferas Nonium Marcellum, xvi. 7. Sed enim dictionis etymon, qui color sit, liquido declarat.

Ver. 75. *trabes:* Vind. dat *tabes.*—*trementia:* quidam Pii codices, *tenentia.*—*fluctant:* sic M. breviatâ voce, ut modo *ferrugina.* pro vulgari *ferruginea.* Dederunt editores nonnulli *flutant*, pro *fluitant*, ut ad iii. 190. sed in hoc loco sine libris, quos non licet nobis contemptui habere, præsertim in his tenebris Latini sermonis antiquissimi. Nulla vox comparet in V. ed. B. L. Δ. Π. atque, ut videtur, Vind.—P. autem dat *pendent;* O. Ω. cum quibusdam Pii codicibus, *circum;* Σ. *duras.* Non mirum est interea verbum rarissimum *fluctant* ita librariis indoctis, et nihil, nisi tritissima, callentibus, scrupulum injecisse, ut alii lectionem mutatum ivissent, et omissum alii. Si in *fluctus* vel *flucturus*, formas antiquas pro *fluxus* et *fluxurus*, hoc pecus inciderant, procul dubio non pepercissent aliquo saltem modo contaminare: vide Priscianum, lib. ix. p. 871. Et fallor, aut librarii, ad ingenium redeuntes, hoc antiquarii sermonis monimentum Virgilio inviderunt, ad Æn. v. 867. Lucretium pro more intuenti:

Quum pater amisso *fluctantem* errare magistro
Sensit, et ipse ratem nocturnis rexit in undis.

Sic codex Dorvillianus: vulgo, *fluitantem.*

Ibid. *volgata:* i. e. volantia, vel obeuntia: confer sis v. 428. infra, ver. 209. ii. 163. 346. et hinc forsitan derivatur phrasis, quod ea, quæ vulgus novit, celerrime per omnia didantur. Virgilius, Æn. xii. 608.

Hinc *totam* infelix *volgatur* fama *per urbem:*

i. e. *celebratur:* adeas notam in i. 4.

Ibid. *fluctant vela.* Elegantissima est locutio. Pari cum venustate, quidam, cum amplis vestimentis spatiatus, Afranio dicitur *fluctuatim ire*, apud Nonium, ii. 333. Arnobius etiam oppido speciosus est, lib. iii. p. 108. "Siquidem, cum fa-"ctis atque informatis deos, hos crinitos "effingitis, alios læves,—seminudos, in-"tectos, aut, ne frigus incommodet, *flui-"darum vestium* superjectione *perfusos.*" Similiter Apuleius, met. xi. p. 759. ut est semper harum deliciarum ambitiosissimus

Per malos volgata trabesque, trementia fluctant.
Namque ibi consessum caveaï subter, et omnem

captator, atque avidissimus:—"*palla* nigerrima—ad ultimas oras nodulis fimbriarum decoriter *confluctuabat*." At animum advertant velim lectores mei, quædam scripta manu exemplaria ibi dare *confluctabat*. Cæterum, hoc lepore sermonis referti sunt poëtæ utriusque linguæ, et nos in his notis alicubi plenius illustravimus: profluxit autem ex Homeri fonte, ad Il. E. 734. scilicet:

ΠΕΠΛΟΝ μὲν ΚΑΤΕΧΕΥΕΝ ἑανὸν πατρὸς ἐπ' οὔδει.

Ver. 76. *ibi:* O. Π. *ubi;* Δ. *tibi:* innumeris autem locis voculas *ibi* et *ubi* commutatas esse docemur Drakenborchio, ad Liv. xxii. 5. 2. et aliis. Sed longe elegantior exsurgeret locus, ad codicem nostrum Δ. concinnatus, atque germanissime Lucretianus fieret:

Nam tibi consessum caveaï—.

Inficiunt tibi scilicet. Nihil elegantius: vide quæ diximus ad iii. 28. Hæ dictiones etiam sæpenumero librariis commiscentur: adeas eundem Drakenborchium, ad Liv. viii. 32. 5. Codex MS. Cantabrigiensis, ad Juvenal. xiii. 150. habet *tibi*, pro vulgato *ibi.*—*consessum:* V. ed. B. *concessum;* M. *consentum;* O. *confessum;* Δ. *con.*—*caveaï:* Vind. V. ed. B. L. M. Π. Σ. *cavea;* O. Ω. *caveæ;* et postremus ille verbum *ornant* infercit post *caveæ*.

Ibid. *consessum caveaï.* Hinc Mantuanus ille, ad Æn. v. 340.

Heic totum *caveæ consessum* ingentis, et ora
Prima patrum, magnis Salius clamoribus inplet:

ubi nominis *caveæ* sensum interpretes ubertim declaravere, nobis otium facientes; et libri scripti non multo aliter, atque Lucretiani, in voce *consessum* variant.

Ver. 77. *Scenalem:* ita scriptum est in P. Vind. V. ed. B. L. O. Δ. Π. Σ. Ω. et undenam hæc dictio librariis? Vulgo autem, *Scenaï*, ut antiquâ manu in L. uti existimat Havercampus; sed hoc est incertius, quam cui prudenter fidas, tot aliis exemplaribus in lectione nostrâ consentientibus: aliter, nisi mecum statuissem libris optimis ac pluribus, quoad fieri probe possit, semper obsequi, locum integrum refinxissem ad scripturam codicis antiquissimi M. *Scenali specimen* utique; nec dubito, quin ad Lucretii scripturam germanissimam, hoc modo:

Namque ibi consessum caveaï subter, et *omne*
Scenale specimen, patrum, matrumque—.

Similis est variatio in libris MSS. ad Propertium, iv. 11. 67.

Filia, tu *specimen* Censuræ nata paternæ:

alias, *speciem;* vulgari dictione exquisitiorem, quod adsolet, expellente. Ad quem locum videas Broukhusium Burmannumque, vocem *specimen* illustrantes. Hoc etiam modo turbant scribæ ad Virgilii Æn. xii. 164.

Solis avi *specimen:*

i. e. ornamentum patris χαρακτηριστικῶς. Nasuti vero statim intelligunt, quidnam est, quod scribarum timidiorum mentes labefecerit; productionem innuo brevis syllabæ in cæsurâ; vim literarum *sp* vel extra cæsuram, ad efficacissimum sustentaculum ministrandum, ne quidem somniantium: vide nos in hanc rem disquirentes ad Silv. Crit. sect. xxx. Hinc infelicissime dubitant viri docti de Virgilio, Æn. ix. 37. qui certo certius ita sincerissime ad fidem codicum MSS. rescribi debet:

Ferte citi ferrum, date *tela*, *scandite* muros.

Crimen fuerit vel inexpiabili affine, meâ saltem sententiâ, in Divam Criticen admissum, de isto versu, sic posito, levissimam suspicionem obmovere. Seneca, Hippol. 1026.

——————— en! totum mare
Inmugit: omnes *undique scopuli* adstrepunt.

Idem rursus, Herc. fur. 950. castissime:

Scenalem speciem, patrum, matrumque, deorumque,
Inficiunt, coguntque suo fluitare colore:
Et, quanto circum mage sunt inclusa theatri
Mœnia, tam magis hæc intus, perfusa lepore,

Hyemsque gelido *frigida spatio* refert.

Adde Silium Italicum, xii. 209.

——————— et sævo Mavorte parastis,
Ne *qua spes* fusos pacis, vitæque, maneret.

Heinsius grave aliquid in se admisit, qui ad hunc modo scripserit Ovidium, art. am. iii. 726.

Oraque fontanâ *fervida spargit* aquâ:

nam scripti plerique cum primâ editione, *pulsat;* quæ tamen vox præcessit paullo ante. Scribo:

Oraque fontanâ fervida *mulcet* aquâ.

Ægre eundem virum ingeniosissimum audiverim ad Ovid. met. xii. 438. quamvis ille locus sit difficilior, et fieri possit, festinanti poëtæ, et carmina volubiliter profundenti, subinde minus elaboratum aliquid excidisse. Porro, minime hinc mirari debemus illud distichon, ex Pont. ii. 2. 36. nonnullis antiquis exemplaribus omissum:

Qui rapitur fatis, quid præter fata requirat?
Sæpe creat molles *aspera spina* rosas:

quibus equidem ex animo subscribo. Satis superque se prodidit vel hoc indicio insulsissimus ille Horatii simulator, quem videas in addendis ad Longum Villoisoni:

Jam vide curas *Aquilone sparsas.*—
Huic *ara stabit*, fama cantu—.

Apage, tædet! indoctissimum nugacem. Non aliunde admonitus, ex ingenio correxeram Petronium, sect. 134.

Quidquid in orbe vides, paret mihi: florida tellus,
Quum volo, *siccatis* arescit languida sucis.

Editiones, quas olim versabam, *spissatis;* sed meliorem lectionem, et unice veram, Burmannus ope codicum revocavit. Huic scopulo Marklandus impegit, ad Statii sylv. v. 3. 72.

——————— mihi *limine* primo
Fatorum:

nobis commendans *stamine:* et similem erravit ad Claudian. in Stil. ii. 27. Heinsius errorem. Burmannus, Anthol. Lat. i. 175. 1.

Turne, spes Italûm, custos fortissime regni;

male tentavit: "Turne, *O!* spes—." Accuratus est Q. Cicero in ver. 12. carminis ei inter Ausoniana vulgo dati:

Bruma, gelu glacians, *jubare spirat* Capricorni.

Nec minus Sidonius Apollinaris, xvii. 2.

Quatuor ante dies, quam lux Sextilis adusti
Prima spiciferum proferat orbe caput—.

Male legitur in editis quibusdam, *Primo;* de correctione scribarum sciolorum, metro falsum tibicinem supponentium. Prudentius, cathem. ix. 56.

Corripit gregis suilli *sordida spurcamina.*

Neque aliter in centum locis: unde tutissime constituam ad peristeph. ix. 96.

Si qua est tibi spes, si quid intus æstuas:

scripti et editi, vel: *Spes si qua tibi est;* vel: *Tibi si qua spes est:* utrolibet in Musas graviter peccante. Ibid. x. 688.

——————— disciplinæ et exitum
Tristem suæ magistra *spectet* impia.

Corrigendum suspicor, *cernat.* Sed finis sit; nam, si omnia persequi vellem, et simili potestate literas *sc*, ac *st*, complecti, dies me deficeret satagentem, tædiumque meis lectoribus obreperet. Quali vero sit elegantiâ nomen *specimen* codicis M. in quem revertimur, ad liquidum perducent animadversiones meæ in Eurip. Alcest. 933. quæ consulendæ sunt; nam dicta alibi quid attinet repetere? His autem ad

Omnia conrident, conreptâ luce diei.
Ergo lintea, de summo quom corpore fucum
Mittunt, ecfigias quoque debent mittere tenueis
Res quæque; ex summo quoniam jaculantur utræque.

stateram recti judicii exactis, bene mecum esse actum existimabo, si lautiores homines ignoscant, quod tam venustam lectionem cum receptâ non mutaverim: et certe libenter, illis impulsoribus, mutavissem; et gustui rem gratam faciens, et auribus.

Cæterum, pro *deorumque*, Vind. M. O. Π. Σ. *deorum*. Virgilius, Æn. ii. 745.

> Quem non incusavi amens hominumque, *deorumque?*
> Aut quid in eversâ——?

Ubi pariter liber unus omittit *que*.

Ver. 78. *suo:* V. ed. *sico.*—*colore:* B. *colorem;* transpositis etiam vocabulis, *fluitare suo colorem.*—*fluitare:* Π. *fluvitare.*

Ibid. *Inficiunt colore.* Hinc mendam tollas ex vetusti poëmatis fragmento apud Anthol. Lat. Burm. i. 59. 10, 12.

> *Auroraï* ostrinum hicc' indutus supparum
> Coronam ex auro et gemmis fulgentem gerit,
> *Luce* locum *inficiens*.

Libri *afficiens*, et *Auroræ;* Musis reclamantibus. Cæterum, novas gratias huic locutioni conciliavit Prudentius, perist. x. 1025. de immolando tauro:

> Nec non et auro frons coruscat hostiæ,
> *Setas*que *fulgor* bractealis *inficit*.

Majores orationis delicatæ atque maxime accommodatæ veneres frustra quæsiveris apud optimos ævi purissimi scriptores. Videas epigramma, ad v. 699. exhibitum. Hinc Apuleius, met. v. p. 377. quem importunissime discruciant viri doctissimi, nihil intelligentes, facile explicabitur:—"pinnas, quas meo gremio nectarei fontis "*infeci*, prætotonderit:" i. e. quas *purpureas* feci, sic intingendo. Nihil dubii relinquent consulti Ovidius, amor. ii. 9. 34. rem. am. 701. et Homerus, Od. Ε. 93. Jam vero, *meo gremio fontis*, phrasis est Lucretianissima, vicies in his notis illustrata, pro *gremio mei fontis*.

Ibid. *fluitare colore.* Tertullianus, de anim. sect. 9. "Nam et cerauneis gem-"mis non ideo substantia ignita est, quod "coruscent rutilato rubore; nec beryllis "ideo aquosa materia est, quod *fluctuent* "colato *nitore*." Quæ pulchre commendant lectionem nobis modo positam ad ver. 75. Hinc vindicandus est atque explicandus Virgilius meus, ad ecl. v. 5.

> Sive sub *incertas*, Zephyris *motantibus*, umbras:

i. e. "umbras, quæ *fluitant*, dum moven-"tur auræ." Quo nihil elegantius scribi poterat, aut quod lautis hominibus impensius placebit. *Incertas*, fluitantes: ut Silius, v. 493.

> ————nutantes *incerto* pondere ramos.

Confer Lucanum, iv. 725. Præstiterit tamen fortasse amovere puncta in Maronis versu post *incertas* et *motantibus*, ut in unam periodum coalescant dictiones, et τὸ *motantibus* pendeat ex *incertas:* i. e. "*incertas* factas *Zephyris* se moventibus." Non invenuste Rutilius, itin. i. 283.

> Sed nemorosa viret densis vicinia lucis,
> *Pinea*que extremis *fluctuat umbra* fretis.

Denique, adscribam Florum, ad iii. 11. 8. —"signa, auro sericisque *vibrantia:*" i. e. fluitantia, et splendorem jaculantia; nam utramque notionem dictionis hic commisceri Dukerus pulchre perspexit: præterea, videas annotata nobis ad ii. 195. supra.

Ver. 79. *inclusa:* sic M. si fides Havercampo, et prisca Pii exemplaria: reliqui omnes, *inclaustra;* vel separatim, *in claustra:* quam locutionem, ut ut specie duriorem, pro "in modum claustrorum," vel angustiarum, tot libris consensu suo vindicantibus, vix audeo equidem temere damnare: nec tamen vulgarior scriptura *inclausa* non facile migraret in istam varie-

Sunt igitur jam formarum vestigia certa,
Quæ volgo volitant, subtili prædita filo,
Nec singillatim possunt secreta videri.
  Præterea, omnis odos, fumus, vapor, atque aliæ res
Consimiles, ideo diffusæ rebus abundant,

tatem. Consimilem mox sumus incursuri commutationem, ad ver. 616. hujusce libri.

Ver. 80. *magis:* V. ed. *magnis.*—*hæc:* P. *hic.*

Ibid. *perfusa lepore conrident:* committas notata ad ii. 147. 501. has sermonis elegantias haud mediocriter illustrantia: actum enim agere profecto non collibet.

Ver. 81. *conreptâ:* P. V. ed. B. *concepta;* etiam eleganter: sed nostra lectio vividior aliquanto est, et efficacior; nec non remotior a vulgari poëtarum usu. Illud *concipere ignes* ubivis occurrit. Loci spiritus, ac tenor, mihi persuasionem incutit, Lucretianam dictionem esse Ovidio redonandam, ad met. i. 255. nam evulgata lectio *Conciperet* non assurgit ad vigorem sensûs:

> Sed timuit, ne forte sacer tot ab ignibus æther
> *Conriperet* flammas, longusque ardesceret axis.

Sentisne leviorem vocem *Conciperet* parum adimplere dignitatem loci? Virgilius, ecl. viii. 105.

> Adspice, *conripuit* tremulis altaria *flammis*
> Sponte suâ, dum ferre moror, cinis ipse—.

Conferas Manilium, i. 819. 879. Sic etiam Tacitus plus semel, aliique.

Ibid. *conrident.* Exemplum nobis rarissimæ dictionis biblia vulgatæ versionis etiam suppeditant, ad Gen. xxi. 6. "Risum fecit mihi Deus: quicunque audierit, *corridebit* mihi." Et onomasticon vetustum eandem agnoscit: "*Conrideo*, *συγγιλω*." Faber in lexico locum insuper apposuit ex Augustino; quem videas.

Ver. 82. *quom:* P. *ceu;* de qua permixtione, vide Drakenborchium, ad Sil. It. i. 362. et in O. sic versus integer comparuit:

> Ergo, *velut* summo de corpore lintea fucum—.

Ver. 83. *ecfigias:* P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Ω. *effigies.*

Ver. 84. *quæque ex:* Δ. *quoque de.*—*quoniam:* V. ed. *qum;* vide ad ver. 501. B. Π. *cum:* error natus est ex compendio *qm;* quam commutationem animadverterunt Scaliger, ad Catull. ii. 5. et Drakenborchius, ad Liv. iv. 29. 6.—*jaculantur:* Vind. V. ed. B. Θ. Δ. Π. Σ. Ω. *jaculentur;* adeo ut pronus sim ad suspicionem de omissione cujusdam voculæ, quæ fugitiva fortassis ita in stationem suam revocabitur:

> —— ex summo *quom sic jaculentur* utræque:

sed hariolamur sine libris frustra.—Ceterum, si cordi sit, *το jaculentur* in absoluto sensu possis accipere, ad Cari nostri consuetudinem. Sic etiam Græci; ut Homerus Il. E. 113.

> *Αιμα* δ' ΑΝΗΚΟΝΤΙΖΕ *δια στρεπτοιο χιτωνος*.

Ver. 85. *certa:* P. *cæca;* male: nam respicitur ad experientiam rei visæ certæque, in ver. 73. unde non visa et incerta, sive testimonio sensuum minus obvia, generaliter concluduntur.

Ver. 86. *subtili filo:* i. e. *texturâ* parum crassâ; quibus opponuntur *contexta condensaque*, in ver. 55. et redeas ad ii. 341. Apuleius, met. iv. p. 288. ed. Oud. —"unicam virginem, *filo* liberali—."

Ver. 87. *singillatim:* V. ed. *singulatim.* —Vox *singillatim* vult, "has formas non particulatim, vel per partes singulas, ex quibus constant, oculis usurpari; sed universe tantummodo, et in effectu suo generali." Glossator vetus: "*Singillatim* *καθ' ἑκαστον*."

Ex alto, quia, dum veniunt extrinsecus, ortæ,
Scinduntur per iter flexum; nec recta viarum
Ostia sunt, quâ contendunt exire coorta.
At contra, tenuis summi membrana coloris
Quom jacitur, nihil est, quod eam discerpere possit;

Ver. 88. *odos:* sic Nonius Marcellus, ex antiquioris consuetudinis orthographiâ: vide nos ad vi. 952. B. *dolor;* vox abest Π. reliqui omnes libri, *odor:* confer sis Plaut. capt. iv. 2. 35. Curc. i. 2. 9. Pseud. iii. 2. 52. Priscian. lib. i. p. 557.—*aliæ:* Vind. V. ed. B. L. Σ. *alia.*

Ibid. *odos—diffusæ.* Virgilius committendus est, ut emendatior legatur, ad geo. iv. 415.

Hæc ait, et liquidum ambrosiæ *diffundit odorem:*

quum ista scriptio certissime mendosa sit, et loco debet cedere alteri libb. MSS. lectioni, *defundit:* nam rationes harum dictionum facillime poteris ad liquidum perducere, et indubitatam sententiam pronunciare. *Diffundere* potest "quaquaversum "spargere;" ut odos, fumus, et vapos, Lucretiani disseminantur undique: *defundere* autem, "de aliquâ re in aliam "deorsum fundere;" quod fecit Cyrene, sucos ambrosios de majore vase fundens in manum, vel in minus, quo melius Aristæus odore perduceretur. Nihil verius, aut manifestius, hac distinctione. Si Cyrene *diffudisset* odores istos, disperditi in humum et in auras evanuissent. Loca nonnulla subinde nobis obversantur, de quibus non ita est in promptu decernere confidenter. Hoc de genere dixerim esse Virgilianum versum, Æn. x. 908.

Undantique animam *diffundit* in arma cruore.

Par codicum, *defundit:* et cogitare possis, vel "animam sanguineam *deorsum fundi* "per vulnus in arma," vel "undique "*dispergi*, et dissipari:" quem posteriorem sensum in animo poëtæ fuisse libentius judicaverim, aliis multis locis consimilibus potissimum devictus. Idem, sit idem modo, in Copâ, ver. 11.

Est et vappa, cado nuper *diffusa* picato.

Ibi haud dubie sincerissima est duorum codicum varietas, *defusa;* quam viros doctos recte antetulisse video. Burmannum adeas in Gratii cyneg. 474. cum Oudendorpio, ad Lucan. iv. 82. qui tamen minus accurate et dilucide vim verbi *diffundo* conatus est exponere. Glossator vetus se dedit horum vocabulorum exactissimum interpretem: "*Diffundo*, διαχεω. *De*-"*fundo*, ΜΕΤΑΧΕΩ, καταχεω." Sic castigandus est error crassissimus, μετακενω. Gesnerus vero, ad Horat. epist. i. 12. 29. de his vocibus crisin pinguissimam interposuit, et ne per nebulam quidem ad veritatis umbram vel tenuissimam penetrare valuit. Non auscultandus est Heinsius insuper, ad Ovidii fast. v. 517.

Quæque puer quondam primis *diffuderat* annis,
Prodit fumoso condita vina cado:

corrigens, *defuderat;* nam *diffundere* hic significat, "de doliis aut seriis in multa "minora vasa dispertiri:" vide sis Columell. xii. 28. 3. Lucan. iv. 379. Burmanni; Juvenal. v. 30. xi. 159. Plin. nat. hist. xiv. 16. Horat. epist. i. 5. 4. Vegetius, de art. veterin. i. 45. 4.—"ad cornu per "sinistram narem *diffundis.*" Lege, cum libris aliis, *infundis.*—Ibidem, ii. 6. 9.—"simili ratione *diffundes* in fauces." Corrige, *defundes.* Utramque emendationem tibi confirmatam præstat ipse Vegetius, ad iii. 15. 12. quem consulas. Rarior vox *defundere* sæpius est ejecta usitatiore; contrarium vero videtur accidisse Juvenali, sat. iii. 227. si recte videam:

Hortulus heic, puteusque brevis, nec reste movendus,
In tenuis plantas facili *defunditur* haustu:

nam multo elegantius et accommodatius rei fuerit τὸ *diffunditur;* vel "undique "seritur, ac late dispergitur per planta-

In promptu quoniam est, in primâ fronte locata.
Postremo, speculis, in aquâ, splendoreque in omni,
Quæquomque adparent nobis simulacra, necesse est,
Quandoquidem simili specie sunt prædita rerum,
Esse in imaginibus missis consistere eorum.
Nam, quur illa cadant magis, ab rebusque recedant,

"ria:" neque aliter offendi scriptum in optimæ quidem notæ codice MS. Cantabrigiensi. Nempe, non fingitur sponte *defluere*, sed hortulani manibus deduci et derivari in scatebras, ut herbas irriget. Aliter se res habet in Hippolyto Senecæ, ver. 513.

——— sive fons largus citas
Diffundit undas, sive per flores novos
Fugiente dulcis murmurat rivo sonus:

ubi Gronoviorum maximus jure prætulit ac vindicavit duorum codicum scripturam, *Defundit*. Sed illuc revertamur.

Ibid. *fumus abundant.* Maro, Æn. ii. 609.

——— mixtoque *undantem* pulvere *fumum*.

Ver. 90. *alto:* V. ed. B. *alta.—extrinsecus:* Δ. Π. et Σ. *intrinsecus;* ut editi quidam, libris optimis pluribusque contra stantibus. Ordo est: " Quia res, ex alto " ortæ," (i. e. ex partibus internis ac penitissimis; vide ver. 71.) " dum veniunt " extrinsecus," (i. e. ad externam superficiem, vel extra versus) " scinduntur per " iter flexum." Similiter accipiuntur aliquando cognatæ voces Græcæ, ἔξω et ἔξωθεν.

Ver. 91. *per iter:* B. Π. Σ. *pariter.—flexum:* B. *fluxum.*

Ver. 92. *contendunt:* L. M. *contendant.—coortæ:* P. Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *coorta;* fortasse vere, et ad morem Lucretii, non morose præcedentem dictionem *res* in animo tenentis; ut nuper ad ver. 47. et mox, ver. 99. Nec tamen ex animo prorsus fuerit in hoc loco rescribere *coorta;* ob *ostia*, quod præivit, eodem genere. Standum est igitur codicibus B. L. M. si modo verum de illorum testimoniis sciamus. Mox autem B. *colore.*

Ibid. *contendunt exire.* Hyginus, poët. astron. ii. 16. init. de *aquilâ:*—" quæ sola " tradita est memoriæ contra solis exori- " entis radios *contendere volare.*" Ita locus certissime constituendus; nec curandæ sunt de minimo doctorum virorum suspiciones.

Ver. 94. *possit:* Π. *possis;* atque, in sequente versu, V. ed. L. *promptum.*

Ver. 95. Plures editores ad *promptu* distinctionem posuerunt; nos videmur nobismetipsis venustius hanc rem administrasse: neque aliter editor Vindobonensis.—Et animadvertant lectores velim copiam diffusilem, quâ redundat orationis Lucretianæ vena. Conferas i. 879.

Ver. 96. *speculis:* P. *in speculis;* quod inscite placuit editoribus: nam tuto hoc imputes supplementum indocto scribæ, qui Latinitatem laborare sine copulâ falso arbitratus est, nominibus sequentibus annexâ. Meas animadversiones inspice, rem clarantes, ad Bion. i. 81. Ita peccant editores iterum, ad ver. 148.

Ver. 99. *Esse in:* sic utraque Aldina cum Juntinâ quoque, et P. qui nullam codicum varietatem memorat: at omnes libri reliqui MSS. cum V. ed. ac Vind. *Ex imaginibus;* Musis indignissimum facinus detestantibus. Si sit ex conjecturâ primitus hæc emendatio, viri solertia, quisquis excogitator certissimæ lectionis fuerit, omni laude cumulanda est, et Lucretii ab amatoribus ingentes gratiæ habendæ. Illud *in* facile periret ob syllabam sequentem *im;* et duplex *ss* cum *x* centies commutata est: vide nos ad i. 835. In codice Can-

Corpora, res multæ quæ mittunt corpore aperto,
Quam quæ tenuia sunt, hiscundi est nulla potestas.
Sunt igitur tenues formarum, dissimilesque,
Ecfigies, singillatim quas cernere nemo
Quom possit, tamen, adsiduo crebroque repulsu
Rejectæ, reddunt speculorum ex æquore visum:

tabrigiensi, ad Juv. sat. i. 60. *axe* scribitur *asse;* et rursus ad sat. x. 116. ut alibi pariter sæpiuscule. *Esse* autem, *τὸ Εἶναι*, vel *essentia:* et similem habes formulam in hoc libro, verr. 769. 835. Hinc, *ακριβειαν* distinctionum in doctis Phædri cultissimi editoribus desiderari fidenter affirmaverim, ad fab. iii. 7. fin.

Regnare nolo, liber ut non sim, mihi:

i. e. opinor, "nolo mihi regnum, ut non "sim liber." Cæterum, nemo, vel editor vel interpres, ad mentem Lucretii in hoc versu pervenire quivit; quæ ad hunc modum capienda est: "Necesse est eorum "corporum, quæ simulacra ex superficie-"bus splendidis remittunt, essentiam con-"sistere adumbratam in his imaginibus; "adeo ut quodlibet manamen sit rei illi-"us unde emanaverit, subtilissima licet, "vera nihilo minus, repræsentatio." Hinc autem pendet quam maxime tota Epicureorum ratio: nam, si totum corpus ex innumeris hisce constet imaginibus, superficialiter constipatis; et istæ sint imagines ex corpusculis insecabilibus conformatæ, ad liquidum perducitur atomorum ratio, et in tuto navigat. Mos autem ille Lucretianus in *eorum*, de præcedente substantivo *rerum* minime solicitus, (vide nos ad ver. 92.) viros, me longe sagaciores et doctiores, haud dubie ludificatus est.

Ver. 100. Repetuntur hi versus a ver. 63. superius, ut argumentum rite concludatur, et ad summam disputationis hujusce revocetur, atque resuscitetur, lectoris recordatio.

Ibid. *quur illa:* i. e. crassa illa simulacra, ut ut de speculis tantummodo et perquam tenuia, quæ possunt oculis tamen contingi, præ illis, quæ ex quibusdam corporibus effunduntur, et contentissimam atque acutissimam oculorum aciem penitus eludunt.

Ver. 101. Deest versus Vind. V. ed. L. O. Σ. Ω. nec sane, si reliqui libri consensissent, magnum sui desiderium nobis incussisset; quamvis ab ubertate solitâ Lucretii, atque evidentiâ, non abhorreat. —*multa:* P. *multas;* mendosissime, et fortassis ob incuriam typographi.

Ibid. *corpore aperto:* conferas i. 298. Eleganter autem atque exquisite parem voci potestatem Virgilius tribuit, ad Æn. vi. 406.

At ramum hunc (*aperit* ramum, qui veste latebat)
Adgnoscas——.

Consulas enim vero Servium ibidem.

Ver. 102. *Quam:* V. ed. L. Π. Σ. Ω. *Nam.*—*hiscendi est:* P. *ostendit;* Vind. O. Δ. Π. Σ. Ω. *ostendi est;* V. ed. *ostendist;* L. *iscendi est;* sed erasâ, quæ prima steterat, literâ. Nempe eadem fidelia duos parietes dealbavit: redi ad ea, quæ minutius et scrupulosius deduximus in ver. 64. superius.

Ver. 103. *Sunt igitur*—. Orditur scilicet ex re quasi concessâ, et demonstrationibus communis experientiæ stabilitâ; atque post generalem conclusionem tenorem persequitur argumenti sui.

Ibid. *dissimiles:* sic universi libri vetustiores, tum exarati manu, tum effigiati typis; editores tamen non dubitavere somniculosis commentis suis Lucretii sinceritatem violare, rescribendo, *consimiles:* quia nimirum poëtæ mentem non fuerint penetrando; quæ proinde, ne nihilo nasutiores habeat atque intelligentiores assèclas, per ampliorem interpretationem xi-

Nec ratione aliâ servari posse videntur
Tanto opere, ut similes reddantur quoique figuræ.
Nunc age, quam tenui naturâ constet imago,
Percipe; et in primis, quoniam primordia tantum
Sunt infra nostros sensus, tantoque minora,
Quam quæ primum oculei cœptant non posse tueri.

detur hoc tempore saltem aperienda. Sic igitur rem concipio: "Ex supra dictis "igitur manus dandum est, multas esse "tenues effigies, prioribus quâdam tenus "dissimiles, quia non cadant quidem sub "oculorum aciem, æque referant tamen, "perpetuis repulsibus reflexæ et effictæ, "formas illis re verâ cognatas, quæ cer-"nuntur per successionem in æquore spe-"culorum: neque ulla alia hypothesis, "præter hanc, perpetui scilicet manami-"nis particularum reflexarum, fingi que-"at, unde ea similitudo, quæ conspici-"tur, imagini cum corpore conservetur."

Ver. 104. *Ecfigies:* Vind. II. *Effigiæ*, ut vulgares editi: sed optimis libris auscultare malim.—*singillatim:* V. ed. B. *singulatim*. Libri similiter fluctuant in hac voce ad Cæsar. de bell. Gall. iii. 2. 3. et ad Hygin. poët. astron. lib. ii. init. ad quos locos consulendi sunt Oudendorpius, et Van Staveren.

Ibid. *Ecfigies formarum*. Hanc locutionem Arnobius arripuit, lib. iii. p. 107. cujus integra periodus, et gravis et venusta, lauto lectori non displicebit: "Nostra de hoc sententia talis est: Naturam "omnem divinam, quæ neque esse cœpe-"rit aliquando, nec vitalem ad terminum "sit aliquando ventura, lineamentis ca-"rere corporeis, neque ullas *formarum* "*effigies* possidere, quibus extima circum-"scriptio membrorum solet coagmenta "finire."

Ver. 106. *Rejectæ:* V. ed. *Rejectare*.—*reddunt:* II. *redeunt;* et, in sequente, *videtur*.

Ibid. *speculorum æquore:* i. e. æquâ lævique superficie speculorum: videas quæ diximus ad iii. 905. Hinc autem nos exorsi dabimus operam emendare locum Lucani, criticis egregie vexatum, et qui vicissim criticos egregie vexaverit, ac relictus sit plane deploratus. Legitur nimirum in Phars. vii. 199.

Venit summa dies, geritur res maxima, dixit;
Inpia concurrunt Pompeii et Cæsaris arma.
Seu tonitrus, ac tela Jovis præsaga, notavit;
Æthera seu totum discordi obsistere cœlo,
Perspexitque polos; seu *lumen* in *æquore* mœstum
Solis *inobscuro* pugnam pallore notavit.

In versu quarto scribit Burmannus *Aëra*, contra MSS. multo majorem numerum, et optimæ notæ vetustum pulcherrimumque in Academiâ publicâ Cantabrigiensi, olim T. Rotherami librum, archiepiscopi Eboracensis, quem nos contulimus; quod eadem vox in sequente versu statim repeteretur, nobis, nisi fallimur, feliciter sublata. *Lumen* etiam, non *numen*, scribitur in eodem Cantabrigiensi. Cæterum, *inobscuro* ὑφ' ἓν rescripsimus; unde omnis scabrities pulchre tollitur recoctæ præpositionis *in*, omnino poëtæ politissimo abjudicanda. Verbum *inobscuro* legitur in Cicerone, et *inobscurabilis* in Tertulliano. De confusione dictionum *æther* et *aër*, egimus ad iii. 1057. et alibi: *lumen* et *numen* iterum permiscentur ad Lucan. i. 452. Ovid. ex Pont. ii. 8. 67. Anthol. Lat. Burm. iv. 13. 18. et Virg. geo. i. 6. ubi nos videndi. Denique, de permixtione nominum *æquor* et *æther*, consulas Drakenborchium, ad Sil. It. i. 258. et nos ad Virg. ecl. i. 59. Jam vero *solis æquor* pro "lævissimo disco solis ac "nitidissimo" nemo non confitebitur esse et commodissimam et elegantissimam locutionem. Accius in Atreo apud Nonium, x. 4.

Nunc tamen, id quoque utei conformem, exordia rerum
Cunctarum quam sint subtilia, percipe paucis.
Primum, animalia sunt jam partim tantula, ut horum
Tertia pars nullâ possit ratione videri.
Horum intestinum quod vis quale esse putandum est?
Quid cordis globus, aut oculi? quid membra? quid artus?

Sed quid, tonitru turbida torvo,
Concussa repente, *æquora cæli*
Sensimus sonere?

Ver. 109. Locus, quem ex Diogene Laërtio Lambinus admovit, ut hæc Lucretii illustraret, exstat lib. x. sect. 47. et hoc modo, partim de anecdotis Græcis Villoisoni emendandus est: *Χρησιμον δη και τουτο κατασχειν το στοιχειον· ειθ', ὅτι τα ειδωλα ταις λεπτοτησιν ανυπερβλητοις κεχρηται*, ΟΤΘΕΝ *αντιμαρτυρει των φαινομενων*. Illud ineptissimum *χρηστα*, quod *ειδωλα* præcedit in editione Meibomii, arreptum est oculo librarii, in *χρησιμον* prioris lineæ evagante.
Lucretius autem minime incipit docere jam nunc, quod Lambinus existimabat, imagines esse *tenuissimâ naturâ* præditas; hoc enim esset actum agere: sed accingitur, ut ostendat *quam tenui* sint illæ naturâ; et argumenta profert, unde mens lectoris quodammodo valeat suis sensibus effingere inenarrabilis subtilitatis hujusce notionem tantulam, imperfectam saltem atque crassiorem: quæ longe alia res est, nec supervacanea.

Ver. 112. *quæ:* V. ed. *que;* B. *quo.*—*primum oculei:* Δ. *oculi primum.*—*cæptant:* Ω. *roptant.*

Ibid. Cum his componas i. 593—596. et ibid. ver. 750—754.

Ver. 113. *conformem:* sic Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. elegantissime quidem, si quid est in me judicii, et longissime supra sensum narium obesarum, quæ plebi librariorum contigissent. Vulgo, *confirmem;* ut reliqui libri veteres. *Utei conformem* vero, valet "ut *formis* quibusdam quasi, et ope "similitudinum apertarum, tibi manifes- "tem, quam subtilia primordia rerum "sunt." Hic autem sensus ad sequentia pulcherrimam habet et aptissimam convenientiam: id, quod statim lector sentiet. Huic verbo conjuncta sunt *τα Αποτυπουν, Εκτυπουν*, et *'Υποτυπουν*, Græcorum; atque usum similem apud scriptores optimos sortita. In sequente versu, B. *sunt.* Cæterum, ad frequentes commutationes verborum *firmo* et *formo* probandas, unus sufficiet nobis Drakenborchius, ad Liv. iv. 7. 3.

Ver. 115. Ad hunc modum hi duo versus in editis vulgaribus exprimuntur:

Primum, animalia sunt jam partim tantula, *eorum*
Tertia pars nullâ *ut* possit ratione videri.

Jam vero illud *ut* secundi versûs editoribus debetur, et ab omnibus exemplaribus vetustis exsulat. Pro *eorum*, Pius in notis, sui, ut videtur, oblitus, et scriptos libros per incogitantiam referens, nec voluntarius, (nam *eorum* posuerat in contextu) præbet *horum;* O. Δ. *ut horum;* Ω. *eorum ut.* Sane hiatus est ad stationem solitam *τε ut* in Π. sed me, sic ut edidi, prudenter edidisse valde sentio, et lectores nasutos habiturum esse collaudantes ambigere vix valeo.
Porro, fateor me non clare perspicere, quo modo rationes loci sint explicandæ. Utrum hoc sensu: "Partim animalium "sunt eâ tenuitate, ut, si dividas in tres "solummodo partes, ne una quidem ex "his partibus contentâ oculorum acie "contingi possit:" quæ ratio, utcunque longius petita videri potest, vim nullam verbis infert: an rursus ad hunc modum: "Sunt animalia tam parva si in frusta "seces, ut magna pars (i. e. tertia) isto- "rum animalium, ita habita, videri ob

Quantula sunt? quid præterea, primordia quæque,
Unde anima, atque animi constet natura necessum est,
Nonne vides, quam sint subtilia, quamque minuta?
  Præterea, quæquomque suo de corpore odorem
Exspirant acrem, panaces, absinthia tetra,
Abrotoneique graves, et tristia centaurea:

"tenuitatem nequeat." Quæ si sit expeditior expositio, sensu vocis *partim* innititur, qui exemplo caret: amplector igitur priorem explicationem.

Ver. 117. *Horum:* sic P. L. et Nonius Marcellus, iii. 114. i. e. *Horum* tantulorum animalium: sed reliqui omnes libri et membranæ vetustæ, *Harum:* i. e. partium animalis: in quam lectionem ut propendeam facit tot exemplarium unanimitas; nec vulgatâ tamen non contentus, si verum egerit de codice suo L. Havercampus.—*quod vis quale putandum est:* M. *quo quis qualet putandum.*

Ver. 118. *cordis globus.* Animadvertant lectores laxiorem et minus accuratum dictionis *globus* usum de *corde*, cui turbinatior est figura; sed hæ liberiores indulgentiæ concedendæ sunt poëtis, quos metri necessitas excusat. Et *artus* etiam nomine pro *minoribus membris* videtur abuti: videas me ad iii. 152. de differentiâ verborum, satis quidem lectori cognitâ.

Ver. 120. *anima:* O. *animæ.*—*necessum:* M. Σ. *necesse;* sed hic vulgatum habet in margine.

Ver. 123. *Exspirant:* Π. *Spirant.*—*acrem:* P. *acris;* V. ed. *aërem;* B. *aëris.*—*panaces:* P. *panace;* Δ. *panathos.*—*apsinthia* etiam P. propius ad Græcum αψινθον.

Ibid. *acrem odorem:* i. e. δριμειαν οδμην· acerbum, acutum, vel amarum. Plinius, nat. hist. xxi. 18. "Abrotonum et amaracus *acres* habent *odores.*" Hinc emendatione longe certissimâ Virgilium mactabimus, ad Æn. xii. 591. ubi menda jam inoleverat ætate Servii, quem novitas locutionis haud leviter cruciavit:

Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor
Vestigavit apes, *fumo*que inplevit *amaro;*
Illæ intus, trepidæ rerum, per cerea castra
Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras.
Volvitur *acer odor* tectis——.

Evulgari solet, *ater odor.* At vestram fidem, Physici! nobis edissertate quisnam sit ille demum *ater odor?* cui *gustum album*, vel *auditum cæruleum*, pulchre comparaveritis. *Acer* utique, vel asper, fit odor ob *amaritudinem* fumorum. Propertius, ii. 24. 30. probe apponetur:

Pampineus, nosti, quam sit *amarus odor.*

Acerbum vocitat Valerius Flaccus, iv. 493.

Fragrat *acerbus odor*, patriique *exspirat* Averni
Halitus——.

Jam vero literæ *c* et *t* passim commutantur; nec mirum, quum sint formis simillimæ: sæpenumero commutantur etiam voces integræ *acer* et *ater:* vide nos ad iii. 502. et nuper, ad ver. 64. hoc libro; cum Drakenborchio, ad Sil. It. v. 154. xvii. 250. Qui sequuntur autem hunc versum porro usque ad ver. 192. desiderantur in V. ed. et B.

Ver. 124. *Abrotonei:* L. M. *Habrotoni:* sed laboris esset fastidiosissimi tales varietates membranarum veterum percensere, nam numero sunt innumerabili: supersedendum itaque putavimus, nisi quoties de verâ orthographiâ vocis cujus libet hactenus ambigatur.
Cæterum, ad hunc Cari versum effictus est unus Virgilianus, geo. iv. 270.

Cecropium*que* thymum, *et* grave olentia *centaurea.*

Servius ibidem de *centaurio:* "Folia sunt lata et oblonga, *serrata*, ambitu densa a radice—." Corrige et constitue:—

Quorum unum quid vis leviter si forte movebis,
Quin potius noscas rerum simulacra vagare
Multa modis multis, nullâ vi, cassaque sensu:
[Quorum quantula pars sit imago, dicere nemo est
Qui possit, neque eam rationem reddere dictis.]
Sed, ne forte putes ea demum sola vagari,

" *serrato* ambitu, densa a radice—:" sic enim Plinius, nat. hist. xxv. 30. 19. unde sua, leviuscule immutata, grammaticus hausit.—*Tristia* autem, *amara;* ob effectum in tractantis ora, speciem *tristitiæ* induentis; uti pulchre Virgilius, geo. ii. 246.

At sapor indicium faciet manifestus, et ora
Tristia tentantum sensu torquebit *amaror.*

Idem ibid. i. 75. " *tristis* lupini:" i. e. amari; ut Servius Noniusque interpretantur, quorum prior ad locum fructuose consuletur. Vide nos, i. 943.

Ver. 125. *Quorum:* sic P. M. O. Δ. Π. Ω. editi, *Horum;* ex correctore, haud dubie, exquisitiorem orationis seriem nec tolerante, nec callente.—*quid vis:* sic L. M. O. ad antiquiorem usum scilicet, prout passim Plautus Terentiusque; reliqui, *quodvis.*—*movebis:* sic P. sed Δ. *ciebis;* quæ Lambini quoque est emendatio, ita scribentis, quod propius absit ab antiquâ scripturâ reliquis exemplaribus constantissime exhibitâ, *duobus* nempe: unde non ægre equidem in Havercampi sententiam concesserim, judicantis versum ob scribarum incuriam excidisse; quo facto locus omnino inemendabilis relinquendus est, donec membranæ fideliores opitulentur.

Ver. 126. *Quin potius:* sic Vind. L. M. O. Δ. Σ. Ω. sed Π. *Quando potius;* solus P. ut editiones vulgares, *Quam primum.* De diversis significationibus, quas vocula *quin* nacta est, Gellius disputat, in noctt. Att. xvii. 13. hoc autem laboriosâ disquisitione ventilare nec frugiferum videtur, nec tempestivum jam nunc, ob suspicionem impendio probabilem dilapsi versûs: et profecto frivolis σκιομαχιαις nolim bonas horas perdere.—*vagare:* P. Vind. L. O. Π. Σ. *vagari:* redeas autem ad iii. 628.

Ver. 127. *modis multis:* Π. *multimodis.*

Ibid. *cassaque sensu.* Alii interpretantur *privata sensu,* quasi id ageret Lucretius, ne hæc simulacra sensum non habere nesciamus. At vero, *nullâ vi, cassaque sensu,* melius interpreteris, " Quæ " vi tam debili feruntur, ut organa mo- " vere, sensumque excitare, non possint." Creechius.

Ver. 128. Hicce versus, cum sequente, spurius haud dubie est, atque insititius; et, quamvis in P. compareant, absunt cæteris exemplaribus ad unum, quâ scriptis, quâ typographis; adeoque cancellis circumsæptos exhibere volui.

Ver. 130. *ea demum:* M. *eadem.*—*vagari:* multæ editiones, *vagare;* libris omnibus invitis.

Ver. 132. *sponte suâ.* Sic alii passim: Ammianus autem Marcellinus extra vulgarem phrasem evagari voluit, in xiv. 6. —" nusquam a veritate *sponte propriâ* " digressurus."

Ver. 133. *hoc cælo, qui dicitur aër:* nam constituebantur ab Epicureis cœli plures; vide ii. 1096. et *aërium cælum* Virgilius pariter agnoscit, ad geo. i. 51.

Ventos, et varium *cæli* prædiscere morem—:

ubi Servius Lucretii positum versum laudat, et repetitâ vice ad ejusdem Æn. v. 18.

——— hoc sperem Italiam contingere *cælo.*

Ver. 134. *facere:* sic optime M. codex; cui proinde magnæ sunt gratiæ referendæ, nam reliquorum librorum lectio, quæ pervagata est recentia exemplaria, το *facile,* ineptissima videtur, et vel furcis expellenda. Hinc autem pernecessarius fit,

Quæquomque ab rebus rerum simulacra recedunt;
Sunt etiam, quæ sponte suâ gignuntur, et ipsa
Constituuntur in hoc cœlo, qui dicitur aër:
Ut nubes facere interdum, quom crescere in altum

et cordato nemini coarguendus, ingenii nostri fetus, *quom*, vel *cum*, *crescere*, vice vulgati *concrescere:* hinc enim lux omnibus oboritur; hinc venustas et connexio. Jam vero *con* et *quom* centies minimum in Lucretii carminibus confusa sunt: in quam rem delegandus es, si memoriâ non teneas, aut his conjecturis forte sis iniquior, ad i. 493. 575. 818. 1076. ii. 153. 175. 679. 903. iii. 149. 740. et Burmannum, in Lucan. ix. 461. nam Divam Criticen fautricem habet, si quævis demum alia, hæc emendatio. In excellente codice Juvenalis, qui publicæ bibliothecæ est in Academiâ nostrâ Cantabrigiensi, a me sæpiuscule memoratus, ad sat. i. 32. pro *cum veniat*, habet *conveniat;* ad vii. 115. pro *Consedere*, *Cum sedere;* ad ix. 61. pro *conlusore*, *cum lusore;* ad xii. 33. pro *conferret*, *cum ferret;* ad xvi. 39. pro *cum vetulo* denique, *convetulo.*—in *altum:* sic P. verissime, atque cum elegantiâ minime vulgari, loco *alte;* i. e. "in pro-" "funditatem atque crassitudinem," unâ serie nubium super aliis sensim nubibus agglomeratâ. Legitur in reliquis, *in alto;* quam frigide! Sed fons erroris in aperto est: nempe ex *altō*, vel *altom*, nullo negotio effictum est, quod nos felicibus auspiciis eliminavimus: vide nos ad iii. 647. 1043. et alias sæpenumero. Hinc est quod in eodem codice Juvenalis Cantabrigiensi, de quo nuperrime, ad sat. vi. 5. *toro*, vice *torum*, scribitur, virgulâ in *torō*, pro *torom*, omissâ, vel erasâ lapsu temporis. Apud eundem librum, ad sat. x. 300. librarius quidam receptam et sincerissimam scripturam *modesto*, pro *modestō*, vel *modestom*, male cepit; quod jam migravit in *modestum*. Sed in viam. Cæterum, is ordo versuum, quem nos exhibemus, auctores habet omnes veteres libros, in quibus comparent; nam desunt membranis Δ. Editores hunc versum et sequentem collocare solent post illum, qui nobis est ver. 138. Quibus de caussis ad hunc modum non erubuerint boni viri Lucretium nostrum tam fede luxatum, tam crudeliter deartuatum, reddere, statim manifestissime patebit. Denique, *nubes* scribimus, non *nubeis;* nam in nostris libris melioribus non offendimus *nubis* in quarto casu: et verissime, quum primitus fluat a recto *nubs;* de quo Marklandum consulas in eruditissimo et perquam ingenioso tractatu de tert. Latin. declinat. p. 230. ad im. Glossæ veteres: "*Nubs*, nu-" "bis, νεφος."

Ver. 135. *et mundi:* Π. *ut mondi:* et idem *specimen*, pro *speciem;* de quâ permutatione videas notata ad v. 187. et quæ nos egimus nuper, ad ver. 77. Hanc autem lectionem impense probo; nam *specimen* multo magis notionem dignitatis cujusdam et nitoris complectitur, adeoque huic loco magis idoneum est vocabulum: ne dicam τo *speciem*, ingrate repetitum, statim sequi. Multus est in eo Apuleius, ad sensum *nobilis spectaculi*, vel *pulchræ venerabilisque formæ*. Voces confusæ sunt librariis ad Rutilii itin. i. 544.

Virtutis *specimen* corde vidente petat:

quam lectionem, ut exquisitiorem sane atque efficaciorem, jure prætulerunt nonnulli docti viri vulgatæ *speciem*, dissentiente tamen Wernsdorfio; perperam. Apuleius ille, met. iv. p. 302. "Jam multi" "mortalium longis itineribus, atque *la-*" "*tissimis* maris meatibus, ad seculi *speci-*" "*men* gloriosum confluebant." Sic Oudendorpius optime rescribi vult, pro *altissimis*. Idem ibid. lib. xi. init.—"*augus-*" "*tum specimen deæ* præsentis statui de-" "precari." Locus denique Lucretii, ad hunc modum constitutus, honoribus in-

Cernimus, et mundi speciem violare serenam;
(Quæ, multis formata modis, sublime feruntur,
Nec speciem mutare suam liquentia cessant)
Et quoiusque modi formarum vortere in oras,

taminatis tandem effulgebit, poëseos ornatissimæ gloriosum specimen:

> Ut nubes *facere* interdum, *quom crescere* in *altom*
> Cernimus, et *mondi specimen* violare *serenom.*

Jam vero, si paleæ desiderium tibi post degustatum triticum salivam moveat, vulgata sunt gingivis tuis commanducanda:

> Ut nubes *facile* interdum *concrescere* in *alto*
> Cernimus, et *mundi speciem* violare *serenam.*

Quid autem? anne hæc condimenta sunt salse saporata, an prorsus obsurdescit tibi palatum scilicet?—Porro, vice vulgatæ lectionis *violare*, in P. *violasse* scribitur.

Ibid. *mundi speciem violare.* Phrasim elegantissimam Lucani lepos adhibuit, Phars. ix. 462.

> ——— quantumque licet consurgere fumo,
> Et *violare diem*, tantum tenet aëra pulvis.

Claudianus etiam non oculis nullis observaverat, in Rufin. i. 63. Loquitur Alecto; et, quum spiritum valde sublimem spiret locus, si meis e manibus, prout est dignissimus, prodeat emendatior, ecquid erit a lectoribus nasutis præmii?

> Jam cupio Stygiis invadere nubibus astra,
> Jam flatu *violare diem*; laxare profundo
> Frena mari, ruptis fluvios immittere ripis,
> Et rerum *versare* fidem:

i. e. "ita *invertere* fidelia rerum fœdera, "ut eant omnia naturæ legibus contra-"ria." Insana est in membranis varietas scripturæ; *vexare, lapsare, laxare, lacerare, vetare, turbare* denique. Nostra divinatio in germanissimam Claudiani manum videtur incidisse: compone Virg. ecl. ix. 5. geo. i. 119. cum geo. i. 65. ii. 141. Vulgo, *vexare;* in quibus dictionibus confundendis librarii non raro peccavere: vide nos, ad ii. 3.—Cæterum, pro *mundi*, vel *cæli*, *speciem* et *specimen*, usitatior est phrasis *cæli facies:* vide Phæd. fab. iv. 16. 5. Aurel. Vict. orig. gent. Rom. xiv. 3. Mamert. paneg. Max. Aug. vi. 4. et alios. Sed enim Ammianus Marcellinus, ad xvii. 7. receptæ Lucretii scripturæ adstipulatur: "Primo lucis exortu, "die nono cal. Septembrium, concreti "nubium globi nigrantium, lætam paullo "ante, *cæli speciem* confuderunt; et, "amandato solis splendore, nec contigua "vel apposita cernebantur: ita oculorum "obtutu *præstructo*, humo involutus cras-"sæ caliginis squalor insedit." Ita reponendum: vulgo, *præstricto;* quæ dictio nullam hic opportunitatem habet: vide nos ad iii. 1057. Certa est hæc emendatio.

Ver. 136. Hic versus deest Δ. Π. et duos sequentes etiam Vind. non habet. Sunt autem pro parentheticis habendi; simulacra quælibet aëria generaliter complectentes, neque nubium formas tantum: quæ tamen res librariis displicuit, et ad ordinem carminis trajiciendum videtur impulisse: nos autem sæpe monuimus, et denuo monendum esse ducimus, ac lectoribus sedulo inculcandum, non omnia in Lucretio reperiri, ad fastidiosos grammaticorum delicatiorum sensus per morosam concinnitudinem elaborata. Nobis nimirum æquo animo ferendum est, si tale Latinitatis antiquioris specimen primævâ quâdam rubigine vetustatis subinde fortassis affectatæ, quo melius venerationem conciliaret sibi, coloretur.

Ibid. *sublime feruntur.* Vates Mincianus, ecl. ix. 29. similiter:

> Cantantes *sublime ferent* ad sidera cycni.

Hinc excepit Nemesianus, ecl. i. 18.

> ——— mecum senior Melibœus utrumque,
> Audierat, laudesque tuas *sublime ferebat.*

Ver. 137. Hic et sequens versus collocantur post ver. 143. in P. O. Δ. Σ. non-

Aëra mulcentes motu: nam sæpe gigantum
Ora volare videntur, et umbram ducere late:

æque, meo saltem judicio, bene: ad quem locum, auctore Havercampo, repetuntur in L. M.

Ibid. *liquentia:* i. e. "in aëra purum "evanescentia, et se de novo concinnan- "tia." Virgilius notionem Lucretii sic ornate dilatavit, ad Æn. i. 587.

Vix ea fatus erat, quum, circumfusa, repente
Scindit *se nubes*, et *in æthera purgat apertum.*

Ver. 138. Utrum hic versus melius intra parenthesin inclusus fuisset, necne, non equidem temere dixerim; nec magni profecto videtur interesse.

Ibid. *quoiusque:* P. Σ. *cujusce;* Π. *hujusce.*—*oras:* ita P. L. O. Δ. Π. sed M. *horas;* facili et solenni permutatione: vide Drakenborchium, ad Liv. v. 37. 2. Σ. autem, prout evulgari solet, *ora;* perperam. *Oræ* sunt utique "rerum externa "lineamenta," vel extremitates, quibus earum formæ determinantur et repræsentantur: quas *extimam circumcæsuram* noster alibi nuncupavit. Dicit ergo noster, "nubium formas orarum suarum muta- "tionibus indesinenter in omnium figu- "rarum varietatem remigrare:" quo nihil aptius, et perfectius.

Ibid. *quoiusque modi.* Phrasis redit nobis, ad vi. 770. Dictys Cretensis, de bell. Troj. iv. 20. "Interim, multi eo- "rum, qui primi evaserant, super muros "siti, collecta undique *cujusque modi* saxa, "super clypeum Ajacis dejicere—." Apuleius, met. ii. p. 155. "Vix effatum me "statim familiares, omen nefarium ex- "secrati, raptis *cujusque modi* telis, inse- "quuntur." Rursus idem Dictys, ii. 18. "Aurum etiam aliaque *cujusque modi* "dona, ad conciliandos hostium animos, "affatim præbebantur." Ad quem locum Merceri nota perlegenda est, locutionem exemplis e nostro, Cicerone, ac Sallustio, collatis, docte illustrantis. Videas etiam Davisium, ad Hirt. bell. Af. xix. 5. Cortium, ad Sallust. Catil. lii. 2. nec dubites hanc vocem pro *cujuscemodi* restituendam esse *quinquies* Apuleio; nam Oudendorpius, ad met. viii. p. *554.* non videtur rem clare perspectam habuisse: neque aliter statuo de locis omnibus veterum, in quibus vox illa legitur. Subjungas Ammianum Marcellinum, xxvii. 10.— "impræpedite *cujusque modi* fortunæ vi- "rile et muliebre secus—." Inter similes librorum fluctuantium varietates, *hujuscemodi, cujuscemodi, cujusmodi, ejusmodi,* recte dederunt *cujusquemodi* editores doctissimi ad Florum, iii. 4. 2. qui debent consuli ad locum.

Ibid. *vertere*, neutre, quasi *verti;* ad morem nostro perquam familiarem: sed in hoc verbo multi alii similiter. Virgilius, geo. iii. 365.

Et totæ solidam in glaciem *vertere* lacunæ.

Vide nos, ad v. 616. et Drakenborchium, ad Liv. iii. 36. 7. cum Ruhnkenio, et quos laudat vir ille summâ et accuratissimâ doctrinâ, ad Rutil. Lup. ii. 1. Huic autem rei eo libentius insisto, quo memet plenius coarguam, magnâ cum inscitiâ de his olim garrientem ad Virg. geo. ii. 33.

Ver. 139. *motu nam:* P. O. Δ. *magnorum;* Vind. *motum in;* Π. *motu in;* Σ. *motu persæpe:* quarum varietatum nulla contemnenda est; sed codices L. M. sunt maxime audiendi: Ω. denique, *motu vi,* ad normam Π. libri.

Ibid. *Æra mulcentes motu.* Non incommoda videtur interpretatio, quæ subsequitur: "Motu suo, per quem mag- "nam formarum varietatem induunt, "aëra exhilarantes quasi, atque jucun- "ditate quâdam afficientes." Hæc elegante et animoso poëtâ minime, opinor, indigna dixeris. Favet in primis longe exquisitissima imitatio Maroniana, Æn. vii. 34.

——— Variæ, circumque supraque,
Assuetæ ripis, volucres, et fluminis alveo,
Æthera mulcebant cantu; lucoque volabant.

Interdum magnei montes, avolsaque saxa,
Montibus anteire, et solem subcedere propter:

Hinc in transitu Petronium libet puriorem reddere, sect. 131.

Dignus amore locus: testis sylvester aëdon,
Atque urbana Procne; quæ, circum *germina* fusæ,
Et molles violas, cantu sua rura *fovebant*.

Vulgo, *gramina;* quod aviarii norunt cum hirundinis moribus nihil convenire. Idem jam intelligo Burmannum voluisse. De hac autem solenni scribarum aberratione, nos nonnulla nuper, ad Virg. geo. ii. 332. Legitur etiam in editis, *colebant;* perperam, si quid video. Maronem Ovidius imitatus est, fast. i. 155.

Et *trepidum* volucres *concentibus* aëra *mulcent:*

i. e. *pulsatum* et *agitatum* cantibus: conferas Virg. Æn. v. 150. cui loco centum similes obversantur. Libri, *tepidum:* quod valde displicet, ut intempestivum maxime; nam *blandi soles* statim veniunt, et inde frigore feriuntur. Voces autem *tepidus* et *trepidus* sæpiuscule permisceri, diximus ad iii. 597. Vomanus, in Anthol. Lat. Burm. iii. 51. 21. huc adveniat:

Aves canoros garrulæ fundunt sonos,
Et semper *auras* cantibus *mulcent* suis.

Fluctuant libri inter *auras* et *aures;* sed egomet illud malim: *τo semper* tamen parum placet; sed nihil vero simile succurrit. Nimirum, verbum *mulcere* proprie videtur posse, *leviter movere:* molles autem facilesque motus plerumque sunt jucundi, et perfundunt voluptate. Virgilius, in Ciri, ver. 346.

——— adsiduis *mulcens* præcordia flammis:

i. e. leviter tangens, vel pertergens suspensâ manu. Idem, Æn. viii. 634.

——— illam, tereti cervice reflexam,
Mulcere alternis, et corpora fingere linguâ:

i. e. corpora molliter linguâ tergere, et expolire. Sic autem castigandus est scriptor politissimus: nam, quod vulgari solet, *mulcere alternos*, an Latinum sit valde dubito: sensus potius efflagitat, *Mulcere alternam:* adeas Lucretium meum, in i. 525. 768. 1010. 1065. ne plures locos suscitem; et te habebo emendationi meæ suffragantem. Arnobius, lib. ii. p. 91. "Nu- "bentium crinem cælibari hastâ *mulce-* "*tis?*" i. e. molliter tractatis et lævigatis. Cicero in Arateis, ver. 122.

Ipse autem labens *mutis* equus ille tenetur
Piscibus: huic cervix dextrâ *mulcetur* Aquarii:

i. e. leviter contingitur, vel præstringitur. *Mutis* autem sponte reposueram ex ingenio; sed mox vidi præivisse Grotium. Libri, *multis;* vide nos ad ii. 927. Idem eloquentissimus mortalium, ibid. ver. 154.

At propter, se Aquila ardenti cum corpore portat,
Igniferum *mulcens* tremebundis æthera pennis:

i. e. impellens et concutiens; cui notioni vox *tremebundis* pulcherrime consentit. Sic autem ille summus Grotius pro vulgari *mulgens* rescribendum esse sagaciter odoratus est. *Mulgeo* et *mulceo* librariis confundi solent; ut ad Virgilii Æn. xi. 812. exempli gratiâ:

——— caudamque *remulcens*,
Subjecit pavitantem utero———:

ubi *τo remulcens* accurate valet *retro movens*, vel reflectens; at libri quidam dant, *remulgens*. Fabri, instt. orat. ix. 3. p. 1034. *τo caput mulcere*, sonat "molli "manu perfricare." Docte, et percommode nobis, glossator vetus: "*Mulceo*, "ΚΑΤΑΨΗΧΩ." Similia suspicor de voce θιλγω, sed rationes meas satis ad liquidum perducere nondum quivi. *Aures* passim dicuntur sonis dulcibus *mulceri*, ob molliores *pulsus* aëris inde organi istius membranis accidentes, et voluptate titillantes. In Enniano versu, quem Priscianus posteris conservavit, in lib. ix. p. 870.

Mulserat huc navem, conpulsam fluctibus, pontus:

disquisitum velim, an grammaticus fallatur, ad formam *mulgeo* referens. Forte

Inde alios trahere, atque inducere, bellua nimbos.
Nunc ea, quam facili et celeri ratione gerantur,
Perpetuoque fluant ab rebus, labsaque cedant.

Mulserat, moverat, agitaverat; *a mulceo*. In locis innumeris poëtarum, *auræ* dicuntur *flores*, *arbores*, *campos*, et similia, *mulcere*, non aliam ob caussam primitus, quam quia lenia flabra sunt salutifera, violentique venti e contrario damnum ac ruinam afferunt. Hinc etiam illas locutiones, *fluctus*, *feras mulcere*, et id genus mille alias, non aliunde recte intelliges, quam si memineris, nos sæva animalia *palpando* et pertergendo conciliare, atque emollire. Ne, denique, longum faciam, Nemesiani locum in cynegetico, ver. 258. qui Burmannum cruciabiliter vexavit, hinc exorsi commodissime dabimus explicitum. Nempe Virgilii vestigia strictim præterlegens, scriptor ille signa dinumerat nobis equi generosioris:

Nec non terribiles, spirabile *fulmen*, anheli
Provolvunt flatus, et lumina vivida torquent,
Hinnitusque cient tremuli, frenisque repugnant,
Nec segnes *mulcent* aures, nec crure quiescunt:

i. e. "aures non segniter, sed celeri mi-"catu, commovent." Nihil verius. In primo versuum præterea, varie solet scribi, *flumen*, *numen*, *lumen;* sed certissimum est, quod divinationes meæ sponte extuderant, parum consciæ eandem cogitationem dudum se ingenio Heinsiano injecisse. *Terribiles flatus* et *spirabile fulmen* quam socialiter concordant; et scriptor, omnia ὑπερτραγικῶς accendens, nullo modo τὸ Maronis magistri *conlectum ignem* luculentâ magis exaggeratione variare poterat. Quoties librarii peccaverunt in dictionibus *flumen* et *fulmen*, dicere quid attinet? Redi notata ad i. 1002. Ovidius, de fervidis apri anhelationibus, met. viii. 289.

Fulmen ab ore venit; frondes adflatibus *arent*.

Sic optime Burmannus, pro librorum scripturâ, *ardent:* sit ut ego quoque, ita me Deus amet! sponte correxeram. Jam vero *ardeo* et *areo* sæpissime permisceri, ne tyrones quidem sunt commonefaciendi. Sed enim Lucretii telam pertexamus.

Ver. 140. *Ora gigantum:* i. e. vultus, facies. Virgilius, Æn. vii. 328.

——— tot sese vertit in *ora;*
Tam sævæ facies, tot pullulat atra colubris.

Quid autem? frigidulum est illud epitheton *atra*, et ægre Virgilianum. Heinsius, similiter, opinor, de illo sentiens, variam lectionem *ora* mavult; oblitus haud dubie eandem vocem vix elapsam esse sæpto dentium. Præstabo tibi dictionem facili aberratione, et unice dignam loco:

——— tot pullulat *apta* colubris:

i. e. innexa, ornata, instructa. Idem summus artifex leporum, ibid. iv. 482.

Axem humero torquet, *stellis* fulgentibus *aptum*.

Me consulas, ad ii. 478. superius.—Cæterum, Π. præbet *umbra.*

Ibid. *umbram ducere.* Parem phrasin habemus ad ejusdem Æn. vi. 528.

——— *crinem*que volantia sidera *ducunt.*

Ver. 141. *magnei montes:* P. *montes magnos;* æque bene.

Ibid. *montes avolsaque saxa Montibus;* quæ scilicet hi gigantes manibus jaculantur, vel usque ad cœlum congerunt, ut in vetere fabulâ. Nec immemorem credam fuisse hujusce versûs Maronem, ad Æn. ii. 608.

——— disjectas moles, *avolsaque saxis Saxa*, vides—.

Conferas Aristoph. Nub. 345. et seqq. his Lucretianis; quos versus Faber videtur voluisse, loco non indicato.

Ibid. *subcedere:* sic diserte Ω. librorum reliqui, in quantum judicare liceat, vulgariter *succedere.*—*propter:* i. e. "hæ "montosæ nubes nunc præcedunt solem, "nunc juxta subsequuntur." Hæc est sincerissima lectio codicis nostri Π. et unice menti poëtæ commoda. Vulgo,

Semper enim summum quidquid de rebus abundat,
Quod jaculentur; et hocc', alias quom pervenit in res,
Transit, ut in primis vestem: sed, ubi aspera saxa,

præter; sensu, si quid valeam discernere, minime tolerando: nam neque *præter ire* recte opponitur τῳ *ante ire*, neque *præter succedere* rationibus legitimis Latini sermonis convenire puto. Enim vero, præpositiones *præter* ac *propter* aliquoties commisceri, nos Drakenborchius certiores fecit, ad Liv. iv. 61. 10. et critici ad Ovid. met. v. 159. xiii. 713.

Cæterum, puerile est aleam ingenii jacere in dijudicationem de his monstrosissimis imaginationibus poëtæ: aliter illud *solem* satis mihi nullo modo facit. Conjectavissem Lucretium dedisse *molem*, nisi τῳ *montes* nimis affine vocabulum videretur: adeo probabilius existimo, nomen belluæ cujusdam speciale sublatere; quale, circumspiciens undique, non potui mentis oculis attingere, consimile pro votis receptæ lectioni.

Ver. 143. *bellua.* Plinius, nat. hist. ii. 50. "Fit et caligo *belluæ* similis; *nube* "dirâ navigantibus." Locus etiam appositissimus Diodori Siculi, Creechio laudatus, alicunde fortasse suffurato, legitur in lib. iii. sect. 50.—περι γαρ τινας καιρους, και μαλιστα κατα τας νηνεμιας, συστασεις όρωνται κατα τον αερα, παντοιων ΖΩΩΝ ιδεας εμφαινουσαι· τουτων δ', αἱ μεν ηρεμουσιν, αἱ δε κινησιν λαμβανουσι· και ποτε μεν ὑποφευγουσι, ποτε δε διωκουσι· πασαι δε, το μεγεθος απλετον εχουσαι, θαυμαστην καταπληξιν και ταραχην παρασκευαζουσι τοις απειροις· αἱ γαρ, επιδιωκουσαι τους ανθρωπους, επειδ' αν καταλαβωνται, περιχεονται τοις σωμασι, ψυχραι και παλμωδεις. Alia habet etiam, non incongrua, sectio quæ sequitur. Sed enim illud παλμωδεις vitiosum puto; nec videntur ea, ad quæ doctissimus editor provocat, illuc pertingere, aut explicare satis commode. Legendum arbitror, παγωδεις, vel παγετωδεις. Perlege finem sectionis proximæ.

Ver. 144. *quam:* M. *quæ:* et *facile;* minus eleganter.—*gerantur:* i. e. administrentur, et officiis suis defungantur. Apage temeritatem et ineptias substituentium *genantur*, libris universis ad ravim usque reclamantibus. Non puduisse autem doctos viros, spurcitiem suæ scabitudinis Lucretio sic immisericorditer affricare! Si vel unus liber condiceret, tacuissem; quum speciem habeat, hic saltem loci, conjectura.

Ibid. *quam celeri ratione.* Lambinus opportune Diogenem Laërtium, ad x. 48. admovit: 'Οτι ἡ γενεσις των ειδωλων ἁμα νοηματι συμβαινει· και γαρ ῥευσις απο της των σωματων συνοχης (*stipatâ texturâ*) ουκ επιδηλος σημειωσει; δια την ανταναπληρωσιν σωζουσα την επι του στερεμνιου θεσιν και ταξιν των ατομων επι πολυν χρονον· ει και ενιοτε συγχεομενη ὑπαρχει. Ita periodum oportuit interpunctam; quam fatuitas et audacia Meibomii in quantum corruperint interpolaverintque, vix dici potest. Paullo aliter, sed corrupte, scribitur in Anecdotis Græcis Villoisoni:—και γαρ ῥευσις απο της σωματων επιπολης συνοχη η μειωσει. Unde disjecta membra mutili scriptoris ad hunc modum denique videntur colligenda et compingenda:—και γαρ ῥευσις απο της των σωματων επιπολης ΣΥΝΕΧΗΣ ουκ επιδηλος σημειωσει—.

Ver. 145. *Perpetuo fluant.* Macrobius, Sat. vii. 14.—"sicut in cæteris, ita et in "hoc (Democritus et Epicurus) paria "senserunt. Ergo censet Epicurus, ab "omnibus corporibus jugi fluore quæpiam "simulacra manare; nec unquam tantu- "lam moram intervenire, quin ultro fe- "rantur, inani figurâ, cohærentes, corpo- "rum exuviæ; quarum receptacula in "nostris oculis sunt: et ideo ad deputa- "tam sibi a naturâ sedem proprii sensus "recurrunt." Confer Apuleii locum simili sermonis filo, ad ver. 300.

Ver. 146. *quidquid:* Π. Σ. P. *quicquam;* sed vetus codex ejus, quod reliqui librorum, habuit.

Aut in materiam ligni, pervenit; ibei jam
Scinditur, ut nullum simulacrum reddere possit.
At quom, splendida quæ constant, obposta fuerunt,
Densaque, ut in primis speculum est; nihil adcidit horum:
Nam neque, utei vestem, possunt transire, neque ante
Scindi, quam meminit lævor præstare salutem.

Ver. 147. *jaculentur:* P. O. *jaculetur.* —*hocc'.* Martianus Capella, iii. p. 77. " Aliquando *i* et *c* fieri possunt duplices; " ut, si *i* inter vocales sit; ut *aio*, *Troia.* " Item *c*, ut

" *Hocc* erat, alma parens—."
Virg. Æn. ii. 664.

Ver. 148. *sed ubi:* sic summo cum consensu quicquid est librorum antiquorum; pro quibus editores audacissimi substituerunt *sed in*, et maximam per imperitiam, quasi non utrique clausulæ præpositio, quæ sequitur, sufficeret. Eandem inscitiam modo coarguimus, ad ver. 96. In hoc autem loco non opus est arcessere præpositionem ex sequentibus; nam *pervenire saxa* non minus recte dicitur, quam *pervenire in saxa:* vide Burmannum, ad Ovid. met. iii. 462. et probabile est, varietatem lectionis, ibid. x. 718. non alio de fonte manavisse.

Ver. 149. *materiam:* Δ. Π. Σ. *materiem;* Ω. *naturam.*—Atque editores, facinus facinore cumulantes, *ut* compresserunt inter *materiam* et *ligni;* quasi vellent alterum nobis Deïphobum, vulneratum et detruncatum, exhibere.

Ver. 151. *At:* Π. *Aut.*—*obposta:* L. M. *opposita.*—*fuerunt:* Π. *feruntur.*

Ibid. *constant:* i. e. simpliciter *sunt;* ut alibi sæpe noster. Non aliter Mantuanus, Æn. v. 748.

——— quæ nunc animo sententia *constet.*

Ver. 152. *adcidit:* sic B. L. M. reliqui omnes, *occidit:* i. e. perit; quod nonnulli defendunt, sed perperam. Similem permutationem vidimus ad finem libri tertii.

Ver. 153. *possunt:* Vind. B. Σ. *possit;* ut editi quidam, proximo nominativo, in ver. 147. consulentes: sed hoc non erat Lucretium repræsentare, qui condimentum varietatis adamat, et nos ad remotius vocabulum, in ver. 144. delegare maluit. In hujuscemodi rebus, nihil sine exemplaribus antiquis est audendum. Fortassis etiam heic loci volebat occurrere ambiguo, quod peperisset nomen *lævor* versûs insequentis.—*ante:* L. M. *autem;* mendose: sed hæ voculæ, ob lineamentorum in literis affinitatem, facile confunduntur scriptoribus, uti Drakenborchius dudum monuit, ad Liv. xxvii. 35, 7.

Ver. 154. *lævor:* P. Vind. O. Δ. Σ. Ω. *levior;* Π. *livor:* adeo certa est corruptelæ dictio quævis rarior. Et lector videt, quam lepide noster in speculum inanimatum *recordationis* facultatem transfert: hoc autem, permisso poësi, ornamento nemo sæpius aut felicius est usus Virgilio in georgicis; quod profecto norunt omnes. Vide ver. 820.

Ver. 155. *redundent;* ut nuper, ad ver. 146. *abundat:* ob *crebritatem* scilicet atque *assiduitatem* profluentium particularum; vide ver. 105. Sic autem venustissime scriptum est in Vind. L. M. O. Δ. Σ. Ω. *geruntur* vero, in P. Π. unde nobis iterum propinat Lambinus delicias suas *genuntur;* cui tamen mirifica sane fatuitas editorum, voce longe elegantissimâ nihili habitâ, non dubitavit obtemperare. Indignissime factum est! Animadvertas autem, lector, genus insignissimum corruptelæ, cujus tollendæ ne minima quidem spes affulsisset sine libris scriptis; *gerantur* nimirum, pro *redundent.* Actum est ergo præclare cum Critice emendatrice, necessitatem talis conjecturæ exco-

Quapropter fit, ut hinc nobis simulacra redundent:
Et, quam vis subito, quo vis in tempore, quamque
Rem contra speculum ponas, adparet imago:
Perpetuo fluere ut noscas e corpore summo
Texturas rerum tenueis, tenueisque figuras.
Ergo multa brevi spatio simulacra geruntur,

gitandæ non ad eam esse devolutam: certe hinc magnam invidiam sibi conflavisset, et obtrectatorum examen in se suscitasset, laudatorem vero neminem.

Ver. 156. *quam vis subito:* Π. *subito quamvis:* quod in aures meas jucundius incidit ob sibilantium literarum separationem.—*quamque:* O. Π. *quanquam.*

Ver. 158. *noscas:* Π. *materias.*—*e* deest M.

Ver. 160. *geruntur:* i. e. habentur, faciuntur. Virgilius, geo. ii. 122.

Aut quos, oceano propior, *gerit* India lucos.

i. e. habet, parit, gignit. Hæc autem dicuntur, quod Lambinus iterum nobis ingerit suum *genuntur:* quod sane magnam hic habet veri speciem; sed malo est exemplo facinus citra necessitatem conculcare fidem codicum, in re subtilioris fortasse discriminis, quam cui pares sint dijudicandæ sensus hominum post tot secula Latinitatis obmutescentis, et vivorum sermonibus desuetæ. Semel profecto hanc vocem reposuimus, ad iii. 434. ubi tamen, ob summam alias membranarum castissimarum consensionem, pro felice potius scriptoris aberratione, quam genuinâ Lucretii manu, editori cauto debuerat haberi. Sed jacta est alea, neque inconsiderate fecimus.

Ver. 161. *celer hiis:* P. *celeris* habet, casu recto.

Ver. 162. *submittere:* i. e. "quasi de "*fundo* suo mittere:" videas animadversa nobis de hoc genere verborum compositorum, ad ii. 204. quorum rationes plurimi non accurate tenuerunt. Mamertinus, in paneg. Maxim. Aug. xii. 6.—"tibi "uberes fontes terra *submisit*, tibi largos "imbres Jupiter fudit, tibi totis flumi-"num alveis Oceanus redundavit." Committe nostrum Lucretium, ad i. 8. et meos ibi commentarios, cum addendis, p. 191. tom. i.

Hinc sermone maxime proprio Horatius, hac operâ intelligendus nunc jam; nonnullos enim ibi ludificatos video, od. iv. 4. 63.

Monstrumve *submisere* Colchi
Majus, Echioniæve Thebæ.

Nam *terrigena* erant illa monstra.

Ver. 164. *ab:* P. Vind. *a;* sed de posteriore codice fides collatoris videtur obnoxia quæstioni.—*item:* P. Π. *idem;* quæ voces alicubi in Livio etiam confusæ sunt librariis.

Ver. 167. *oris:* i. e. lineamentis corporum, et figuris: videas ea, quæ modo contulimus in ver. 138. Hoc scribæ non intelligentes interpolatum ivere *illud*, quod comparet in P. O. Δ. Π. Σ. Ω. vox omnino desideratur in L. *Quoquomque* autem, *in quamcunque partem;* ut alii passim. Variis conjecturis doctorum hominum vexationem haud levem versus hic expertus est: quas quid attinet ambitiose recensere, in re satis expeditâ, et opis criticæ nihil indigente? Somniis vel ipsius Jovis paginas meas oneratas nolim. Havercampi saltem ratio, *res oris* sociantis, et ad normam phraseos *res Veneris*, ii. 173. pro "iis, quæ ad Venerem per-"tinent," accipientis, mihi longe durissima videtur, ac plane intolerabilis.

Ver. 168. *ibi:* M. Ω. *sibi;* quod habet speciem veri: quum vero noster mox, ad ver. 214. pronomen, aut aliud adjunctum,

Ut merito celer hiis rebus dicatur origo.
Et, quasi multa brevi spatio submittere debet
Lumina sol, ut perpetuo sint omnia plena:
Sic ab rebus item simili ratione, necesse est,
Temporis in puncto rerum simulacra ferantur
Multa modis multis in cunctas undique parteis:
Quandoquidem, speculum quoquomque obvortimus oris,
Res ibi respondent simili formâ, atque colore.
  Præterea, modo quom fuerit liquidissima cœli

non adhibeat, in proclivi est existimare, literam *s* vocabuli præcedentis adhæsisse: O. *tibi;* formulâ elegante sane, sed jam nunc ambigui aliquid habente.

Ver. 169. *fuerit:* Vind. *fuerint;* O. *sit.*

Ibid. *liquidissima cœli Tempestas.* Sic Virgilius, geo. i. 417. *tempestas cœli;* Æn. ix. 19. *clara tempestas;* geo. iv. 69. *æstatem liquidam.* A. Gellius, ii. 21.—"anni æstas, *cœlum*que *liquide serenum.*" Prudentius, psychom. 638.

Suda redit facies *liquidæ* sine nube *diei.*

Ver. 170. *Tempestas turbida.* Idem Maro, Æn. xii. 283.

——————it tota *turbida cœlo*
Tempestas—.

Ibid. *fede.* Vox est in hoc usu floridis scriptoribus acceptissima, ut etiam cognata *fedo.* Mamertinus, paneg. Max. Aug. xii. 4. "Toto fere anno, Imperator,—nullus fere dies *imbre fedatus* est." Claudianus, de sext. cons. Honor. 538. perpolito loco:

Ipse, favens votis solitoque decentior, aër,
Quamvis adsiduo noctem *fedaverit imbri,*
Principis et solis radiis detersa, removit
Nubila—.

Fedus autem, *sordidus:* unde notâ digna est doctorum virorum inscitia Rutilium solicitantium, itin. i. 617. scribentem non invenuste; et Wernsdorfio pulchre defensum:

Quum, subitis tectus nimbis, *insorduit* æther.

Dictys Cretensis, i. 21. "Quum, ecce! dies *fedari,* et cœlum nubilo tegi, cœpit."—Sed an adverbio satis inest elegantiæ, et Lucretius scripsit potius?

——— modo quom fuerit liquidissima cœli
Tempestas, per quam subito fit *turbine feda*
Undique———.

Ver. 171. *Acherunta:* P. Ω. *Acherunte.—rearis;* P. Vind. O. Δ. Π. Σ. Ω. *retecto;* quod accepissem, ut elegantem et vero simillimam lectionem, si constructionis ratio expedita patuisset: nam *utei liquisse*, ut Græcum ὥστε ἐκλείπειν, quæ Marulli cogitatio est, dubito, an ferri possit, aut exemplis adstrui. Conferas interea, vi. 250.

Ver. 172. *magnas conplesse cavernas.* Similiter Virgilius, ad Æn. ii. 20.

——————— penitusque *cavernas*
Ingentis, uterumque, armato milite *complent.*

Ibid. *cœli cavernas.* Sic Varro Marcipore, apud Nonium:

Nubes aquaï, frigido velo leves,
Cœli cavernas aureas subduxerant:

et M. Tullius in Arato:

Dicitur et late *cœli* lustrare *cavernas.*

Lambinus.

Huc referas etiam *cœli convexa*, et *profunda*, Virgilii; *cava cœli*, et *cava cærula*, Ennii; cujus exstat alius etiam versus opportunus:

Tempestas, per quam subito fit turbida fede
Undique, utei tenebras omneis Acherunta rearis
Liquisse, et magnas cœli conplesse cavernas.
Usque adeo, tetrâ nimborum nocte coortâ,
Inpendent atræ Formidinis ora superne:
Quorum quantula pars sit imago, dicere nemo est
Qui possit, neque eam rationem reddere dictis.
  Nunc age, quam celeri motu simulacra ferantur,
Et quæ mobilitas ollis, tranantibus auras,

Quæque freto *cava* cæruleo *cortina* receptat.

Prudentius, hamart. 70.

Una per immensam *cæli caveam* revolutos
Præbet flamma dies.

Nos similiter, *the vault of heaven.* Cæterum, versus Varroniani, quos Lambinus admovit, sunt pulcherrimi. Servius, ad Æn. ii. 19.—"quodcunque in arcum "formatum est,—*cavernam* dici tradunt." Unde *cæli ingenteis fornices*, Ennius; quem Faber apposuit huic loco.

Ver. 173. *nimborum nocte.* Hinc etiam Virgilius flosculos collegit, ad geo. i. 328.

Ipse Pater, mediâ *nimborum* in *nocte*, coruscâ
Fulmina molitur dextrâ—.

Et *tetrâ* est *nigrâ;* de quâ voce sum dicturus etiam ad v. 1301. Glossarium vetus: "*Tetrum*, μελαν." Dictys Cretensis, i. 21.—"inter quæ tam *tetra*, nullâ "requie tempestatis, Menelaüs, cum his "qui sacrificium curabant, metu atque "hæsitatione in diversa agebatur." Ubi scribere possis elegantius, et fortassis vere, ad hanc normam—; "inter quæ tam "*tetræ*, nullâ requie, *tempestatis*—." Avienus, or. marit. 660.

——— *tetra nox* cœlo ruit.

Apuleius, met. vi. p. 401. "—*tetra nox* "exantlata—." Addam eundem Avienum, Arat. 673. rursus opportunum:

Tum quoque, si *piceam* spectaris surgere *noctem*,
Informem *tetris* tellurem ut vestiat *alis*,
Litus ama——.

Novatianus, epist. ad Cyp. sub fin. "Pa-"ravit inaccessibilem lucem, sed paravit "etiam perpetuæ *noctis* vastam et *tetram* "*caliginem.*" Addas Alcimum Avitum, iii. 53.

Cum plueret *nox tetra* focos, cœloque caducæ
Aëra per calidum stillarent undique mortes.

Ver. 174. *atræ Formidinis ora.* Hanc imaginem sublimem Virgilius in proprios usus transtulit, ad Æn. xii. 335.

——— circumque *atræ Formidinis ora.*

Ver. 175. *imago:* nempe in speculo; si modo poëtæ sensus, qui mihi videntur subobscuri, penetrare valeam.

Ver. 176. *possit:* Π. *poscit.*—*rationem:* L. M. *ratione.*—*reddere:* Π. *dicere.*

Ver. 177. De *tenuitate* simulacrorum dixit in superioribus; jam pergit *celeritatem* declarare. Porro, locus Epicuri, huc pertinens, quem Lambinus adscripsit, legitur in Diog. Laërt. x. 46. Και μην και ἡ δια του κενου (των ειδωλων) φορα, κατα μηδεμιαν απαντησιν των αντικοψαντων γινομενη, παν μηκος περιληπτον εν απερινοητῳ χρονῳ συντελει.

Ver. 178. *tranantibus auras.* Maro, Æn. vi. 16.

Dædalus, ut fama est, fugiens Minoïa regna,
Præpetibus pennis ausus se credere, *cœlo*
Insuetum per iter gelidas *enavit* ad Arctos:

quemadmodum nos verissime versus constituimus in editione nostrâ; ubi, quæ diximus, videnda sunt: nam, quum distinctio ad *credere* minus plena sit, non

Reddita sit, longo spatio ut brevis hora teratur,
In quem quæque locum divorso numine tendit,
Suavidicis potius, quam multis, versibus edam:

valet in me longe acutissima Bentleii observatio ad Lucan. i. 231. nec sane prorsus inviolabilis est illa regula. Idem Maro rursus, ibid. iv. 245.

> Illâ fretus, *adit* ventos, et turbida *tranat*
> *Nubila*——.

Adit utique, non timet *ingredi*, vel aggredi. Et ita legendum puto, pro *agit;* de quâ scripturâ Servium videas æstuantem. Sic *adire labores*, Æn. i. 10. quasi eos *comites* habiturus. Hinc autem suo exemplari consentit Maro, Od. Α. 98.

> ———————— 'ΑΜΑ *πνοιῇς ἀνέμοιο.*

Alium locum Virgilii, quem hæc locutio videtur valde delectavisse, mox admovebimus, sub ver. 182. Accedat Claudianus, rapt. Pros. i. 184.

> Nunc spiris *zephyros tranant*, nunc arva volatu
> Inferiore secant——.

Cicero in Arateis, ver. 251. de *Arâ:*

> Exiguo superûm quæ *lumina* tempore *tranat:*

ubi reponere debemus vel *limina*, vel *culmina;* sed priorem vocem malim: vide nos ad iii. 36. 1078. et alibi de harum dictionum solennibus permutationibus. Idem, ibid. 404.

> Hoc spatium *tranans* cæcis nox conficit umbris.

Ver. 179. *spatio ut:* Vind. *ut spatio;* et sic editiones quædam.—*hora:* P. O. Ω. *ora;* quæ facillima est, atque etiam usitatissima, confusio: vide Burmannum, ad Lucan. vii. 302. et Drakenborchium, ad Liv. i. 33. 9. cum nobis supra, ver. 138. Et sane non absurde videntur eædem voces Isidoro, origg. v. 29. Pii vero codices antiqui, *aura:* de quâ permutatione, me consulas ad Soph. Trach. 685.—*teratur:* sic Aldina posterior, et Juntina, anni 1512. verissime, ut puto, quamvis P. Vind. et omnes reliqui, quibuscum nobis res est, habeant *ferantur;* cum quâ scripturâ locum nequeo, salvâ probæ Latinitatis ratione, expedire: sed unde recepta lectio profluxerit, e membranis, an virorum doctorum ingenio, non habeo dicere: facile permutari voces librariis potuisse quivis videt.

Ibid. *brevis hora* hic idem valet τῷ *exiguum horaï tempus*, ad i. 1015. ubi nos videndi.

Ver. 180. *quem quæque:* P. Vind. O. Π. dant *quemcunque.*—*tendit:* Δ. autem *tendunt*, ut plures editi; sed perperam: nam respicit Lucretius aliud substantivum, *imaginem* utique, vel *speciem;* quemadmodum et alias similiter variavit, quamvis minime probandum videatur. Quid autem? Totâ loci serie ad judicii severioris stateram diligentissime pensitatâ, et lectionum variantium rationibus ad secundas cogitationes revocatis, nobismetipsis videmur germanissimas poëtæ scripturas exploravisse; quamvis non ausi sumus ipsis tantum sumere, ut versus sint ad nostrum arbitrium denuo constituendi. Quod volumus, sic se habet denique:

> Nunc age, quam celeri motu simulacra ferantur,
> Et quæ mobilitas ollis, tranantibus auras,
> Reddita sit, longo spatio ut brevis *aura feratur*,
> In quem quæque locum diverso numine tendit——.

Sic omnia pulchre procedunt, et amicissime cohærent: cordatiores vero, qui Lucretium diligenter imbiberunt, ad repetitiones ejusdem vocis de proximo non offendent: hoc enim, utcunque caverint limatiores sequentis ævi poëtæ, Caro non displicuisse, satis constat. Jam vero *aura* est " tenuissimum superficiei cujuslibet " manamen:" vide animadversa in *ii.* 850. v. 176. vi. 220. Hinc insuper membranis honos suus salvus remanet.

Ibid. *numine:* i. e. nutu, clinamine,

Parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam
Clamor, in ætheriis dispersus nubibus austri.
Principio, persæpe leveis res, atque minutis

inclinatione, conversione: redi ad notata in ii. 632.

Ver. 181. *Suavidicis:* i. e. saltem si argumenti duritia intractabilis consideretur; quæ jejunâ cum scabritie, et oratione nimis injucundâ, nec defendente tædium lectoribus, prosis sermonibus explicari solet.

Ver. 182. *cycni:* P. Vind. L. O. *cygni.*

Ver. 183. *ætheriis:* M. *ætherii;* non placet. Ovidius, met. xv. 804.

——— *ætheriâ* molitur condere *nube:*

et Seneca, Octav. 973. similiter:

Tectam quondam *nube ætheriâ*——.

—*disparsus:* Π. *dispersis.* Et malim *disparsus.*

Ibid. Hujusce similitudinis fons in Homero est, ad Il. Γ. 3.

Ηΰτε περ κλαγγη γεραναν πελει ουρανοθι προ
Αἵτ', επει ουν χειμωνα φυγον, και αθεσφατον ομβρον,
Κλαγγη ται γε πετονται επ' ωκεανοιο ροαων—.

Κλαγγη autem est *clangor;* unde mirari subit Lucretium non scripsisse:

——— ille *gruum* quam
Clangor——.

Certe Statius non aliter, Theb. v. 13. eandem comparationem tractans:

——— illæ *clangore* fugaci,
Umbra fretis arvisque, volant:

et rursus eidem inhærens argumento vates egregius, ibid. xii. 515.

——— *grues*, Aquilone fugatæ,
Cum videre Pharon, tunc æthera latius implent,
Tunc hilari *clangore* sonant.

Atque haud dubie signatior est vox, et magis propria: *clangor* etiam et *clamor* non raro permutata sunt; videas Heinsium, ad Ovid. met. iii. 707. xii. 528. consulas etiam Claudian. de bell. Get. 444. Neque non licet eandem de Virgilianâ imitatione suspicionem depromere, ad Æn. x. 266.

——— *Clamorem* ad sidera tollunt
Dardanidæ e muris; spes addita suscitat iras:
Tela manu jaciunt: quales sub nubibus *altis*
Strymoniæ dant signa *grues*, atque æthera tranant
Cum sonitu, fugiuntque notos *clamore* secundo.
Vah! quantopere friget vox illa repetita, *clamore:*

me persuasissimum habeo τῳ *clangore* reponendum esse. Et in istis versibus Maronis, nonnullos male *æquora* τῳ *æthera* prætulisse, comparatio locorum, quos attulimus, consimilium luculentissime probabit: et, dum in hoc sumus, quum alii omnes fingant grues *calidis ventis* delectari, et *Boream* fugere, tecum cogites velim, an Mantuanus ille scripserit:

——— *cupiunt*que notos clangore secundo.

Cæterum, rescripsi, multis impellentibus, *altis*, pro *atris:* de quâ conjecturâ nullus est locus ambigendi; nam Romanus reddit Homeream phrasin, ουρανοθι προ, quam Phavorinus interpretatus est per εν τῳ ουρανῳ, ac scholiastes per εν τῳ αερι: respondent etiam invicem manifestissime *nubibus ætheriis* Cari, et *nubibus altis* Maronis. *Altis* insuper et *atris* confundi, satis est ex consuetudine librariorum: vide var. lectt. ad Lucan. i. 529. Ovid. met. xii. 51. Val. Flacc. v. 309. et ubi non? Nos, dum prætervehimur, unum et alterum locum Silii Italici hinc emaculabimus, ut ille saltem hac medicinâ plene potiatur. Primum ad Pun. v. 256. oculos convertamus:

——— subsidensque, ilia nisu
Conantis suspensa fodit: tum fervidus *alto*
Pulmone exundat per hiantia viscera sanguis.

Alto: i. e. tumido, ob nisum scilicet. Libri, *atro:* sed auctor emendationis nostræ certissimus est Virgilius, quem in

Corporibus stanteis, celereis licet esse videre.
In quo jam genere est solis lux, et vapor ejus;

omnibus sequi solet Silius, ad Æn. ix. 358. x. 387. Idem rursus, viii. 51. ternâ mactandus est correctione versuum intra duorum spatium:

Hiaco post quam deserta *ex* hospite Dido,
Et spes abrupta *est* medio, in penetralibus *altam*
Festinat furibunda pyram—.

Vulgo, *est*, *e*, *atram:* confer Virg. Æn. iv. 504. 645. 684. Eadem salus ibidem desideratur, ad ver. 102.

——————————— congessit in *altam*
Cuncta tui monumenta *pyram*, et non prospera
dona.

Hic quoque codices, *atram*. Nos vere statuisse, suo ore Silius comprobabit inferius, ad ver. 155. et 151. ubi peccatum est diverso genere:

Tum *rabido* præceps cursu, resolutaque crinem,
Evasit propere in *celsam*, quam struxerat ante,
Magnâ mole, *pyram*.

Sentisne vero, lector lepide, nos felicissime protrusisse scripturam librarii minus efficacem, *rapido?* Vide locum Silii penultimum, atque Virg. Æn. iv. 69. qui sic ibidem, ver. 646.

Interiora domûs inrumpit limina, et *altos*
Conscendit *furibunda rogos*.

Sed ex hoc diverticulo ad Lucretium, nos poscentem, jam tandem revertamur. Noster itaque, quod Lambinus etiam animadvertit, suos versus ex epigrammate Antipatris Sidonii coloravit; vel, ut dicam sincerius, verbum verbo, transtulit. Pulchrum est poëmation, neque displicebit, si integrum adscribatur, et aliquanto emendatius:

Παυροεπης Ηριννα, και ϋ πολυμυθος αοιδαις,
Αλλ' ΕΛΑΧ' ΕΚ Μυσας τυτο το βαιον επος.
Τοι γαρ τοι μνημης υκ ημβροτεν, υδε μελαινης
Νυκτος ύπο σκιερη κωλυεται πτερυγι.
Αἱ δ' αναριθμητοι νεαρων σωρηδον αοιδων
Μυριαδες ληθη, ξεινε, μαραινομεθα.

ΛΩΪΤΕΡΟΣ ΚΥΚΝΟΥ ΜΙΚΡΟΣ ΘΡΟΟΣ, ΗΕ ΚΟΛΟΙΩΝ
ΚΡΩΓΜΟΣ, ΕΝ ΕΙΑΡΙΝΑΙΣ ΚΙΔΝΑΜΕΝΟΣ ΝΕΦΕΛΑΙΣ.

Αναριθμητοι· υκ εν αριθμῳ· nullo in *numero* et honore. Minus accurate interpretes: et in primo versu vulgo legitur, *ειλαχεν Μυσας·* mendose, nisi fallimur. Neque intempestivus est Hesiodus, opp. et dd. 446. huic loco Lucretii, nec operam nullam navat nostræ Maronis emendationi:

Φραζεσθαι δ', ευτ' αν φωνην γερανυ επακυσης
'ΥΨΟΘΕΝ ΕΚ ΝΕΦΕΩΝ.

Hoc facit Martialis etiam, ix. 14.

Quod pennâ scribente grues *ad sidera* tollant:

cum Senecâ. Œd. 605.

Nec tanta, gelidi Strymonis fugiens minas,
Permutat hiemes ales; et, *cælum secans*,
Tepente Nilo pensat Arctoas nives.

Ibid. *disparsus:* adeas Silv. Crit. v. p. 107. Sic Prudentius, peristeph. i. 76. trochaïcis castigatissimis annales amissos martyriorum deflens:

Ne, tenacibus libellis erudita, secula
Ordinem, tempus, modumque passionis proditum
Dulcibus *linguis per aures* posterorum *spargerent*.

Ver. 184. *persæpe:* Ω. *per se.*

Ver. 185. *stanteis:* sic P. et incredibile prorsus est, scripturam hujuscemodi aliunde primitus derivari potuisse, quam ex ipsius poëtæ manu. *Stanteis* autem, pro constantes, vel consistentes; ad morem profecto Lucretii, simplicia verba de significatu compositorum frequentantis. Nobis autem contigit alicubi plus semel observare, dictiones istas, quæ quampiam corporis positionem signant, *jacere* puta, *sedere*, et *stare* denique, apud utriusque linguæ scriptores, substantivi verbi potestatem simplicem sibi vindicare. *Stanteis* igitur valet *ὀντας*, *ὑπαρχοντας*, vel *τυγχανοντας:* cujus exquisitioris vocabuli vulgatam

Propterea, quia sunt e primis facta minutis:
Quæ quasi cuduntur, perque aëris intervallum

lectionem pro glossemate marginali haud egomet arguere dubitaverim. Π. autem codex noster exhibet *stans*, voci prælatæ nonnihil utique suffragans. Nonius Marcellus, iv. 421. "*Stare*," scribit, "*consistere* omnium consensu dicitur:" quibus componas velim Serviana, ad Virg. Æn. iii. 210. iv. 509. xii. 408. et quæ disputaverim ipsemet super Soph. Trachin. 1108.

Ver. 186. *solis vapor:* i. e. calor; ut alibi plus semel. Ammianus Marcellinus, xxiv. 4.—"æstus in meridiem crescens, "*effervescente vaporatius sole*,—cunctos re-"vocaverat—." Homerus apposite, Od. I. 389.

——— *οἱ βλεφαρ' αμφι, και οφρυς, ευσεν* ΑΫΤΜΗ.

Ver. 188. *cuduntur:* i. e. excuduntur; verbo simplice potestatem compositi habente: ut modo similiter, ad ver. 185. "*Cudere* autem cædere et ferire est;" ut Isidorus, origg. xix. 7. Servius, ad Æn. i. 174. Ergo vocem adhibuit Lucretius, quæ similitudinem speciosissimam, et rei depingendæ longe commodissimam, præbet; quâ significat, "minutas lucis par-"ticulas eâ velocitate a corpore solis ab-"sistere, quâ scintillæ, quæ candenti ferro "(vel fortasse collisæ silici) excuduntur." Jam vero, poëtam nostrum solertius potuisse munus administrare confido equidem neminem dicturum esse: nec dubitaverunt tamen editores nobis cudere suum *truduntur*, nihili facientes summam omnium librorum veterum in nostrâ lectione consensionem, sive scriptorum, sive formis impressorum. Tam præfractæ temeritatis tamen in superioribus non pauca sese exempla, piget dicere! nobis obtulerunt.—Mox Π. *sequente.*

Ver. 189. *Non dubitant:* vivide dictum est de rebus inanimis et insensilibus; sic autem argumentum suum nobilitat et exornat noster, ac defendit lectori tædium: videas observata ad ver. 154. et elegantiam parem, ad vi. 1190.

Ibid. *sequenti concita plagâ:* i. e. "par-"ticulâ particulam impellente, dum plaga "plagam insequitur, et continuo flumine "lucem facit prosilire." Nimirum in eâdem figurâ perseverat, interpretationemque meam præcedentis versûs validissime communit locus, et me certissimam mentem poëtæ deprehendisse clare demonstrat: quod impense placet, quum versus in hunc diem plane conclamatus jaceret, ac projectus. His autem non minus optime congruunt sequentia.

Ver. 191. *protelo:* O. Ω. *pro telo;* Σ. *pro celo.*—*stimulatur:* Π. *simulantur.*—*fulgure:* Π. Σ. *fulgere.* Pius autem dedit, *folgure folgur;* quam scripturam probo, et e libris scriptis provenisse nullus dubitem: invitus etiam non sequor, ut in multis aliis profecto consimilibus.

Ibid. *protelo:* i. e. per seriem indesinenter continuatam: redeas ad ii. 531.

Ibid. *stimulatur:* eleganter profecto, vivideque; radii *verberibus* quasi radios insectarentur, et morantes flagellarent: ut alibi sæpe finguntur radii *percutere* et *ferire.* De *luce* Maro, Æn. viii. 25.

——— summique *ferit* laquearia tecti.

Ovidius autem longe elegantissimus est, et felicissime quidem audax, fast. i. 77.

Flamma nitore suo templorum *verberat* aurum.

Ibid. *fulgure fulgur;* pro fulgore fulgor: vide quæ dedimus ad ii. 327. et 163. ibidem.

Ver. 193. *Innumerabile:* sic prisci codices Pii; quâ lectione nihil doctius et exquisitius fingi potest: has autem elegantias librarii parum assecuti suum *Immemorabile*, quod omnes alios libros videtur occupasse, (nisi quod *ira memorabile* ex B. depromptum sit) ad arbitrium intrusere. Non ferebant utique boni viri vocem *numerum* de *spatio* usurpari; quam

Non dubitant transire, sequenti concita plagâ:
Subpeditatur enim confestim lumine lumen,
Et quasi protelo stimulatur fulgure fulgur.
Quapropter simulacra pari ratione necesse est
Innumerabile per spatium transcurrere posse
Temporis in puncto: primum, quod parvola caussa
Est procul a tergo, quæ provehat, atque propellat:

indocte: vide nos ad vi. 487. i. 437. Nonius Marcellus, vi. 90. "*Numerum* et de "iis, quæ non numerantur, sed *admetiun*-"*tur*, dici, auctoritas voluit M. Tull. de "off. lib. tertio: Si, exempli gratiâ, vir "bonus Alexandriâ Rhodum magnum "*frumenti numerum* advexerit." Locus exstat in sect. 12. ubi Pearcius videndus est. Addas Isidorum licet, origg. ii. 11. "*Numerabilis magnitudo* est, quæ nu-"meris arithmeticæ dividi potest." Haud alieni sunt Sophoclei versus in Ajace, ver. 646.

> Ἅπανθ' ὁ ΜΑΚΡΟΣ κ' ἈΝΑΡΙΘΜΗΤΟΣ ΧΡΟΝΟΣ
> Φυει τ' αδηλα, και φανεντα κρυπτεται.

Quorum versuum venustates, vel quæ figuram spectat, vel quæ sermonis proprietatem, quum nemo videatur perceptas habuisse, libet his in lucem protrahendis paullisper immorari, ut lautum Tragici amatorem transeuntes demereamur.

Utinam igitur in primis editores doctissimi nobis non essent dedignati dicere, quid sibi vellet hæc forma verbi κρυπτεται· cui videtur obhæsisse scholiastes. Audiant igitur a me, tenorem orationis translatum esse a *terræ* moribus, sic ut eos noster Lucretius descripserit, ad v. 260.

> ——— quoniam dubio procul esse videtur
> Omniparens eadem rerum commune sepulcrum:

cum quibus compares velim i. 250—255. v. 1387. 1388. et omnem rem tenebis luculenter. Vides igitur exquisitam elegantiam vocis κρυπτεται· IN SE *condit*, "in "gremio suo celat:" quo nihil magnifico poëtâ dignius. Hinc Horatius profecit, ut aliis dudum est animadversum, quamvis ad *metalla* metaphoram detorserit, epist. i. 6. 24.

> Quidquid sub terrâ est, in apricum proferet ætas;
> Defodiet, condetque, nitentia—.

Apposita sunt Orphica quædam, Clementi Alexandrino, et aliis, conservata: strom. v. 14.

> Παντας γαρ κρυψας, αυθις φαος ες πολυγηθες
> Εξ ἱερας κραδιας ανενεγκατο, μερμερα ῥεζων.

Pulchre Claudianus, de laud. Stil. ii. 424.

> Est ignota procul, nostræque impervia menti,
> Vix adeunda deis, annorum squalida mater,
> Immensi spelunca ævi, quæ tempora vasto
> Suppeditat, revocatque, sinu.

Sed hæc hactenus. In viam redeo.

Ibid. *per spatium transcurrere.* At sine præpositione superius, ad ii. 163.

> Multiplexque loci *spatium transcurrere*—:

quod Virgilius maluit, Æn. ix. 111.

> Heic primum nova lux oculis obfulsit, et ingens
> Visus, ab Aurorâ, *cælum transcurrere* nimbus:

unde Mantuani illius amatores verissimâ poëtæ sui restitutione jam nunc beabo, ad Æn. v. 327.

> ——————— *cælum* ceu sæpe, refixa,
> Transcurrunt, crinemque volantia sidera ducunt.

Vulgo scribitur, *cœlo:* i. e. *cœlō*, *cœlom*, *cœlum*, ad sequiorum seculorum orthographiam: redi sis ad ver. 134. hujusce libri.

Ver. 194. *parvola:* i. e. tam subtilia ac minuta lucis corpuscula; ut jam docuit ad ver. 192. et mox, ad ver. 196. Et phrasis *temporis puncto* Paullinæ illi εν ατομῳ, in

Deinde, quod usque adeo texturâ prædita rarâ
Mittuntur, facile ut quas vis penetrare queant res,
Et quasi permanare per aëris intervallum.
Præterea, si, quæ penitus corpuscula rerum
Ex altoque foras mittuntur, solis utei lux
Ac vapor, hæc puncto cernuntur labsa diei
Per totum cœli spatium diffundere sese;

1 Cor. xv. 52. ad amussim respondet; nam *punctum* est, quod *secari* nequit, partibus carens, et magnitudine.

Ibid. *caussa a tergo:* insequens nempe plaga, de quâ mentionem fecit ad ver. 189. Et omnes antiqui libri post hunc versum ponunt ver. 204. sed certe non suâ statione.

Ver. 197. *quas vis queant:* V. ed. *qua vis queat.*

Ver. 198. *permanare:* V. ed. B. II. *permanere.—aëris:* B. *acris;* ut alibi codex iste peccavit.

Ibid. *quasi permanare:* i. e. "ita penetrant, ac si *fluidis* particulis, non autem solidis, consistant:" nam, quæ fluida sunt, maxime penetrabilia perhibentur.

Ver. 200. *Ex altoque foras:* antiqui codices Pii, *Ex alto in terras;* odiosissime et putidissime: hoc enim pacto, quæ statim veniunt, infelicem per anticipationem frigore feriuntur. Hæc autem, tam inepta atque intempestiva, reliquis omnibus exemplarium prorsus ignorata, nacta sunt faciles nimis editores, et stationem in impressis, a nemine non concessam, obtinuerunt. Phrasin *penitus ex altoque* Virgilius aliquantulo variare voluit, ad geo. iii. 238. hinc probe capiendus:

Fluctus uti, in medio cœpit quum albescere ponto,
Longius ex altoque sinum trahit—.

Maronem imitati sunt Valerius Flaccus, v. 523. et Silius Italicus, i. 469. Confer infra, verr. 71. 269. *Foras* autem simpliciter valet *de loco* quovis; ut i. 978. 1106. "*Foras, ἔξω ὡς τοπον:*" glossator vetus.—*utei:* II. *ubi.*

Ver. 201. *Ac puncto:* II. *At poncto.* Ob similitudinem elementorum *c* et *t*, passim solent hæ voculæ *ac* et *at* confundi; ut aliquoties monuit Drakenborchius ad Livium, aliique.

Ibid. *puncto diei:* quod *puncto temporis* modo vocaverat, ad ver. 194. et *brevis hora*, ver. 179. Sic Horatius *horæ momento*, atque *horæ puncto.*

Ver. 202. *diffundere:* M. *defundere;* minus ad rem: nam non hic agitur de loci altitudine, sed de sparsione latâ radiorum: me videas ad ver. 88.—*sese:* II. *cæcæ;* error ex recitatione natus.

Ibid. *diffundere.* Similiter de *luce* dictionem Claudianus adhibuit, in versibus dignitatis et ornamenti plenis; in quibus tamen levis error mirifice virorum eruditorum acumen lusit. Leguntur de sext. cons. Honor. ad ver. 191.

——— nec te meus, improbe, saltem
Terruit exemplo Phaëthon, qui fulmina præceps
In nostris efflavit aquis, dum flammea cœli
Flectere terrenis meditatur frena lacertis,
Mortalique *diem* sperat *diffundere* vultu?
Crede mihi, simili bacchatur crimine, quisquis
Adspirat Romæ spoliis *ac* solis habenis.

Libri, *aut;* nonnulli volunt, *ut:* sed, si constructionem attendas, agnosces nostram emendationem unice rectam esse. Confundi solent *aut* et *ac:* adeas Drakenborchium, et quos laudat, ad Liv. xxi. 53. 3. Juvenalis, sat. x. 114.

Eloquium *aut* famam Demosthenis, aut Ciceronis,
Incipit optare—.

Perque volare mare ac terras, cœlumque rigare;
Quod super est, ubi tam volucri levitate feruntur,
Quid, quæ sunt igitur jam primâ fronte, parata,
Quom jaciuntur, et emissum res nulla moratur,
Quone vides citius debere, et longius, ire;

Dudum videram hæc non esse toleranda, et reposueram ex ingenio *et* pro *aut;* sed codex Cantabrigiensis optime subministrat *ac:* et sic sine dubio scribendum.

Ver. 203. *mare:* V. ed. B. *more.*—*rigare:* V. ed. B. *rigore;* O. *girare*, per metathesin literarum. Hinc corrigendus est Catullus, lxiv. 209.

> *Lucida* nec mœsto subtollens signa parenti—:

i. e. candida; vulgo, *Dulcia:* sed de candidis, et albis, pro splendentibus, nos affatim tractavimus in Silv. Crit. sect. lxxiii. et tom. v. p. 33. unde miramur Heinsium non ambabus ulnis amplecti castissimam illam lectionem, et longe elegantissimam, ad Claudianum, rapt. Pros. iii. 11.

> ——— placidus Nereus, et *lucida* Phorci
> Canities—:

quo nihil pulchrius: i. e. *argentea*, uti nos Angli de hac re poëtice loqui solemus.

Ibid. *Perque volare.* Similem habet tmesin Virgilius, Servio judice, ad Æn. ix. 340.

> ———— plena leo *per* ovilia *turbans.*

Aliter autem hoc eleganter potest accipi.

Ibid. *rigare:* nec multo aliter ad ii. 143. " *spargit* lumine." Hinc venustissime Lucilius junior de Ætnâ, ver. 28. sic, nisi valde fallimur, emendandus:

> ————— et proxima quæque
> *Ignibus irriguis undet.*

Vulgo, *urat:* sed confer ibid. verr. 380. 602. et Virg. geo. i. 472. Neque non corrigam statim eundem, ver. 30.

> ———— tumidisque e faucibus ignem
> Vulcani *fluere.*

Vulgo illepide, *ruere.* Sic Virg. ecl. vi. 33. *liquidi ignis:* et noster ii. 383. *fluat ignis:* ubi nos de hac re fusius. De commutatione vero verborum *fluere* et *ruere*, Drakenborchius ad Sil. It. xii. 619. Hinc Petronianum illud in Anthol. Lat. Burm. iii. 120. 5. longe venustissimis annumerari debet:

> Ipsa *dies* ideo nos grato *perluit haustu*,
> Quod permutatis hora recurrit equis.

Nempe, " sol nos irrigat eâ luce, quam " haurimus et adbibimus." Virgilius, geo. ii. 340.

> Quum primum *lucem* pecudes *hausere*—.

At enim, si tibi voluptati sit aliquem videre ad incitas redactum, perlegas Burmanni notam in priorem locum. Tacent interpretes Virgiliani; haud dubie existimantes, si tam planum sensum darent operam lectoribus aperire, se hominum importunorum nomen, et doctrinam ambitiose ostentantium, subituros; quum vel puerulis omnia paterent! Heinsius et Burmannus nullo cum judicio solicitant nobilem locum Claudiani, de laud. Stil. ii. 467. ubi Titanis hortos oratione luxuriosissimâ describit:

> Sic fatus, croceis *rorantes ignibus*, hortos
> Ingreditur, vallemque suam—:

quæ sunt lectiones longe quidem sincerissimæ.

Cæterum, nescio an tmesin similem τῷ *Perque volare* Ammianus Marcellinus ausus sit, ad xiv. 10. " Veritatis enim ab-" solutus sermo, ac semper est simplex." MS. habet in extremis, " semper ac per-" est simplex:" legas igitur, " Veritatis " enim absolutus sermo semper, ac *per* " est simplex." Docti judicent.

Ver. 204. *super est:* ita P. Vind. V. ed. B. L. M. O. Ω. vulgo, *supera est;* male in hoc loco.—*hæc*, quod in vulgatis post *volucri* venit, deest Vind. V. ed. B. L. M.

Multiplexque loci spatium transcurrere eodem
Tempore, quo solis pervolgant lumina cœlum?
Hocc' etiam in primis specimen verum esse videtur,
Quam celeri motu rerum simulacra ferantur:
Quod, simul ac primum sub diu splendor aquaï

O. Δ. Σ. Ω.—*feruntur:* Vind. V. ed. B. L. M. O. Σ. *ferantur;* sed male. Hanc autem stationem versûs Bentleius etiam suo calculo comprobavit: de quâ re ad ver. 194. jam diximus.

Ver. 205. Editores, ingeniis indulgentes, inferciunt *in* post *primâ:* artifices peritiores ante vocem illam libentius posuissent; sed nefas esset utrolibet inculcare contra libros. Eandem præpositionem fortasse consultius omisissem ad ver. 69. supra; nam proni sunt ad has interpolationes, usitatiore de sermonis plenitudine, mediocriter eruditi.

Ver. 206. *jaciuntur nulla:* B. *jacuitur ulla.*

Ibid. *emissum.* Sedulo notanda est hæc forma nominis rarissima, pro *emissionem.* Similiter *amissus* in C. Nepote est, vii. 6. 2. quod nec librarii nec editores intactum reliquere: sic *intermissus,* Plin. nat. hist. x. 43. init. *permissus,* Livius, et alii; *promissus,* Manilius, v. 578. *submissus,* Tertullianus, adv. Marc. v. 16. *transmissus,* Cæsar, de bell. Gall. v. 13. 2. ubi liber unus, *transitus;* ex glossemate.

Ver. 207. *Quone:* V. ed. Π. *Quove;* P. *Nonne;* in quod impetu cupidissimo Lucretiani editores involarunt, licet mera sit interpretatio formulæ in rarissimis, et plurium similis in omnium populorum linguis, ad leges grammaticas non temere exigenda: nam prior vocula *quo* videtur omnino supervacanea; sed nos saltem hoc tempore talium subtilitatum judices idonei non sumus. Livius, xxxiv. 6. 14.—"cau-"tum erat, *quone* plus auri et argenti "facti, *quone* plus signati argenti et æris, "domi haberemus." Ad Horatium, sat. i. 10. 21. libri fluctuant:

——O seri studiorum! *quine* putetis
Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit?

Valde suspicor, Lucretianam formulam in hunc locum esse importandum; præsertim quum Ascensius interpretur per *Nonne:* sed hæc phrasis mihi est recentissime observata, ideoque jam nunc nihil habeo, quod adscribam, exploratius.

Ver. 208. *Multiplex:* P. *Multiplicis;* quæ male feriati est hominis immutatio, de syllabæ secundæ quantitate stulte soliciti. Porro, hoc distichon jam legimus, ad ii. 162.

Ver. 209. *solis fulgura;* ut de Ætnæis ignibus, i. 726. *flammaï fulgura:* quam locutionem Ovidius excepit, ad fast. i. 574.

Et rapidum Ætnæo *fulgur* ab igne jaci.

Ver. 210. *specimen:* P. *speciem.*—*verum:* P. *veri;* V. ed. *uci;* B. *uti.* Illud *specimen veri* primâ fronte possit arridere propter Persium, sat. v. 105. quem Pius advocavit:

——— *veri specimen* dignoscere calles:

sic enim plures libri MSS. non *speciem;* sed in Lucretio nolim caussam exemplarium castissimorum deserere, re non urgente.

Ver. 211. *motu:* L. M. *motum;* unde, si *motum* præiverat *celeri,* facile fuisset conjectavisse hanc constitutionem versûs:

Quam motu *in* celeri rerum simulacra ferantur.

M. autem habet *feruntur.*

Ver. 212. *Quod:* B. *Quo.*—*sub diu:* sic optime codices integerrimi et antiquissimi L. M. cum Vind. Π. Σ. Reliqui, *sub divo.* Vetustissimi nimirum Romanorum *dius* dicebant, pro *dies.* Nonius Marcellus, ii. 230. "*Diu* pro *die;* unde et *inter-*"*diu* dicitur. Titinnius Fullonibus: Nec

Ponitur, ex templo, cœlo stellante sereno,
Sidera respondent in aquâ radiantia mundi.
Jamne vides igitur, quam puncto tempore imago
Ætheris ex oris in terrarum adcidit oras?

" noctu, nec *diu*—. Plaut. Casinâ, (iv. " 4. 5.) Noctuque, et *diu*. Idem Aulul. " Nec *diu*, nec noctu, quietus—." Et pervulgatiorem phrasin *sub dio* leviter esse detortam pro *sub diu*, satis liquet ex his Festi verbis: " *Dium* antiqui—appella- " bant—diurnum sub cœlo lumen, απο " τȣ διος. Unde adhuc *sub dio* fieri dici- " mus, quod non fit sub tecto; et *interdiu*, " cui contrarium est noctu." *Sub dio* igitur est *sub die;* atque, ut videtur, castior scriptura et antiquior, quam *sub divo:* hoc tamen pluribus editoribus Latinorum multo magis placuit. In codice M. correxerat aliquis *diu* in *divo;* quod centies in similibus, antiquitatis venerabilioris speciem referentibus, inscitissime factum est: unde difficillimum fit germanam scripturam purioris ævi, detersis sciolorum obliterantium sordibus, priscis honoribus redonare.—Pro *splendor*, B. *splendore*.

Ibid. *splendor aquaï:* i. e. splendida, clara, vel pura, denique, aqua; ὑδωρ λαμπρον. Horatius, od. iii. 13. 1.

O! *fons* Bandusiæ, *splendidior* vitro—.

Suavibus numeris Silius, Pun. xiv. 228.

Nec non, qui potant Hypsamque, Alabimque sonorum,
Et perlucentem *splendenti gurgite* Achaten.

Vide me ad ii. 390. supra: quibus adstipulatur egregie locus Oppiani, cyneg. ii. 39.

——— εξ αντροιο προχυμενον ΑΡΓΥΦΟΝ ΥΔΩΡ:

i. e. ALBA, vel *splendida, aqua*. Αργυφον· λαμπρον, η λευκον: scholiastes, ad Hom. Il. Ω. 621. Bodinus αργυρον infelicissime reponebat. Sedulius, carm. iii. 5.

——— mirabile! fusas
In vinum convertit aquas: amittere gaudent
Pallorem latices—:

i. e. *albitudinem*. Formulam autem illam τȣ *Quod* centies vidimus in Lucretio, et in hoc versu cum *Quo* in codice B. mutata est. Idem evenit Hygino, poët. astron. ii. 13. sic rescribendo: " *Quod*, Minerva, " pudore permota, pede pulverem injecit." Vulgatur *Quo*, et defendit Munckerus; sed exempla, quæ vir doctissimus ad fab. iii. congregavit, alio aurigantur: nam ibi το *quo* suum verbum habet, ad quod respiciat.

Ibid. *sub diu*. Vetustioris hujusce formæ vestigia manent etiamnum in vocabulis *nudius*, *perdius*, ac *subdiu*.

Ver. 213. *ex templo:* Vind. V. ed. B. Σ. *exemplo*.

Ibid. *serena*. Lego:

——— cœlo stellante *sereno*.

Propertius, ii. 20. 61.

Quæritis et, *cælo* Phœnicum inventa *sereno*,
Quæ sit stella homini commoda, quæque mala.
BENTLEIUS.

Similiter alii, non raro: vide nostrum, vi. 246. Probabilis autem hæc est emendatio; sed repugnanter accepissem, nisi scripturam eandem in nostro codice Δ. offendissem: nam Lucretius ad lævorem elaboratum nitidiorum poëtarum, quos secula sequentia poliverint, non est temere complanandus; saltui cuidam verrucis subinde inæquali, quam novali nitido, similior.

Ibid. *cœlo stellante*. Post Homerum, Il. O. 371.

Ευχετο, χειρ' ορεγων εις ΟΥΡΑΝΟΝ ΑΣΤΕΡΟΕΝΤΑ:

et postea Virgilius, Æn. vii. 210.

Aurea nunc solio *stellantis* regia *cæli*
Adcipit—.

Ver. 214. *sidera respondent in aquâ*.

Quâ re etiam atque etiam mirâ fateare necesse est
Corpora, quæ feriant oculos, visumque lacessant,
Perpetuoque fluant certis ab rebus obortu;
Frigus ut a fluviis, calor ab sole, æstus ab undis

Pari lepore Statius, silv. i. 3. 19. quem infeliciter Marklandus immutavit:

——————— nemora alta citatis
Incubuere vadis: fallax *responsat imago*
Frondibus, et longas eadem *fugit umbra per undas*.

Quibus nihil novi lautius inter elegantias ferculorum poëticorum. Has venustates æquis passibus subsequitur Ausonius, Mosell. 189.

——————— glaucus opaco
Respondet colli fluvius: frondere videntur
Fluminei latices, et palmite consitus amnis.

Ver. 216. *in:* sic omnes libri; sed editores, *ad:* impudentissime quidem.—*adcidit:* sic P. V. ed. Δ. Π. Σ. Ω. et, quantum intelligere valeam, reliqui omnes præter Vind. O. Utroque modo dicitur: sed in concessâ certâque re modus indicativus videtur esse præferendum. Varietatem Pii, *excidit*, non tanti fecerim.

Ibid. *in oras adcidit.* Ovidius, fast. v. 360.

Accidere in mensas ut rosa missa solet.

Ad quem locum operæ pretium fuerit Heinsii notam perlegere, nostram Lucretii scripturam eximio cum acumine atque eruditione vindicantis et asserentis.

Ver. 217. *Quâ re mirâ:* i. e. *de* quâ re mirâ, ob quam rem miram; quasi dixerit: "Hanc rem summopere mirandam pro-"priis oculis cernis fieri, et ipsa experi-"entia te cogit assentire: quidnam igitur "est caussæ, ut contra alia persimilia, "nec mirabilia tamen magis, quæ sub "oculorum intuitum non cadunt, pertina-"citer repugnes?" In his autem nihil valeo discernere, quod obscurum sit, vel scabrum, vel denique Cari leporibus indignum. Edi solet ex emendatione Lambini ad hunc modum:

Quare etiam atque etiam *mitti hæc* fateare necesse est:

audacter satis. Pius docet in priscis exemplaribus legi *minima;* quæ lectio, me judice, correctorem sapit, ex constructione scripturæ veræ prompte minus se expedientem. Illud *haud* in solis Δ. et Π. comparet. Cogitabam aliquando sic non male scribi posse:

Quâ re etiam atque etiam *ciri* fateare necesse est—:

et librarii scriptores nullo negotio vocem exquisitiorem depravarent; sed rem integram lectori linquimus. *Fateri* porro *corpora* debet accipi, ut *fateri peccata*, et id genus multas locutiones.

Ver. 218. Democritus, apud Diog. Laërt. ix. 44.—ὁρᾷν δ' ἡμας κατ' ειδωλων εμπτωσεις. Hinc Epicurus scilicet. Plutarchus, plac. phil. iv. 13. Δημοκριτος, Επικουρος, κατ' ειδωλων εισκρισεις ᾤοντο το ὁρατικον συμβαινειν. A. Gellius, v. 16. "Epicurus affluere semper ex omnibus "corporibus simulacra quædam corporum "ipsorum, eaque sese in oculos inferre: "atque ita fieri sensum videndi putat." Ita locus iste commodius distinguitur.

Ibid. *visum lacessant:* i. e. *feriendo* quasi provocant: nam, quicquid dicat Festus, plurima loca veterum mihi liquidum faciunt, unum saltem vocis *lacio*, unde *lacesso*, primævum sensum fuisse *jacio*, vel *ico:* neque Lucretius multoties huc nihil facit. Virgilius, Æn. vii. 526.

——————— æraque fulgent,
Sole *lacessita;* et lucem sub nubila jactant:

i. e. radiorum solarium ictibus quasi provocata. Codex unus habet, *repercussa;* quod cujusdam non indocti glossema sinceræ lectionis. Vide mox, ad ver. 601.

Ver. 219. *fluant:* sic omnes magno consensu libri veteres; sed editores *fluunt* substituerunt; errorem errore munientes.—*obortu:* sic verissime Juntina editio,

Æquoris, exesor mœrorum litora circum:
Nec variæ cessant voces volitare per auras:
Denique, in os salsi venit humor sæpe saporis,
Quom mare vorsamur propter; dilutaque contra
Quom tuimur misceri absinthia, tangit amaror.

unde unde venerit hæc scriptura; sed ex codicibus manu exaratis primitus emanavisse tam singularem varietatem dubitari nullo modo potest: Pius etiam in notis monet esse, qui legant *abortu*, nostræ lectioni quam affine. Neque aliter profecto quibit stare τὸ *fluant*, universorum exemplarium; ne dicam vulgatum *odores*, tantum abest, ut sit loco conveniens, nullum sensum, vel tolerabilem saltem, reddere. Facessat igitur, unde malum pedem dudum intulit. Accedat Virgilius, Æn. iii. 442.

Hos ego, digrediens, lacrumis adfabar *obortis:*

ubi præpositio *ob* semper respicit vel rem, vel personam; ut sit "lacrumis *ob* hanc rem *ortis*, vel *ob* hos ortis:" i. e. *his*, vel *rei*, *oborto* fletu. Neque aliter in omnibus similiter compositis. Agit quidem de hac dictione Festus; sed ex meâ opinione minus accurate: ad quem proinde lector delegandus est. Qui vero dictionem insolentem insimulare velit, illi non longius regrediendum est, quam ad ver. 206. ut hanc cavillationem dedoceatur: nam seges ampla desuetorum vocabulorum ex Lucretii prædiis demetenda est.

Ver. 220. *ab:* sic Vind. L. M. O. Δ. Σ. Ω. cum Nonio, iv. 40. vulgo, *a*.—Pro *ut*, B. M. *et*.

Ibid. *Frigus a fluviis:* cui rei locuples testis adveniet Mæonides, Od. E. 469.

ΑΥΡΗ δ' ἐκ ΠΟΤΑΜΟΥ ΨΥΧΡΗ *πνέει ἠῶθι πρό*.

Plura videas consimilia, ad ii. 590.

Ibid. *calor fluat:* redeas ad ver. 202. Lucanus cum æquali venustate, i. 656.

——— toto *fluerent incendia* mundo.

Ibid. *æstus:* id humoris utique, quod *effervescit* ex impetu et inquietudine maris. Nos vocamus *the spray:* vide ver. 223.

Ver. 221. *Æquoris:* V. ed. *Æquorum*. —*mœrorum:* Vind. V. ed. Π. *meerum;* L. M. *meororum;* O. Δ. Ω. *maurorum;* B. *incororum;* Σ. *nemeororum*. Tam proclive est, et ingenitum quodammodo, librariis scriptoribus in specimine quolibet orthographiæ vetustioris turpissimas depravationes auctoribus illinere! Confer nostrum, vi. 926. qui pariter *mœnera* posuit pro *munera*, ad i. 30. ut Plautus, Bacch. iv. 9. 2. *mœnitum*, pro *munitum:* vide Priscianum, lib. i. p. 563. Nostrum Virgilius secutus est, ad Æn. xi. 382. dicendo, "Agger *mœrorum:*" ubi magnâ luce rem perfudit Heinsii doctrina, nobis otium parantis; cum Servio, ad Æn. x. 24. Cæterum, in vetustis inscriptionibus sæpe invenimus scriptum *cœraverunt*, pro vulgari *curaverunt*.

Ver. 222. *voces volitant:* scilicet *pennis* aëris sublatæ. Audacter Florus, iv. 2. 82. intra spem veniæ tamen: "Ibi prensare "fugientes, confirmare; per totum deni- "que agmen *oculis*, *manibus*, CLAMORE, "*volitare*."

Ibid. *auras.* Turnebus legi maluit *aureis!* quam infeliciter, licet in confesso sit has voces sæpissime commutatas inveniri scribis. Similem aberrationem ingenio deprehenderam in Silio, Pun. xiii. 283.

Vox occulta subit, passim diffusa per *auras*.

Vulgo legitur, *aures;* sed adjunctæ voces *passim diffusa* nostram conjecturam unice veram esse monstrant: et Heinsianis etiam scriptis roboratur. Vide Drakenborchium.

Ver. 223. *os:* M. *nos;* attractâ, quæ præcessit, literâ.—*salsi:* B. O. *falsi;* V. ed. *s falsi;* codicis scripturam, ut videtur,

Usque adeo omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur, et in cunctas dimittitur undique parteis.
Nec mora, nec requies, inter datur ulla fluundi;
Perpetuo quoniam sentimus, et omnia semper
Cernere, odorari, licet, et sentire sonare.

religiosâ cum fidelitate repræsentantis, et librarii secundam cogitationem, præter solitum primâ pejorem.

Ibid. *humor salsi saporis:* ille nimirum *æstus*, de quo ver. 220.

Ver. 224. *contra:* ad *tuimur* hoc vocabulum referri debet: i. e. " Cum contra " stantes tuimur:" ex opposito scilicet et satis propinquo loco.

Ver. 225. *Quom tuimur:* Π. *Contuimur;* quod minime displicet: vide ver. 39.—*misceri:* V. ed. *miseri.*—*absinthia:* P. *apsinthia;* Δ. *absynthia*, ut alibi.—*amaror:* Π. *amator.*

Ibid. Hunc versum integrum profert A. Gellius, lib. i. cap. 21. Eundem respexit Servius ad illum Virgilii locum, geo. ii. 247.

At sapor indicium faciet manifestus, et ora
Tristia tentantum sensu torquebit *amaror.*
Lambinus.

Glossarium vetus; " *Amaror, πικρια.*" Atque iterum: " Πικρια, *amaror.*"

Ver. 226. *res:* L. M. *re.*—*fluenter:* M. *fluentum;* Π. *fluentur;* conferas vi. 931. Nec tamen non vehementer arrisisset illud *fluentum*, si scirem modo, quid faciendum esset denique cum *res*, vel *re*, *quæque.* An locus sit depravatus, haud temere dijudicem: sin autem, nobis sagaciorem emendatorem postulat. Cæterum, O. et Δ. delicatulis auribus gratificantes scilicet, alium ordinem verborum exhibent:

Omnibus usque adeo ab rebus res quæque:

sed hoc minime Lucretianum est.

Ibid. *fluenter.* Apuleius, met. ii. p. 129.—" capillo *fluenter* undante—:" Virorum doctorum sententiæ nos non subscribimus, reponentium *fluenter* in Ciceron. epist. ad Att. vii. 14. init. Mox M. mendose, *dimittuntur.*

Ver. 228. *inter datur:* V. ed. *incerdatur;* Ω. *intercedatur.*—*fluundi:* Π. *fluenti;* quod non deterius videtur.—Porro phrasim *Nec mora, nec requies*, plus semel Virgilio hinc desumptam esse, quis ignorat?

Ver. 229. *quoniam:* M. *q̃uo;* pro *quando*, nisi fallimur; redeas ad ver. 18.

Ver. 230. *sonare:* sic omnia, quotquot sint quolibet genere, vetera exemplaria: sed tamen editores, quos nihil terruit, de suo nobis obtruserunt *sonorem:* quam inverecunde! quam imperite! quam præter necessitatem! Redi ad animadversa in ver. 99. Ipsam vero rem impendio animose Seneca imaginatus est, Herc. fur. 790. de Cerbero loquens:

———— *sensit* ut modus pedum,
Attollit hirtas angue vibrato comas,
Missumque *captat* aure subrectâ *sonum*,
Sentire et umbras solitus.

Integerrimam lectionem tragici prudentissime vindicant consummata Gronovii doctrina et acumen. Sic Virgilius, Æn. iv. 183.

———— tot *subrigit auris.*

Ver. 231. *manibus tractata.* Arnobius, lib. ii. p. 47. " Quid illa,—quæ lectitatis, " oculatâ vidistis inspectione, et, *manibus* " *tractata*, tenuistis?" Ac semper me habui persuasissimum, non aliter Virgilio scriptum primitus, ad geo. ii. 249. nam proprietas lectioni receptæ non inest:

—— haud umquam, *manibus tractata*, fatiscit.

Vulgo, *jactata;* sed divinationem meam Columella roborat, quocunque demum modo scribatur, Virgilii locum tangens, ad ii. 2. 18.—" nam perexiguâ conspar-

Præterea, quoniam manibus tractata figura
In tenebris quædam cognoscitur esse eadem, quæ
Cernitur in luce, et claro candore; necesse est
Consimili caussâ tactum, visumque, moveri.
Nunc igitur, si quadratum tentamus, et id nos
Conmovet in tenebris; in luci quæ poterit res
Adcidere ad speciem, quadrata nisi ejus imago?
Esse in imaginibus quapropter caussa videtur
Cernundi, neque posse sine hiis res ulla videri.

"gitur aquâ gleba, manuque subigitur, "ac, si glutinosa est, *ex* quovis levissimo "*tractatu*, pressa, inhærescit;

"Et, picis in morem, ad digitos lentescit habendo:

"ut ait Virgilius." Evulgari solet:— "si glutinosa est, *et* quovis levissimo *tac-* "*tu* pressa inhærescit—;" sed pro *tactu*, liber unus habet *tractu:* voces autem *tractus* et *tractatus* sæpenumero confundi monet Drakenborchius, et quos nominat, ad Liv. xxxv. 32. 13. Phrasis igitur *ex tractatu inhærescit* interpretatur Virgilianas voces, *ad digitos lentescit habendo*, manifestissime.

Ver. 232. *eadem quæ:* V. ed. L. M. atque O. *eademque.*

Ver. 233. *claro candore:* lucis solaris nempe. Cicero, nat. deor. ii. 15. "Nam "*solis candor* inlustrior est, quam ullius "ignis—."

Ver. 235. *tentamus:* V. ed. Δ. *temptamus;* ut alibi codices mei sæpenumero. Mox, Π. *luce.*

Ver. 237. *Adcidere:* Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. Ω. *Accedere;* videas similem permutationem, usitatam satis, ad ii. 1024. et Drakenborchium, de illâ copiosa afferentem, ad Liv. xxi. 10. 12.

Ibid. *quadrata imago:* ut nuper ad *tactum*, nunc ad *visum*, accedens; qui et ipse est species quædam *tactûs:* perlegas notata nobis, ad ii. 815.

Ver. 238. His poëta noster complexus est Epicuri sententiam, sic ut eam Diogenes Laërtius declaravit, x. 49. Δει δε *και νομιζειν, επεισιοντος τινος απο των εξωθεν, τας μορφας ὁρᾳν ἡμας και διανοεισθαι:* quæ minus sincera leguntur in Anecdotis Villoisoni.

Ver. 241. *didita:* V. ed. B. L. M. O. Σ. Ω. *dedita;* omnino mendose: vide iii. 476. Π. *debita;* cui deest *quæ* superioris versûs. Cæterum, vera lectio *didita* similiter commutatur in quibusdam membranis cum *dedita* et *debita*, ad Virg. Æn. viii. 132.

Ver. 242. *nos:* O. *non.*—*oculis:* Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. *oculos.*—*solis:* Π. *cælum;* quasi fuerit vel error recitationis pro *solem*, vel ejusdem dictionis glossa. Ex his autem varietatibus non sine veri quadam similitudine sic versum refingamus:

Verum, nos *oculo* quia *solum* cernere quimus—:

Sed nihil est mutandum.

Ver. 243. *Propterea:* V. ed. *Præterea;* ut iii. 226. et alibi.—*utei:* Π. *ut.*

Ibid. *speciem:* i. e. sensu strictiore, *vultum.* Glossator vetus: "*Species*, ὄψις." Nam, figurâ versâ corporis, oculi quoque convertuntur.

Ver. 244. *ibi:* V. ed. Δ. *ubi.*—*eam:* P. *ea;* V. ed. B. *causa;* insignem per errorem, cujus originem definit brevis scriptio *cā.*

Ibid. *ibi:* ad alias omnes partes utique, si in omnes poterant oculi se convertere eodem tempore, sensum percussuræ.

Ibid. *formâ atque colore:* quæ duæ corporum proprietates solæ possunt oculis usurpari.

Nunc ea, quæ dico, rerum simulacra feruntur
Undique, et in cunctas jaciuntur didita parteis:
Verum, nos oculis quia solis cernere quimus,
Propterea fit, utei, speciem quo vortimus, omnes
Res ibi eam contra feriant formâ, atque colore.
Et, quantum quæque ab nobis res absit, imago
Ecficit, ut videamus, et internoscere curat.
Nam, quom mittitur, ex templo procudit agitque
Aëra, qui inter se quomque est oculosque locatus;

Ver. 245. *ab:* editores, *a;* quâ contra libros omnes, quâ Lucretii ipsius consuetudinem. Res sane levicula est, sed nihil contemni debet, quod perfectissimi carminis sinceritatem spectat: hinc igitur omnino restituenda est Maroni codicis Medicei lectio, ad geo. iv. 14.

> *Absint* et picti squalentia terga lacerti
> Pinguibus *ab* stabulis——.

Ver. 246. *curat:* quasi scilicet hæc imago res esset vitâ sensuque prædita; vide ad verr. 154. 820. iii. 128. v. 1014. vi. 230.

Ver. 247. *protrudit:* P. Vind. B. Ω. *procudit;* quam lectionem, re diligentius pensitatâ, admittendam esse in contextum duximus: nam exquisitior est, et multo minus indoctum correctorem redolet; nec collationibus codicum L. M. possumus confidenter acquiescere: vide verr. 188. 281. literis transpositis, O. Δ. *producit;* V. ed. Σ. *c* cum *t*, ut passim, mutatâ, vel notulâ τυ.ρ omissâ, *protudit;* Π. *protulit;* M. *prodit;* eo de errore, quem animadvertimus ad iii. 1100.—Porro, *est* sequentis versûs abest V. ed.

Ver. 249. *omnis:* P. Vind. V. ed. *omnes;* inepte. Cæterum, loci scopus videtur efflagitare talem quampiam castigationem:

> Isque ita *sub* nostras acies perlabitur omnis:

ut sensus sit: "Isque ita aër omnis, cujus ope ferit oculos imago, per omne intervallum labitur usque ad nostras acies:" sed vetera exemplaria nihil habent varietatis. Ad meam sententiam Virgilius, et elegantissime quidem, Æn. vii. 646.

> *Ad nos* vix tenuis famæ *perlabitur aura.*

Forte an præpositio *per* eum habuerit antiquioribus significatum, qui nostræ de loci mente sententiæ convenerit.

Ver. 250. *pertergit.* Satis constat ita legendum esse in hoc loco, et librarios exquisitiore verbi formâ deceptos esse: nam, licet P. habeat *prætcrget,* (quam vocem, opinor, ignorat Latium) et Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *perterget* vulgarium editionum; nostram tamen dictionem aperte præbet B. et aberratio vetustissimorum exemplarium L. M. nempe *pertegit,* validissime tuetur. Virgilius, Æn. vii. 626.

> Pars læves clypeos, et spicula *lurida, tergunt*
> Arvinâ pingui——.

Sic locus ille castigandus est: vulgo, *lucida.* Sed *lurida* sunt *nigra*, nempe situ et rubigine. Vetus glossarium: "*Lurida*, "nigra." In quo libro sane voces, de quibus agitur, pariter sunt confusæ. "'Ὑπωπιος, *lucidus.*" Rescribe, *luridus:* videas enim nobis collata mox, ad ver. 333. Confer Horat. od. iv. 13. 10. (ubi videas schol. Cruq.) cum epist. i. 18. 7. Lucanus, imitatus Maronem, Phars. i. 243.

> Et, scabros *nigræ* morsu *rubiginis*, enses:

nec minus Statius, Achill. i. 435.

> ——— et *nigris* addunt *mucronibus iras.*

Compares etiam Prudent. apoth. 626. cum Virg. geo. i. 467. Plin. epist. vi. 20. 18.

Isque ita per nostras acies perlabitur omnis,
Et quasi pertergit pupillas, atque ita transit.
Propterea fit, utei videamus quam procul absit
Res quæque; et quanto plus aëris ante agitatur,
Et nostros oculos perterget longior aura,
Tam procul esse magis res quæque remota videtur.
Scilicet hæc summe celeri ratione geruntur,

Exemplum quidem speciale non habeo, *armorum luridorum;* sed hoc non mirum est, quum res sit cum rarioris usûs vocabulo. Legas insuper mox dicenda, ad ver. 341. Jam vero voces *pertergeo*, vel *pertergo*, *tergeo* vel *tergo*, de oculis adhibitæ, prorsus idem valent usitatioribus *stringo* et *præstringo:* i. e. "leviter per "superficiem ferire." Lambinus exponit, *permulcet:* optime; vide me ad ver. 139.

Ver. 251. Ordinem Pii editionis, qui procul dubio solus rectus est, hic sequimur; quem Aldina posterior observat cum Juntinâ. In Vind. O. Ω. verr. 252. 253. præcedunt ver. 251. in V. ed. B. L. M. Δ. Π. Σ. verr. 251. 252. soli transponuntur: quarum utralibet ratio tolerari nequit.

Ver. 253. *perterget:* M. *perteget;* sed fortasse collator voluit *pertegit:* et sane credibile est, Lucretium in hoc etiam loco scripsisse *pertergit;* sed sine libris, non auctor essem, ut illa lectio reponeretur, quum probe consciam, neminem Lucretio diligentius sectatum esse qualescunque sermonis varietates. Porro, hic et tres sequentes versus in Δ. desiderantur, oculo librarii ab *absit* ver. 251. in *absit* ver. 256. saltuatim aberrante.

Ver. 254. *quæque:* Π. *quæ.*—*remota:* V. ed. *remotu;* L. *nemota;* M. *revota.*

Ver. 255. *summe celeri:* P. *summâ et celeri.*

Ver. 256. *sit:* B. *fit.*—*quam:* Π. *quæ.* —Mox, in ver. 258. M. *friant*, pro *feriant.*

Ver. 260. *quoque:* Σ. *quocunque.*

Ibid. *ventus verberat.* Hinc eleganter Lucanus, vii. 25. ob *aëris pulsus* utique, aurem undique flagellantes:

——— nullas *tuba verberet* aures.

Ammianus Marcellinus, de *Nilo*, xxii. 15. —"hinc *vi reverberante ventorum*, inde "urgente cursu venarum perennium—." Vide v. 955. Usus est in hac re Virgilius animosiore verbo, ad geo. iii. 382. post nostrum tamen, ver. 932. hujusce libri, ubi nos videndi. Ammianus Marcellinus, xiv. 11. "Cum hæc, taliaque, solicitas "ejus *aures everberarent*—." Idem, xxii. 8. "Quicquid autem ejusdem Pontici si-"nûs *Aquilone cæditur*—." Seneca, Agam. 93.

Turris pluvio *vapulat Austro.*

Cæterum, res est evidentissima, voce *paullatim* poëtæ mentem et loci proprietatem nullo modo adimpleri. His permotus, amicus meus J. Jones divinavit, rescribendum esse *turmatim:* ad sensum bene quidem, sed a corruptarum literarum ductibus remote nimis. Nam vocabulum quoddam pari virtute postulari, satis constat vel ex comparatione lib. i. ver. 272—299. Interea, non dubito, me in germanissimam vocem incidisse, coloris antiquioris, exquisitiore usu; adeoque librariorum manibus importunis facile obnoxiam. En! illam tibi:

Ventus enim quoque *pollentim* quom verberat—:

i. e. *pollenter*, vel fortiter. In quantum vero Lucretius adverbia hujusce terminationis adamaverit, congeries illa, quam corrasimus, ad i. 45. quorum multa non leguntur extra carminum Lucretianorum fines, plene monstrat. Sed nihil audendum hac occasione sine libris; et contenti simus suspiciones nostras cum lectoribus communicasse.

Quale sit, ut videamus; et unâ, quam procul absit.
Illud in hiis rebus minume mirabile habendum est,
Quur ea, quæ feriant oculos simulacra, videri
Singula quom nequeant, res ipsæ perspiciantur.
Ventus enim quoque paullatim quom verberat, et quom
Acre fluit frigus, non primam quamque solemus
Particulam venti sentire, et frigoris ejus,

Ver. 261. Deest hic versus Δ. Π. et in libris omnibus post seq. male ponitur, exceptis P. Vind.

Ibid. *Acre fluit:* sic verissime L. M. nec discrepat scriptura membranarum O. Σ. Ω. *Ac refluit,* si probe dispartiaris syllabas, quas librarii passim solent immiscere; nec sane V. ed. *At refluit;* ob sæpissime commutatas literas *c* et *t:* Vind. *Acre fluet;* P. *Acre ferit:* quem postremum pro exemplari suo sumpserunt editores.—*primam:* sic magno consensu libri veteres universi; sed plerisque placuit editoribus reponere *privam:* quam lectionem ex vetere codice deprromptam esse prædicat Gifanius. At quo codice? Utinam possem affirmanti credere. Disquiramus autem, an boni viri mentem poëtæ sint assecuti. "Si venti particulas ullo modo "sentire valeremus, tunc procul dubio "sentiremus, cum nove afficeremur, nec "sensus occaluerat quasi consuetudine:" nec hujusce quidem rei non fautricem habemus in omnibus experientiam. Sic igitur debet accipi *prima particula* Lucretii, ac si ventum non sentiremus, nisi in progressu suo ac maturitate, conglobatim irruentem. Sin autem hæ probe sint subductæ rationes, potestas genuina vocabuli *paullatim*, quod modo ventilavimus, eodem opere penitius clarescet; et Cari contextus integer ex omni parte statim videbitur, neque ullâ de caussâ solicitandus. Lectores eruditi ac sagaces judicium suum afferant, et libere decernant: nos receptis atque coram positis omnino libenter acquiescimus.

Ibid. *fluit frigus.* Ita loquitur poëta, quod *frigus* undique sibi viam faciat, et in penitissima diffundatur. Non aliter supra, verr. 219. 220. *frigus* dicitur a fluviis *fluere;* et ad i. 356. simili prorsus orationis filo:

——— rigidum *permanat frigus* ad ossa:

ibidem denique, ver. 495. *penetrale frigus permanat*, et ver. 535. *manabile frigus* legitur: ut non sit caussæ, de quâ lector ad phrasin *fluit frigus* vel levissime offendat.

Ver. 262. *sentire:* V. ed. B. *statire:* et Π. *frigora.*

Ver. 263. *unvorsum.* De hac lectione, loci scopo considerato, et perpensis scripturæ varietatibus, nulla controversia moveri debet. P. *invorsum;* ductu simplice desiderato: et nostræ lectionis idem meminit in notis. Vind. B. L. M. O. Δ. Σ. Ω. *unorsum;* V. ed. *morsum;* (erat haud dubie in membranis, *inersum*) Π. *inmersum;* cum iisdem prorsus literarum elementis, atque *unversum*, vel, ex antiquo more, *unvorsum*. Vides autem, lector! quantis depravationibus vox rarioris formæ patuerit ob ignorantiam librariorum; quod erga criticos emendatores favorem debet conciliare. Jam vero ad hæc compendia dictionum, sive per omissionem literæ, seu per syllabarum colliquationem, nostrum esse sæpiuscule redactum metri necessitatibus, ex multis exemplis liquido constat omnibus: neque apud alios scriptores non est copia similium. Notabilius est compendium illud, ac, nisi fallor, ejusdem dictionis, quod Nonius conservavit, ii. 88. "*Unose*, id est, simul. Pacuvius "Ilionâ:

"Occidisti, ut multa paucis verba *unose* obnun-
"tiem."

Sed magis unvorsum: fierique perinde videmus
Corpore tum plagas in nostro, tamquam aliquæ res
Verberet, atque sui det sensum corporis extra.
Præterea, lapidem digito quom tundimus, ipsum
Tangimus extremum saxi, summumque colorem:
Nec sentimus eum tactu, verum magis ipsam
Duritiem penitus saxi sentimus in alto.

Utrobique scribendum esse existimamus, *unorse*, pro *unvorse;* salvo interea trochaïco.

Ver. 264. *aliquæ:* P. *aliquas;* Δ. *aliqua;* et hanc scripturam Pius memorat in notis. *Aliquis* autem *aliquæ*, ut *quis quæ*, et *quisquam quæquam:* vide Priscian. lib. xiii. p. 960. cum Diomed. lib. i. p. 319. His non accedit Donatus, ad Terent. Eun. ii. 3. 82. Adelph. iv. 4. 24. quem tamen auctoritas Lucretii coarguit. Multum fallor, aut hæc formula in rarissimis Plauto periit inscitiâ et molestiis scribarum, ad Rud. ii. 6. 69.

———— Saltem si mihi
Mulierculæ essent salvæ, spes aliquæ forent.

Quis non videt, ad efficaciam sensûs summe facere, singularem tantummodo spem manere? atque adeo vero simile videri Comicum dedisse,

———— spes *aliquæ foret.*

Sed nulla varietas lectionis editoribus memoratur ad locum.

Ver. 266. *quom tundimus:* V. ed. B. L. *contudimus;* Vind. O. Δ. Σ. Ω. *contundimus:* quam confusionem frequentissimum esse exscriptorum peccatum satis monuimus, superque.

Ver. 267. *colorem:* χροιαν, superficiem: vide ad v. 581.—Bentleius.
Poëta scilicet rem secundariam posuit vice primariæ: *colorem*, pro superficie coloratâ; cujus ope corpus quodlibet discernitur. Et opportunissime vir summus χροιαν apposuit, quæ sonat et *superficiem* et *colorem* Græcis.

Ibid. *extremum saxi* posuit pro *extremitatem saxi;* quemadmodum alii locuti sunt haud raro. Quod eo magis monendum habui, quum interpretis sensus invenustior conjunxerit, parum lepido mehercule consortio, *colorem extremum summumque.* Is erat scilicet, sine necessitate, saper Creechianus. Maro, Æn. viii. 333. qui locus est incredibili quadam elegantiâ:

Me, pulsum patriâ, *pelagi*que *extrema* sequentem.

Ad quem versum tamen inobservantiam editorum vehementer miror, non animadvertentium aliam lectionem Servio subindicatam, atque, meâ saltem de sententiâ, longe receptâ pulchriorem, uniceque veram:

———— *pelago*que extrema sequentem.

Similiter ibid. ii. 349.

———— si vobis, *audentem extrema*, cupido
Certa sequi——:

nec non appositissime, ad iv. 457.

———— ferroque *extrema secutam.*

Sed enim audiamus interea grammaticum: " *Pelagique extrema:* id est, Aut " per extrema pelagi actum; aut, ut dicit " Donatus, *per pelagus* extrema sequen- " tem." Vides ergo, Donatum legisse *pelago:* sin aliter, quæ statim veniunt, ita constituenda sunt: " Aut, ut dicit Do- " natus, *per pelagus* extrema sequentem; " ut *pelagi* adverbium sit, pro *in pelago*, " aut *pelagi*, pericula:" deleto *aut* post *sequentem.* Hæc autem ratio fortasse probabilior est, et doctis magis arridebit. Alia tamen loca, quæ adscripsimus, nostris suspicionibus adstipulantur. Lector judicet.

Nunc age, quur ultra speculum videatur imago,
Percipe; nam certe penitus remota videtur;
Quod genus illa, foris quæ vere transspiciuntur,
Janua quom per se transspectum præbet apertum,
Multa facitque foris ex ædibus ut videantur:
Is quoque enim duplici geminoque fit aëre visus.
Primus enim citra posteis concernitur aër;

Ver. 268. *eum:* Σ. *cum.*—*tactu:* Π. *tractu.*

Ibid. *eum:* i. e. colorem, qui designat extremitatem saxi, quam manus tractat.

Ver. 269. *penitus in alto:* i. e. eam duritiem saxi, quæ penitus sita est in profundo saxi, omnibus ejus ex particulis et intimâ texturâ derivatam. Redi ad ver. 200. hoc libro.

Ver. 270. Plutarchus, de plac. phil. iv. 14. *περι κατοπτρικων εμφασεων.*—Δημοκριτος, Επικουρος, *τας κατοπτρικας εμφασεις γινεσθαι κατ' ειδωλων ὑποστασεις, ἁ τινα φερεσθαι μεν αφ' ἡμων, συνιστασθαι δ' επι τω κατοπτρω κατα* TINA *αντιπεριστροφην.* Sic arbitror legendum, vice *την: de quadam in contrarium conversione.*

Ver. 271. *remota:* P. *semota:* vulgo, *remmota*, geminatâ literâ; sed aliter omnes libri vetustiores, excepto Vind. in quâ re fortassis *ακριβεια* collatoris lapsa est.

Ver. 272. *foris transspiciuntur.* Lactantius, de opif. Dei, cap. viii. "Per eas "igitur membranas sensus ille, qui dici"tur mens, ea, quæ sunt *foris, transspi*"*cit.*" Glossator vetus: "*Transspicio,* "*διακυπτω.*" In hac autem dictione non minus, quam in omnibus utriusque linguæ consimilibus, perperam fecerunt editorum turba, literam *s* non duplicantium. Pius scripsit *traspiciuntur*, et *traspectum.*

Ver. 273. *quom transspectum:* V. ed. habet *tum inspectum.*

Ver. 274. *foris:* P. *foras;* mendose, siquidem vetus glossarium hæc vocabula verissimâ distinctione segregaverit: "*Fo*"*ras, εξω,* ΕΙΣ *τοπον. Foris, εξω,* ΕΝ "ΤΟΠΩ."

Ver. 275. *Is quoque:* P. *Ipse etenim;* V. ed. B. *Ipso enim;* Δ. Σ. *Ipseque enim;* Π. *Ipsoque enim.*—*visus:* V. ed. *visis.*

Ver. 276. In editis communibus, *est* sequitur dictionem *enim*, sed libris reclamantibus præter Vind. in quo diligentiam collatoris iterum desidero.—*concernitur:* sic P. Π. verissime, et convenientissime loci rationibus.—*posteis:* B. *potes.*—*Concernitur* autem, *unâ cernitur;* "cum pos"tibus utique, et aëre externo." Non aliorsum tendit lectio V. ed. B. O. Δ. Σ. Ω. *qum*, vel *cum, cernitur:* centies enim *con* et *cum* scribis Lucretianis sunt permutata. Et eodem redit variatio M. codicis, quamvis minus accurate recensuerit, uti existimo, Havercampus; *post æstum*, vice *postes cum*, haud dubie, ob similitudinem elementorum *t* et *c*. Nempe deterruit editores, et librarios ad novandum propulit, vocabuli *concernitur* usus infrequens: sed enim actum est de Lucretio, si voces inusitatiores sint hoc modo proscriptionibus male feriatorum hominum carminibus ejus abjudicandæ. Verbum *cernere* proprie significat "decutere et "segregare per cribrum:" inde transfertur facillimo transitu, ad objectorum perceptionem, lucis ope, foramina membranarum ocularium, veluti meatus quosdam cribri, permeantis, et radios quasi discernentis. Primariæ notionis exemplum in lexicis suppeditatur, ex Augustini confess. v. 10. "Talem naturam ejus "nasci non posse de Mariâ virgine arbi"trabar, nisi carni *concerneretur.*" Vetus "glossarium: "*Concerno, συνθεωρω.*" Et contra: "*Συνθεωρω, concerno.*" Vox optima in linguæ nostræ consuetudinem venit ex inferioris Latinitatis exemplaribus,

Inde fores ipsæ dextrâ, lævâque, sequuntur:
Post extraria lux oculos pertinget, et aër
Alter, et illa, foris quæ vere transspiciuntur.
Sic, ubi se primum speculi projecit imago,
Dum venit ad nostras acies, procudit agitque
Aëra, qui inter se quomque est oculosque locatus:
Et facit, ut prius hunc omnem sentire queamus,

dictiones legitimas ac probatissimas, quæ in desuetudinem infeliciter abierant, et rubigine temporis sepultæ jamdiu jacuissent, ab informi situ sæpenumero resuscitantibus, atque nitori pristino restituentibus. Innumera vocabula leguntur in Apuleio, Gellio, Arnobio, Tertulliano, Ausonio, Prudentio, cum multis aliis, quæ non sunt pro nove confectis accipienda, sed pro fetu melioris ævi redivivo; vel interea demortuo, vel, ob ruinas temporum, unde scriptores, qui has dictiones frequentaverant, misere deperierint, temporariis sepulcris obruto.—Havercampus edidit, *qui cernitur;* quasi sit lectio codicis L. sed de hoc ipse viderit.—Jam vero satis patet, quâ de caussâ docti viri illud *est* intruserint; nempe, quia non concoxerint laudatissimam vocem, quam nos patrocinio qualicunque suscepimus defendendam, et statione suâ, dudum deperditâ, redonavimus.

Ver. 277. *Inde:* Π. *In.—sequuntur* abest O.

Ibid. *dextrâ lævâque sequuntur.* Ita Virgilius, geo. i. 235.

———— *dextrâ lævâque* trahuntur.

Ver. 278. *pertinget:* M. *perteget;* unde speciem habet arbitraria scriptura criticorum, *perterget;* sed ea vox multo minorem habet efficaciam in hoc loco: Π. *pertingit;* quæ videtur forma facilior ac magis obvia: sed aliter Lucretio visum est, et quidem consultissime: nam futurum tempus nos quasi manu ducit per omnem negotii progressum, et justam seriem vividis coloribus depingit; ut egregiam summi artificis dexteritatem facile adgnoscas. Editores autem Lucretiani leges adamantinas quasdam et indissolubiles poëtæ suo videntur, inhumaniter satis, promulgavisse; quibus ad unicolorem dicendi speciem infelix vates necessario constringeretur. Opere nobismetipsis summo gratulamur, de fortunis nostris actum esse tam feliciter, ut ii simus, quibus egregium hoc munus demandatum est; Προμηθεια scilicet λυομενον de novo in hominum venustorum gratiam post tot secula docendi:

Ἡμιν δ' ευ μακαρων ανταξιος ειη αμοιβη!

Ver. 281. *procudit:* i. e. "aëra formâ "suâ simulacrum signat; de lineamentis "propriis fingit atque *χαρακτηριζει:*" quâ locutione nihil expressius et convenientius excogitari poterat. Sic autem scriptum invenitur in exemplaribus P. Vind. V. ed. Π. Ω. in L. Σ. *protudit*, ex solenni commutatione literarum *t* et *c;* B. *percudit;* ubi fortasse compendium scripturæ collatorem fefellerit: de M. silet Havercampus; sed vulgarem lectionem *protrudit* meo periculo confidenter equidem ejecerim, ut commentitiam prorsus nihil non audentium editorum, nihil non novantium, pollutionem. Δ. autem, *producit;* de solito trajectis literis: vide Bentleium, ad Horat. art. poët. 59. Si malis, interpretari possis *procudit*, per *porro tundit;* sed egomet priora malim.

Ver. 282. *quomque est:* Π. *cum sunt.*

Ver. 283. *ut* abest M.—*hunc:* V. ed. *habent;* error ex scripturæ brevitate natus, et proximitate literarum *c* et *t*. In eodem libro, ad ver. 288. *hunc* scribitur.

Quam speculum: sed, ubi in speculum quoque sensimus ipsum,
Continuo, a nobis in eum, quæ fertur, imago
Pervenit, ac nostros oculos rejecta revisit:
Atque alium præ se propellens aëra volvit,
Et facit, ut prius hunc, quam se, videamus: eoque
Distare a speculo tantum semota videtur.
Quâ re etiam atque etiam minume mirarier est par

Ver. 284. *in* particulam, quam libri summo consensu præbent, excepto codice Vindobonensi, qui dormitantem collatorem nactus est, timui loco deturbare: nam fortassis vetus verbum fuerit *insentio*, eodem simplici significatu; vel *sentire in speculum* legitimo fuerit regimine, quamvis exemplum consimile nunc dierum non facile, ne quidem doctioribus, erui aliunde poterit.

Ver. 285. Sequor librorum omnium veterum scripturam, nisi quod Σ. det *cum*, pro *eum*; et Π. *cum*, pro *quæ*. Sic autem constitutum dare versum bonis visum est editoribus; satis pro arbitrio:

Continuo, a nobis in *id hæc* quæ fertur, imago—.

Hinc utique tuto nobis videtur colligendum, antiquos *eum* in neutro adhibuisse pro *id;* ut utebantur scilicet *eæ* pro *ei*, atque *eabus* pro *eis*. Hoc saltem suspicari longe longeque consultius videtur inter has literarum vetustarum tenebras, quam dictiones quas libet, vel eruditionem nostram superantes, vel displicentes sensui, temerariâ et inclemente manu passim confodere ac proscribere. *Αφισταμαι ακερδεια λελογχε.*
Cæterum, de distantiâ apparente imaginis, reflexæ speculo, Lucretii hæc est hypothesis: de quâ tamen ipse viderit; nos enim non philosophiæ patronos agimus, sed interpretes orationis. Finxit igitur imaginem corporis, in speculum incidentem, speculo primum projici; et inde propellere aëris effigiati portionem, qui prius in oculos incidit, quam speculi species; deinde vero et speculi species ipsa visitur, quæ redit, secum auferens nostram imaginem, quæ vicissim suum aëra propellit, nobis ante visum, quam hæc ipsa tandem imago, de speculo rejecta, revisat oculos. Distantiam simulacri sic arbitratus est videri factam, ob intervallum temporis, et effectuum moram tali continuatione succedentium.

Ver. 286. *ac:* ita B; reliqui, *et*. Placet varietas, et apprime Lucretium sapit.

Ver. 287. *Atque:* M. *At.*—*aëra:* Π. *aëre;* cui deest *se.*—*volvit:* Δ. *solvit.*

Ver. 289. *semota:* sic omnes omne genus libri. Supra, ad ver. 271, noster maluit *remota*, sed sine verbo *distare*, cum quo prius vocabulum male convenisset, ac fuisset supervacaneum. Nonne sunt igitur editores odio habendi, nonne sunt abominandi, qui scripturam maxime sinceram expulerint, et crambe repetitâ suâ, *τῳ remota* dico, poëtam nostrum ingurgitaverint? Aio factum esse indignissime.

Ver. 290. *mirarier est par.* De castitate hujusce lectionis vix relinquitur ambigendi locus. Ita scriptum est in L. Ω. et Pii priscis exemplaribus; prope abest M. *mirarier es par;* Vind. V. ed. B. O. Δ. Σ. *mirari par est;* Π. *mirari minime est par.* Nempe, post quam rarior forma *mirarier* abierat in *mirari*, librarii voces *est par* ocyus transponerent ob hiatum: hactenus enim eorum eruditio processerat. Et hic est ordo constructionis: "Quâ re etiam atque etiam minime est "par illis mirarier (ea), quæ reddunt "visum ex æquore speculorum binis "aëribus:" i. e. Illi igitur, qui phænomenon imaginis in speculo per medium duplicis aëris explicant, minime mirari

Propterea, quia, de speculi quâ parte recedas,
Continuo nequeant illinc simulacra revorti:
Omnia quandoquidem cogit natura referri,
Ac resilire ab rebus, ad æquos reddita flexus.
Splendida porro oculei fugitant, vitantque tueri;
Sol etiam cæcat, contra si tendere pergas:
Propterea, quia vis magna est ipsius, et alte

quarum pauculas, in lectoris lepidi gratiam, *εν παροδῳ* depromemus.

Primum nebulas discutiam, editoribus offusas, tam qui corruptum locum existimaverint, tam qui sinceram, ad Q. Curtium, iv. 13. 6. "Deinde, tantam multi-"tudinem *circumfundi* paucioribus pos-"se:" i. e. posse *se circumfundere* paucioribus, et inclusos continere. Quid facilius? quid apertius? quid elegantius? Ubi passivæ vocis potestas sensum effecisset, menti scriptoris ex diametro contrarium. Hujusce rei ignoratio C. Nepotem invenustis correctionibus vexavit in Dione, i. 2. "In his ingenium docile, "come, aptum ad artes optimas: mag-"nam corporis dignitatem, quæ non mi-"nimum *commendatur*:" i. e. *se commendat*; quæ scilicet magnam sui commendationem præ se fert: vide nos, v. 859. M. Tullius ab imperitis medicis passus est similia, ad Tusc. dispp. ii. 21. —"eriget ipse se (sapiens), *suscitabitur*, "instruet, armabit—." Quidam codices, *suscitabit*; quod viris doctis non debuerat placere, multo magis affine librariorum importunitati, quam altera scriptura. Editoribus miserabiliter æstuantibus, et nihil extricare tamen valentibus, opitulemur, ad Florum, iii. 22. 2. De Sertorio loquitur historicus: "Exsul et profugus "feralis illius tabulæ, vir summæ qui-"dem, sed calamitosæ, virtutis malis "suis maria terrasque permiscuit; et jam "*Africâ*, jam Balearibus insulis, fortu-"nam expertus, *missus*que in oceanum, "Fortunatas insulas penetravit." Vulgo, *Africæ*; perperam. *Missus* autem, SE MITTENS, vel *projiciens*. Nihil certius in omnium certissimis. Politissimus scriptor in animo habuit pervulgatum distichon Theognidis, *de paupertate*:

> Ἡν δη χρη φευγοντα, και ΕΣ μεγακητεα ΠΟΝ-TON
> ῬΙΠΤΕΙΝ, και πετρων, Κυρνε, κατ' ηλιβατων.

Sed, ne nimii simus, cum retuderimus summam Bentleii audaciam, ad Lucanum, i. 213. in viam redibimus:

> Fonte cadit modico, parvisque *impellitur* undis,
> Puniceus Rubicon——:

i. e. *se impellit*, se promovet. Hoccine autem viro maximo tantopere displicuisse, ut de novo lectoribus versiculum procuderet, qui subsequitur?

> Fonte *fluit* modico, *parvâ*que *ignobilis urnâ*,
> Puniceus Rubicon——.

Dolet, imo perdolet, tale ingenium in se tantam temeritatem et inscitiam admisisse. Confer Ovid. fast. i. 404. met. xv. 181.

Ver. 319. *porro pariter:* M. *pariter porro.*

Ver. 320. *nobiscum:* V. ed. *nobis qum.*

Ver. 322. *nequeant:* sic P. Vind. V. ed. L. Π. Σ. Ω. vulgo, *nequeunt:* vide i. 909. *Illinc* autem, "ab illâ parte, ad quam "recedendo perveneris;" ita ut imago, te progrediente, statim revertatur, et stationem servet.

Ver. 324. *Ac:* O. *At.*—*reddita:* Π. *redita;* quæ vera fortasse fuerit ævo Lucretii usitata doctis scriptura.

Ver. 325. *vitantque:* V. ed. Σ. *vitamque;* Δ. Π. *vitaque.*

Ver. 326. *tendere:* i. e. ire, cum *oculis* scilicet. Virgilius, Æn. xii. 938.

Aëra per purum graviter simulacra feruntur,
Et feriunt oculos, turbantia conposituras.
Præterea, splendor, quiquomque est acer, adurit
Sæpe oculos; ideo, quod semina possidet ignis
Multa, dolorem oculis quæ gignunt insinuando.
 Lurida præterea fiunt, quæquomque tuentur
Arquatei; quia luroris de corpore eorum

> Ulterius ne *tende odiis*——:

vel *tendere*, pro *intendere*, ut repetamus *oculos* ex versu præcedente; ad morem ejusdem Mantuani, ibid. v. 508. propriam atque translatam unius dictionis potestatem caste minus et artificiose consociantis:

> ——— pariterque *oculos*, telumque, *tetendit*.

Vide sis me, ad i. 67. Addam vero Avienum, Arat. 1573.

> Denique, per flammas procul atque incendia solis,
> Ipsa dei cedunt blandi si lumina, solers
> *Tende oculos;* certa hoc ducentur signa magistro.

Et Ammianum Marcellinum, xvi. 10.—"rectam *aciem luminum tendens*."

Ver. 327. *alte Aëra per purum graviter.* Signata est oratio, et quævis dictio suum pondus habet, atque efficaciam: i. e. "Feruntur graviter, ob altitudinem "casûs, per immensum spatium non re"sistentis aëris."

Ver. 329. *conposituras:* Δ. *compos in cras;* Π. autem, *tampos ituras*. Sinnius Capito, apud A. Gell. v. 20. "Solœcis"mus est, inquit, impar et inconveniens "*compositura* partium orationis."

Ibid. *feriunt oculos.* Cicero, epist. ad famil. xv. 16. "His autem *spectris* etiam "si *oculi* possent *feriri*, quod vel iis ipsa "occurrunt, animus quî possit, ego non "video."

Ver. 330. *splendor acer adurit.* In hunc locum Virgilius oculos tendebat, ad geo. i. 93.

> Ne tenues pluviæ, rapidive *potentia solis*
> Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus, *adurat*.

Ubi Burmannus frustra cruciatur; oblitus utique consuetudinis poëticæ, quæ singulare verbum clausulis pluribus accommodat, quamvis ad nonnullas fortassis improprie crassiusque referatur. Hæc licentia longe usitatior est, quam quæ virum doctissimum debuerat remorari. Heynius, uti video, rem probe tenuit, et accurate declaravit.

Ver. 331. *semina possidet ignis;* ut Homerus, Od. E. 490. *σπέρμα πυρός:* Virgilius, ecl. vi. 32. *semina ignis;* et Æn. vi. 6. *semina flammæ*. Confer v. 667. Nec dubito, quin figura similis perierit Floro, ad ii. 17. 2. ab oculo librarii in præcedentia repente conjecto: "Post "illa duo clarissima urbium *incendia*, "late atque passim, nec per vices, sed "simul pariter quasi unum undique bel"lum fuit; prorsus ut illæ urbes, quasi "agitantibus ventis, diffudisse quædam "*belli incendia* toto orbe viderentur." Rescribas ocyssime, meo periculo, *belli semina*. Veram esse correctionem totus orationis color vociferatur. Et phrasis *simul pariter* (i. e. *uno tempore*, atque *unâ operâ*) immerito videbatur Heinsio non ferenda. Plautus, Curc. i. 1. 48.

> Pa. Quid ita? Ph. Quia proprium facio: amo *pariter simul*.

Ver. 332. *gignunt:* V. ed. B. *gignitur;* unde mihi videor expiscari germanissimam Lucretii scripturam, hoc modo:

> Multa, *dolos* oculis *quâ gignitur* insinuando.

Dolos nempe, ad antiquorum consuetudinem, ut *honos*, *humos*, *colos*, *labos:* et *quâ*, pro "quâ viâ, vel ratione;" redi

Semina multa fluunt, simulacris obvia rerum;
Multaque sunt oculis in eorum denique mixta,
Quæ contage suâ palloribus omnia pingunt.
E tenebris autem, quæ sunt in luce, tuemur,
Propterea, quia, quom propior caliginis aër
Ater iniit oculos prior, et possedit apertos;
Insequitur candens confestim lucidus aër,

ad ver. 292. Sed notissimum est. Hæ autem doctæ sermonis exquisitioris formulæ quin labefecerint librarios, nullus ambigo, atque ad carmen corrumpendum propulerint. De hoc vero dicat sciscatque, cum comitia habebuntur, S. P. Q. Criticus. Nos illorum decretis libenter obsequemur. Cæterum, glossator vetus prior dabit testimonium: " *Dolos*, *οδυνη*." Quoties autem permutationes, ad instar *των quâ* et *quæ*, nobis in Lucretii codicibus obtigerint, quid attinet memorare?

Ver. 333. *Lurida:* hoc est *lutea* Varroni, apud Nonium, i. 151. et xvi. 10.— " *arquatis* et veternosis, quæ *lutea* non " sunt, æque ut *lutea* videntur—:" i. e. crocei coloris. Ubi, ut id obiter attingam, nonnulli perperam solicitant lectionem *veternosis*, i. e. hydropicis: videas glossarium vetus, et in lexicographis Catonis locum. Fortassis non omnino male, quum utrumque vocabulum buxeum subnigrumque pallorem non inepte referat, et colores varii non sint in veterum linguis accurate semper dictionibus propriis definiti. Idem grammaticus, ad v. 14. " *Arquati* dicun-" tur, quibus *color* et oculi *virent*." Et glossator vetus: " Χλωρος, *viridis*, palli-" dus, galvus, (l. *gilvus*, Virg. geo. iii. 83.) " *luteus*." Idem alibi ad Lucretium illustrandum multum facit: " *Luridus*, *ωχρος*, " *πελιος*, (l. *πηλινος*), ΙΚΤΕΡΙΚΟΣ, *ὑποω-* " *πιος*." Rursus: " *Ικτερικος*, aurugino-" sus, *luridus*, *arquatus*." Celsus etiam, iii. 24. dicit de oculis arquatorum, " quod " album esse debeat, fit *luteum*." Aretæus insuper, de causs. et sign. acut. morb. i. 15. icterici colorem vocitat *κροκωδη* ac *μελαγχλωρον*.

Ver. 334. *Arquatei:* de quibus Nonius, i. 151. ita castigandus, et distinguendus: " *Arquatus* morbus dictus, qui regius di-" citur, quod *arquo* sit concolor; de vi-" rore." Conferas eundem, ad v. 14. Libri, *arquus*.

Ibid. *luroris*. Claudianus, rapt. Pros. iii. 238.

——————— *luror* permanat in herbas:

in quo loco, sicut etiam Lucretii, non opus esse, ut de nescio quo *lutore* cogitemus, modo collata nobis satis superque probant. Videas editores ad Claudianum. Apuleius, met. i. p. 28. qui et alias plus semel usus est dictione: " Humi sedebat, scis-" sili palliastro semiamictus, pene alius " *lurore*, ad miseram maciem deformatus." Non accedo tamen Oudendorpio *τῳ lurore* cum *deformatus* socianti. *Luror* sane hominem *deformasse* recte dicetur; sed quomodo *ad maciem* eum *deformet*, nullus equidem intelligo. Ad Apuleium etiam nonnulli libri dant *lutore*.

Ver. 335. *multa:* V. ed. M. *mavult;* L. *mault*, literis transpositis; Σ. *mala*.— *simulacris:* Π. *simul aëris*. Versus integer deest O.

Ibid. *simulacris obvia rerum:* i. e. rebus incidentia, et eas lurore suo colorantia.

Ver. 337. *pingunt:* O. *pingant;* non male: Π. *tingant;* atque ita sponte conjeceram, sed recepta lectio quiddam sonat longe *ποιητικωτερον*, *pingunt palloribus*. Avienus apponi debet, in Arat. 77.

Omnia quæ *flammis pingunt* radiantibus æthram:

nec minus pulchri versus Ciceronis, ibid. 227.

Qui quasi purgat eos, ac nigras discutit umbras
Aëris illius: nam multis partibus hicc' est
Mobilior, multisque minutior, et mage pollens.
Qui simul atque vias oculorum luce replevit,
Atque patefecit, quas ante obsederat ater;
Continuo rerum simulacra adaperta sequuntur,
Quæ sita sunt in luce, lacessuntque, ut videamus.

—— quæ sideribus claris natura polivit,
Et vario *pinxit* distinguens *lumine* formas.

Cæterum, audaciam Lucretianæ phraseos *pallore pingere* non veritus est æmulari Achilles Statius, i. 15. ita rescribendus: *Των δε φυλλων* ΑΝΩΘΕ ΔΙΑΔΟΝΟΥΜΕΝΩΝ *ὑφ' ἡλιῳ προς ανεμιον συμμιγη*, ΩΧΡΑΝ *εμαρμαιρεν ἡ γη την* ΣΚΙΑΝ: vix variantibus literarum lineis. Vulgo, *ανωθεν αιωρουμενων*. Confer sis Hom. Il. P. 55. Virg. ecl. v. 5.

Ver. 338. *tuemur:* V. ed. *tenemur;* et mox cum Vind. L. M. Σ. Ω. *proprior*, vice *propior*.

Ver. 340. *Ater:* O. Σ. *Alter;* de quâ commutatione, Drakenborchium videas, ad Liv. xxii. 10. 6.—*iniit:* V. ed. *in et;* ut statim *cadens*, pro *candens*.

Ver. 341. *candens lucidus:* quarum posterior vox priorem interpretatur, de solitâ Lucretio ubertate. Virgilius, Æn. viii. 720. cum pari copiâ sermonis:

Ipse, sedens *niveo candentis* limine Phœbi.
Dona recognoscit populorum—.

Candens igitur *lucidus aër* uno verbo nominari potest *albus aër;* de quo nos ad Silv. Crit. v. p. 78. et seqq. Prudentius, peristeph. ii. 239. versibus eximiæ venustatis:

Hunc, qui superbit serico,
Quem currus inflatum vehit,
Hydrops aquosus *lucido*
Tendit veneno intrinsecus:

i. e. *albo:* male nonnulli reponunt *lurido*. Apuleius, met. v. p. 351.—“ *candenti* “ canitie *lucidus*.”

Ver. 342. *nigras discutit umbras.* Memor hujusce versûs idem Maro, geo. iii. 357.

Tum sol *pallentis* haud umquam *discutit umbras*.

Errore turpissimo Sedulium liberemus in transitu, carm. ii. 154. nam locus profecto dignus est, qui nitidior legatur:

Qualiter in medias dum lux præclara tenebras
Funditur, et proprio, non obfuscata, sereno
Discutit, expulsas illæsis vultibus, *umbras*.

Libri, quos habeo, *Decutit*.

Ver. 343. *illius:* B. L. M. *ullius*.

Ver. 344. *Mobilior:* B. O. *Nobilior;* vide ad ii. 413. et similes turbas ad Horat. od. i. 1. 7. Ω. *Molior*.—*mage:* V. ed. *magne*.

Ver. 345. *atque:* Π. Ω. *ac;* ex glossâ nimirum marginali.

Ver. 346. *patefecit.* Sic syllabam produxit Calpurnius, ecl. i. 35. Aliter Carus alibi.

Ibid. *obsederat vias.* Mantuanus, Æn. ii. 332.

Obsedere alii telis *angusta viarum*,
Oppositi—.

Libri quidam ibi dant, *Oppositis;* quam lectionem male præponit Heinsius, receptâ longe longeque meritis inferiorem, si modo versus, ut supra posuimus, distinguatur. *Oppositi* nempe, *se opponentes*, vel obsistentes, venientibus: videas in hanc rem uberius disputata, ad ver. 318.

Ver. 347. *simulacra adaperta:* ita scriptum est in O. Ω. ut erat in codicibus scriptis Pii; elegantissime quidem. In cæteris omnibus exemplaribus, quâ manu

Quod contra facere in tenebris e luce nequimus;
Propterea, quia posterior caliginis aër
Crassior insequitur, qui cuncta foramina conplet,
Obsiditque vias oculorum, ne simulacra
Possint ullarum rerum, contecta, moveri.
  Quadratasque procul turreis quom cernimus urbis,
Propterea fit, utei videantur sæpe rotundæ,

exaratis, quâ vetustioribus impressis, *adaperta* non invenitur. In ejus locum *quædam* post *rerum* pro supplemento ponitur in P. atque pariter in B. Sed, quam admisimus, vox, apprime speciosa est, neque vulgarem librariorum gustum sapit; pro *retecta*, manifestata. Maro, Æn. vi. 406.

———— *aperit* ramum, qui veste latebat.

Seneca, epist. lxiv. sub fin. "Si consulem "videro, aut prætorem;—equo desiliam, "*caput adaperiam*, semitâ cedam." Statius, Theb. i. 396.

Mox *adaperta* fides—.

Sic Anthologia Latina Burm. ii. 88. 6. Sed integrum poëmation apponam, ut emendatius scribatur; nam singularis est elegantiæ, et Atticissimi leporis, atque vel ævi purissimi ingenio non indignum:

Mars pater! et, nostræ gentis tutela, Quirine!
  Et magno *positi*, Cæsar uterque, polo!
Cernitis ignotos Latiâ sub lege Britannos;
  Sol citra nostrum flectitur imperium:
Ultima cesserunt *adaperto* claustra profundo;
  Nec jam *Romani* cingimur Oceano.

In secundo versu, libri dant *positus:* quod ferri potest, et cum renitente non contenderim; sed nostra lectio longe facilior est, et inaffectatæ simplicitati carminis immane quantum convenientior. Versus ultimus ita solet evulgari:

Et jam *Romano* cingimur Oceano:

contra manifestam scriptoris mentem, quam clarabit ultimum præcedentis epigrammatis eodem argumento distichon:

At nunc Oceanus geminos interluit orbes;
  Pars est imperii, terminus ante fuit.

Ergo ille oceanus, qui Romanam potentiam dudum cingebat, nunc intra eam continetur; quum mare transgressi sint Romani, et devicerint Britanniam. Jam verò, quum literæ majusculæ, a quibus versus incipiunt, sæpissime soleant omitti, hoc voculæ *Nec* semel facto, restantes literæ, tam ob similitudinem literarum *c* et *t*, quam ob necessitatem probæ dictionis efficiendæ, statim in *et* migraret: meas annotationes vide in Æschyli Eumenidas, ver. 137.

Ver. 348. *que* deest Δ. Π.—*videamus:* V. ed. *videmus.*—Hic autem Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. inserunt a ver. 299. ad ver. 325. et P. a ver. 303. ad eundem ver. 325.

Ver. 349. *facere:* M. *jacere.*—*e:* Vind. V. ed. Π. Σ. *in:* et P. B. sensu prorsus menti poëtæ contrario, *e tenebris in luce.* De suo ponunt editores, *a luce;* libris nullis addicentibus.

Ver. 350. *Propterea quia.* Lucretius hanc formulam frequentavit: neque minus Plautus. Sic Asin. ii. 3. 6.

Propterea, huc *quia* habebas iter—.

Idem, in Capt. i. 2. 71.

———— *quia* mihi est natalis dies,
Propterea te vocari ad cœnam volo.

Rursum, denique, Most. v. 2. 34.

Propterea, quæ fecit, *quia* te scire scit.

Mox Π: *replet*, pro *conplet.*

Ver. 352. *Obsiditque vias:* Vind. V. ed. B. L. M. Δ. *Obsidit quia;* defectu, si scripturæ brevioris rationem habeas, unius tantummodo literulæ; Π. *Obsedit quia;* O. *Obseditque vias;* Σ. *Osseditque*, cum voce *aciem* post *oculorum* insertâ.

Ver. 353. *Possint:* Π. *Possunt.*—*contecta:* sic omnia omni genere exemplaria præter P. qui habet *conjecta*, nec de varietate lectionis mentionem facit; unde hanc scripturam, editoribus avidissime arreptam,

Angulus obtusus quia longe cernitur omnis;
Sive etiam potius non cernitur, ac perit ejus
Plaga, nec ad nostras acies perlabitur ictus;
Aëra per multum quia dum simulacra feruntur,
Cogit hebescere eum crebris offensibus aër.
Hoc, ubi subfugit sensum simul angulus omnis,
Fit, quasi ut ad tornum saxorum structa tuantur:

correctori reddendam puto. Vox *contecta* respondet e contrario voci *adaperta*, in ver. 347. uti Lambinus etiam vidit. Sensus est: "Ne simulacra, quorum calles "caliginosus aër ambit contegitque, ita "moveri in oculis et excitari possint, ut "res, unde emittantur, discerni queant."

Ibid. *moveri*. Lege, *movere:* vide ver. 348.

BENTLEIUS.

Voluit, opinor, "*movere* nos." Sed nihil muta.

Ver. 354. Hæc disputatio, de quadrati cujus libet angulis ædificii procul visis, multum est antiquis philosophis ventilata. Alexandrum Aphrodisiensem, de hac re disquirentem, in lib. i. prob. 37. Lambinus protulit: videas etiam Diogenem Laërtium, ad ix. 85. et scriptores ibi Menagio laudatos; Macrobium quoque, Sat. vii. 14. sub finem; Sextum Empiricum, i. 14. ibique Fabricium. Interea, Petroniani versus non injucundi lectoribus accesserint, p. 877. ed. Burmanni:

Fallunt nos oculi; vagique sensus,
Oppressâ ratione mentiuntur.
Nam turris, prope quæ quadrata surgit,
Adtritis procul angulis rotatur.

Animadvertas autem singularem verbi *rotatur* sensum; non alibi, ut exputo, legendum.

Ver. 355. *Sæpe* vocula non *effectum* rei visæ respicit, qui *semper* idem est, sed *videntis* tantummodo *consuetudinem;* quasi dixerat: "Turres quadratæ, quas *sæpe* "cernimus, procul videntibus rotundæ "solent apparere."

Ver. 356. *obtusus:* V. ed. Ω. *obtutus.*

Ver. 358. *perlabitur.* Nimirum hanc vocem viri docti probe evolverunt de scripturâ codicum L. M. *deriabitur, i* literâ cum *l* facile permutatâ; quo dato, res statim conficitur: vide Drakenborchium, et quos laudat egregius editorum, ad Liv. ii. 23. 3. Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. *derivabitur;* librario, ut satis patet, interponente *v*, ut legitima quæpiam vox efficeretur; P. *delabitur*, et in notis meminit varietatis *illabitur*. Unice sincera est lectio, quam exhibuimus, neque in controversiam vocanda.—Cæterum, pro *nec*, V. ed. *hæc;* et M. *ates;* sed in verum *acies* manus eadem mutaverat.—Mox Ω. *ferantur.*

Ibid. *Plaga nec ictus:* quibus utique *lacessuntur* oculi, et *feriuntur:* vide ver. 218.

Ver. 360. *hebescere:* V. ed. *hebestore;* Π. *obescere.*—*eum:* P. V. ed. B. Δ. Π. *cum;* quod non existimo deterius: et hæ voculæ sæpissime commutatæ sunt: adi Drakenborchium, in Liv. iv. 19. 2. In Vind. hoc distichon erasum est.

Ver. 361. *Hoc:* P. V. ed. B. *Hæc;* sed cum nobis faciunt optimi et plures, L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. Nempe, formula exquisitior indoctos scribas ludificata est. *Hoc* nempe *modo;* ut sæpissime *quo* relativum usurpatur. Apponatur Terentius, Phorm. v. 3. 21.

Patris nomen aliud dictum est: *hoc* tu errasti.

Quamvis id exempli nimirum aliter capi possit. Nec minus dubitem egomet de Virgilii versu, ad Æn. ii. 664.

Non tamen, ut coram quæ sunt, vereque rotunda;
Sed quasi adumbratim paullum similata videntur.
Umbra videtur item nobis in sole moveri,
Et vestigia nostra sequi, gestumque imitari;
Aëra si credis, privatum lumine, posse
Indugredi, motus hominum, gestumque, sequentem:
Nam nihil esse potest aliud, nisi lumine cassus
Aër, id, quod nos umbram perhibere suëmus.

Hoc erat, alma parens! quod me per tela, per ignis,
Eripis—.

Per *ideo* Servius apposite interpretatus est. In his formulis brevioribus magna est legitimæ constructionis ambiguitas atque difficultas vel in hominum, qui nunc sunt, linguis; ne dum in diutissime desuetis veterum. Glossarium Philoxeni: "Hoc "ho, τυτο, ταυτῃ:" quæ sic censuerim emendanda: "Hoc, *hac*, ΤΟΥΤΩ, ταυτῃ." Sunt utique prorsus ejusdem potestatis formulæ: *hoc modo*, *hac viâ*. Sed enim de hac formulâ ubertim egerunt animadversores ad Hygin. fab. xxxiv.

Ver. 362. *Fit:* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. *Et.—quasi ut ad tornum:* sic elegantissime ac sincerissime O. Ω. neque aliud est *quasi ut ad turnum* codicum B. L. M. elementis *o* et *u* passim permutatis et adhibitis promiscue in linguâ Latinorum veterum: vide Priscianum, lib. i. p. 554. sed in hoc loco judicandi sunt librarii vitiosam sui seculi pronunciationem male expressisse: nam sequiores dicebant *turnare* et *turnus*, pro *tornare* et *tornus*; unde ad nos Anglos hæc forma dictionis derivata est: videas Du Fresne ac Du Cange glossarium, in vocibus. Galli utramque vocalem conservavere in *tourner*. Ab hac autem meliorum membranarum lectione, parce vel plenius detortæ sunt aliorum exemplarium scripturæ: P. *quasi ut ad turrim;* Vind. *quasi ut ad turnam;* Δ. *quasi ut ad acervum;* Π. *quasi ut ad turium;* Σ. denique, *quasi ut ad curvum*. Jam vero Lucretii locutio *quasi ad tornum* manifestissime adeo proba est, et facilis, et perspicua, ut non egeat interpretis, atque asserere puduisset, nisi pessimo sane temeritatis exemplo, et summam per inscitiam, nobis ad hanc formam, si diis placet, *tornatum* versum, vel *tortum* potius, dedissent editores arbitrarii:

Fit, quasi *tornata ut* saxorum structa tuantur:

cum quo mittendi sunt ἐς κόρακας et Μακαρίαν.—Porro, B. *tuentur*.

Ibid. *saxorum structa*. Maro, Æn. iii. 84.

Templa dei *saxo* venerabar *structa* vetusto.

Ibid. *tuantur:* i. e. cernantur, passive, ab obsoleto *tuo*, *tuor*. Glossarium vetus: " *Tuo*, ἀτενίζω." Hanc autem formam conjugationis tertiæ Lucretius frequentavit: vide nos, ad i. 301. Ovidius, ad Liv. 137.

Nunc ego te, infelix! summum teneoque, *tuorque*.

Vocem similiter adhibuit passive Varro, sed in sensu secundario, de re rust. iii. 1. 4.—" quod et in pace a rusticis Romanis alebantur, et in bello ab his tuebantur." Ad quem locum alia Schœttgenius. Plautus, Most. iii. 2. 152. vetustiore formâ usus est:

——— nullam equidem illeic cornicem *intuor*.

Conferas Nonium Marcellum, vii. 20. Rursus denique, idem ille glossator vetus: " Ἀτενίζω, contemplor, *tuo*."

Ver. 364. *adumbratim:* B. *adumbrantim.—similata:* V. ed. B. Ω. *simulachra*.

Nimirum, quia terra locis ex ordine certis
Lumine privatur solis, quaquomque meantes
Obficimus: repletur item, quod liquimus ejus.
Propterea fit, utei videatur, quæ fuit umbra
Corporis, e regione eadem nos usque sequuta:
Semper enim nova se radiorum lumina fundunt,
Primaque dispereunt, quasi in ignem lana trahatur.
Propterea, facile et spoliatur lumine terra,

—*videntur:* B. *videtur.*—De his autem adverbiis in *im*, vide nos ad i. 45. atque Oudendorpium, ad Apul. met. iv. p. 252.

Ver. 367. *credis:* editores, *credas;* de penu proprio, libris universis renuentibus, usu nullo, necessitate nullâ. Sic etiam Vind. si collatori fides danda sit, ad hunc locum procul dubio dormitanti: ut alibi, in operis decursu, non raro.—*lumine:* Vind. Π. Σ. *lumina.*

Ver. 368. *gestum:* P. *gressum;* sed Δ. Π. Σ. *gestus;* ut editi vulgares, ad *κακοφωνιαν*, opinor, et ambiguam constructionem, evitandam: sed veteres et emendati codices non sunt auribus delicatulis posthabendi.—*sequentem:* P. *frequentem;* Δ. *sequentum.*

Ver. 369. *lumine cassus.* Ita Marcus Tullius in versu suavissimo Arateorum, de *Orione*, ver. 345. locutus est:

Et dextrâ retinens, non *cassum luminis*, ensem:

pulchram per *μιμησιν;* nam gladio instruitur fulgentissimo. Hinc elegantissimus Virgilii, ad Æn. iii. 317. locus pendet:

*Armatum*que *auro* circumspicit Oriona:

ubi consulas omnino Servium, et interpretes. Noster autem, "*retinentes* pocula," i. 496. ut Cicero, "*retinens* ensem," pro *tenens.*—Porro, pro *cassus*, Π. *casus;* et M. pro *aliud nisi* dat *aliumi:* quod peccatum putavissem pro *alium ni*, i. e. *aliūni*, si constaret, veteres dixisse *alium*, loco *aliud*, ut dicebant *aliæ*, pro *alius.* Addam denique Virgilium, ad Æn. ii. 85.

——— nunc *cassum lumine* lugent:

i. e. *ætherio lumine;* confer Æn. xi. 104.

Ver. 370. *umbram:* B. Π. *umbra.*—*perhibere:* B. *prohibere:* in dubio relinquit V. ed. omissâ horizontali lineâ, hoc pacto: *phibere.*

Ver. 372. *quaquomque:* P. V. ed. B. *quæcunque.*

Ver. 373. *Obficimus:* Π. *Efficimus.*—*liquimus:* Π. Ω. *linquimus;* me non improbante.

Ver. 376. *se radiorum lumina fundunt.* Ad hoc dicendi genus illustrandum, quod sæpenumero animadvertimus, opere facit maximo Festus: "*Manare solem* antiqui "dicebant, cum solis orientis *radii splen-* "*dorem jacere* cœpissent—." Ita Carus noster multoties locutus est.

Ver. 377. *in ignem:* sic verissime codices optimi et antiquissimi, L. M. et hac similitudine nihil aptius expressiusque fingi poterat: quid enim citius consumitur, quam tenuissima lanæ capillamenta, flammæ admota? Mirum autem in modum libri variant: P. *margine;* Vind. V. ed. B. Ω. *imaginem;* O. Δ. Π. Σ. *imagine;* quidam codices Pii habent, *in agmine.* Nos lectioni positæ lubentissime subscribimus. Porro, vice *Primaque*, Π. Σ. *Prima;* pro *quasi*, Π. *qua;* pro *lana*, Δ. *luna;* et Π. *trahantur.* Sed enim ob sequentes versus, qui videntur hac materiâ *simulacrorum corporalium* quiddam sublimius spirare, me cogitatio subit, ad hunc modum potuisse forsan scribere Lucretium:

——— quasi *imagine luna* trahatur:

Et repletur item, nigrasque sibi abluit umbras.
Nec tamen heic oculos falli concedimus hilum:
Nam, quoquomque loco sit lux, atque umbra, tueri
Illorum est: eadem vero sint lumina, necne,
Umbraque, quæ fuit heic, eadem nunc transeat illuc;
An potius fiat, paullo quod diximus ante;
Hocc' animi demum ratio discernere debet,

ut locus truncatus sit, et, quæ sequuntur, ad eclipsin solarem, quâ tellus inumbratur, referri debeant. Sed satis habeo suspicionem meam cum lectore communicasse.

Ver. 378. *et spoliatur:* P. *expoliatur;* non male, sed venustius et simplicius habeo vulgatum; V. ed. *ut spoliatur;* etiam non male: B. *ut ut dispoliatur;* O. *spoliatur.*

Ibid. *spoliatur lumine.* Locutionem excepit Virgilius, Æn. xii. 935.

> Et me, seu corpus, *spoliatum lumine*, mavis,
> Redde meis—.

Ver. 379. *abluit:* Vind. Σ. *adluit;* O. Ω. *alluit;* Π. *adludit.*

Ibid. *abluit umbras.* Similem habet translationem Flaccus, od. i. 7. 15.

> Albus ut obscuro *detergit nubila* cœlo
> Sæpe Notus—.

Sic legendum, cum exquisitiore vocabulo, pro tritiore *deterget*, (vide supra, ad ver. 250.) cum Acrone, enarratore Cruquiano, et aliis nonnullis exemplaribus, tum MSS. tum impressis.

Ver. 380. *heic:* P. Vind. V. ed. B. Σ. *hoc;* quod non pejus, nisi propter insuaviorem sonum, quem tamen aures Lucretianæ non exhorruerint, uti liquet ex ver. 387. Π. *huc.*—*falli:* B. *facili.*

Ver. 382. *sint lumina:* P. V. ed. *sine lumine:* Pro *necne autem*, V. ed. *nec ve:* et *vero* deest Σ.

Ver. 383. *quæ:* Vind. L. M. *quæque;* et, uti suspicor, *Umbra*, omisso *que*, licet de hoc Alter et Havercampus taceant; non enim aliter invenio in Veronensi: sed nihil expiscor, quod lector sanus receptis anteponat.—*nunc:* sic V. ed. B. L. O. Π. Σ. Ω. repetito *ne ἀπὸ κοινοῦ*, quod perfacile est, et doctius; reliqui, *num:* abest omnino vocula ab M. ut *heic* etiam a B.

Ver. 384. *An potius fiat*—: "umbram "scilicet non re verâ sequi, sed apparere "sequi tantummodo, verr. 374. 375. et "radios intercipi subinde, progressu cor"poris offectos; adeo ut nova perpetuo "exsurgat umbra, nec eadem uno ordine "continuetur." Lambinus, egomet si valeam dispicere poëtæ mentem, non bene declarat locum.

Ver. 385. *debet:* M. *possit debet.*

Ver. 386. *naturam noscere rerum:* i. e. penitiores caussas philosophiæ penetrare, aciei mentis solius obvias.

Ver. 387. *adfingere:* sic Pii codex defæcatior, Vind. L. M. Δ. Π. Σ. Ω. sed P. V. ed. B. *effingere.* Et in Π. *hoc* ponitur post *Proinde*, et in Δ. scribitur *hæc.*

Ibid. *adfingere:* i. e. pro simplice *fingere*, ut *addere* non raro, pro *dare*, sæpenumero usurpatur. Quum vero proprie possit verbum *adfingere*, quantum valeam discernere, *insuper*, vel novum aliquid, *fingere;* (in quam rem nostrum conferas ad v. 165. Ciceron. ad Tusc. dispp. iii. 33.) mihi videtur unice sincera, et nullis incommodis obnoxia, lectio codicis O.

> Proinde animi *vitium* hocc' oculis *adfigere* noli.

Has autem dictiones, et omnes ex eâdem stirpe succrescentes, in libris veterum passim confusas esse scribis, nemo, qui non sit in his literis prorsus hospes, potest ignorare. Ille Cicero apposite, ibid. sect.

Nec possunt oculei naturam noscere rerum.
Proinde, animi vitium hoec' oculis adfingere noli.
Quâ vehimur navi, fertur, quom stare videtur;
Quæ manet in statione, ea præter creditur ire:
Et fugere ad puppim colles, campeique, videntur,
Quos agimus præter navem, velisque volamus.
Sidera cessare, ætheriis adfixa cavernis,
Cuncta videntur; et adsiduo sunt omnia motu;

28. "Quid ita? quia huic generi malo-"rum non *affigitur* illa opinio:" nam idem color est orationis. Si de Arnobii lectione res esset ad liquidum perducta, in portu navigaret recepta Lucretii scriptura, lib. i. p. 13. "Ac, ne quis nos ta-"men, diffidentiâ responsionis, tranquil-"litatis existimet deos donare muneribus, "innoxias *affingere* his mentes, atque ab "omni perturbatione dimotas—." Sed in nonnullis exemplis scribitur *affigere*. Idem, lib. vi. init. p. 189. "In hac enim "consuestis parte crimen nobis maximum "impietatis *affigere*—." Qui locus summe tempestivus, sed hic quoque similiter libri fluctuant. Livius, xxiv. 3. 7. "Ac "miracula aliqua *adfinguntur* plerumque "tam insignibus locis." Ubi codices etiam *effinguntur*, *attinguntur*, et *affiguntur*, habent. Videas ejusdem limatissimi scriptoris editorem ad xxxiv. 37. 3.—"Et "graviora atque indigniora quædam *ad-*"*finxisset*—." Denique, quum *affingere* videatur velle *comminisci* potissimum, *affigere* autem valeat *imputare*, *ascribere*, *attribuere*, qui sensus scopo Lucretii maxime competit; de sententiâ, quam dederim, non discedam, donec docti certiora quædam impertientur.

Ver. 388. *quom*, vel *cum:* Σ. *tamen; c* nempe cum *t* in scripturæ compendio mutatâ: *tn̄* et *cū*.

Ver. 389. *Quæ:* P. V. ed. B. Π. *Hæc;* Δ. *Vel.*—*manet:* O. Π. *movet.*—*præter:* B. *propter:* vide ad ii. 689.

Ibid. Hæc naturalis species multam nativæ simplicitatis venustatem Virgilii loco peperit, Æn. iii. 72.

Provehimur portu: *terræque, urbesque, recedunt.*

Cicero, Acad. ii. 25. "Videsne navem "illam? "Stare nobis videtur, at iis, qui "in navi sunt, moveri hæc villa."

Ver. 391. *navem:* sic P. V. ed. L. M. O. Ω. vulgo, *navim:* vide Heinsium, ad Virg. Æn. i. 120. B. *navis:* i. e. naveis.

Ibid. *velisque volamus.* Hinc sumpsit sua Virgilius, Æn. iii. 124.

Linquimus Ortygiæ portus, *pelagoque volamus.*

Et cum ornatu majore notionem ille extulit ibid. ver. 520.

Tentamusque viam, et *velorum* pandimus *alas.*

Ver. 392. *ætheriis:* B. *ætheris.*—*adfixa:* Δ. *affissa;* de quo peccato scribarum, vide Drakenborchium, ad Liv. vi. 32. 10. et alibi. Sic in Gruteri inscriptt. p. 298. habemus:—"injussu ejus prælio *con-*"*flissiset.*"

Ver. 392. *ætheriis cavernis:* redeas ad ver. 172. Sic Manilius, i. 202.

Est igitur tellus mediam sortita *cavernam*
Aëris:

quem locum Faber etiam superius admovit. Cicero in consulatu, de divin. i. 11.

Ætheris æterni sæpta atque inclusa *cavernis.*

Oppianus, cyneg. i. 281.

Κεινοισι ταχεα μανες εναντιον ισοφαριζοι
Αιετος ΑΙΘΕΡΙΟΙΣΙΝ *επιθυων* ΓΥΑΛΟΙΣΙΝ:

ubi videndus De Ballu, Schneiderum recte sugillans. *Ætheris viscera* Avienus nominat, Arat. 44. ita distinguendus; nam

Quandoquidem longos obitus exorta revisunt,
Quom permensa suo sunt cœlum corpore claro:
Solque pari ratione manere, et luna, videtur
In statione; ea, quæ ferri res indicat ipsa.
  Exstantesque procul medio de gurgite montes,
Classibus inter quos liber patet exitus; ingens

in editis, quæ viderim equidem, pravis punctis pessum datur locus:

> Iste modum statuit signis, hic rebus honorem
> Infundit tenebris: hicc' interlabitur *æthræ*
> *Viscera*, et æternos animat genitabilis artus.

Et illud *rebus* primi versûs vitii est manifestissimum: forte, *lætus*. Virgilius, Æn. i. 591.

> ——— *lætos oculis* adflarat *honores*.

Ver. 393. *et:* Δ. Π. *at;* ut editi recentiores.—*videntur motu:* M. *videmus mota.*—Insuper editores inferserunt *in* post *adsiduo*, ut reposuerunt etiam *at* contra librorum fidem: temerario satis consilio utrumque, neque postulantibus vel linguæ rationibus, vel scriptorum usu. Nempe, poëticæ locutionis indoles non est de nihilo ubivis ad cautiores grammaticæ severitatis leges revocanda, ne pereat color ejus proprius, et lepores ingenui evanescant.

Ver. 394. *revisunt:* L. *revisant*, sed manus eadem correxit; M. *revisant;* V. ed. *reniscuit:* cujus corruptelæ rationes in proclivi est lucidissime declaratas dare. Nimirum, in minusculæ scripturæ formis, si literæ *c* et *i* propius adducantur, in literam coalescunt τῷ *a* quam simillimam: illud ergo *reniscuit* hoc pacto fit *renisaut;* cujus dictionis lineamenta ductibus τῷ *revisunt* sunt eadem undequaque.

Ver. 396. *manere:* V. ed. *moveri;* O. *movere.*—*manere et luna:* M. *maneret et lumine.*—Et ipsâ de re consulas M. Tull. Acad. ii. 26. doctissimum Davisium, Lucretii non immemorem.

Ver. 397. *ea:* V. ed. *eo.*—*indicat:* P. V. ed. B. *judicat;* literarum ductibus et numero paribus et formâ simillimis.—Hic autem versus et sequentes quatuor in Vind. omittuntur.

Ver. 398. *Exstanteis monteis*, vel *Exstantis montis:* sic, opinor, omnes libri veteres: de solitâ ellipticâ constructione. Vulgo, *Exstantes montes.*

Ibid. *medio gurgite:* i. e. mari. Ita Virgilius, Æn. v. 160.

> ——— *medio*que Gyas in *gurgite* victor.

Ver. 399. *quos:* P. *aquas.* Et in editionibus hic locus auctior uno versu solet exhiberi, contra omnium membranarum, et sincerissimorum typis expressorum exemplarium, fidem; ad hunc modum scilicet:

> Classibus inter quos liber patet exitus, *Idem*
> *Apparent, et longe divolsi licet*, ingens——.

Quod emblema putidissimum, et iratis Musis elaboratum, nos e carminibus nitidissimis expulimus indignabundi; numeris appictis nihilo minus haud perturbatis, ob magna incommoda hinc alias suboritura. Sciolus nimirum librarius nominativum pendentem, vel absolutum, elegantissimis licet scriptoribus frequentatum, pro doctrinæ modulo concoquere parum quivit; ideoque panniculum sordidum non erubuit assuere Lucretio, per officiosam nimis atque temerariam sedulitatem. Cæterum, de hac figurâ constructionis, cujus passim nobis exempla obversantur, consulas Hoogeveenum, ad Viger. idiot. cap. iii. sect. 1. fin. Vel simplicissimus Ovidius non exhorruit specimen exhibere, ad fast. ii. 73. Vide, quæ mox notabimus, ad ver. 525.

Cæterum, vice *ingens*, Π. *ignes;* error scripturæ brevis, *igēs*. Idem mox *cum*

Insula conjunctis tamen ex hiis una videtur.
Atria vorsari, et circumcursare columnæ,
Usque adeo fit utei pueris videantur, ubi ipsei
Desierunt vorti, vix ut jam credere possint,
Non supra sese ruere omnia tecta minari.
Jamque rubrum tremulis jubar ignibus erigere alte

montis; pro *conjunctis:* i. e. *cum*, pro *con*, ut sæpius; et *montis*, vice *jonctis*.

Ver. 402. *columnæ:* Δ. *columen;* trajectis literis.

Ibid. *Atria vorsari.* Juvenalis, vi. 304.

——— cum jam *vertigine* tectum
Ambulat.

Hinc, opinor, etymon vocis *ambulo* indagari possit; quum certissime valeat in hoc loco *circumagi*, vel *circumvolvi*. Constat igitur ex Græcis *αμφι* et *ειλεω*, vel *ιλεω*. Virgilius, Æn. vii. 784.

Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur, arma tenens.

i. e. *αναστρεφεται*, *ambulat;* sed ut innuat tamen vigorem Turni, atque habilitatem: ex Mæonidis imitatione manifestâ, ad Il. M. 49.

Ὡς Ἑκτωρ αν' ὁμιλον, ιων, ΕΙΛΙΣΣΕΘ'—:

ita locus erat interpungendus. Pulchre vestigia maximi poëtæ Dionysius insecutus est, perieg. 546.

Κειθι δ' Αχιλληος τε και ἡρωων φατις αλλων
Ψυχας ΕΙΛΙΣΣΕΣΘΑΙ ερημαιας ΑΝΑ βησσας.

Præ quorum versuum suavitate vel acescit nectar. Docte transtulit Avienus, ver. 724. sic distinguendus accuratius:

Nam, post fata, virûm semper *versarier* illic
Insontes aiunt animas———.

Juvenalis locum, quod serus intellexerim, Preigerus etiam attulerat. Jocum Corydi in Athenæo, quem vir doctissimus insuper admovit, quum neque ab ipso, neque summo Casaubono, probe perceptum videam, in transitu clariorem faciam. Legitur in deipnos, vi. 12. Παρα Πτολεμαιῳ δε, ματτυης περιφερομενης, και κατ' εκεινον αει λιποντης, Πτολεμαιε, εφη, ποτερον εγω μεθυω; Η δοκει μοι ταυτα περιφερεσθαι: i. e. "Anne ebrius sum? Certe hæc mihi cir- "cumferri videntur:" nec tamen, quod mireris, ad me veniunt. Vulgo, per disjunctionem clausularum: "*An* mihi vi- "dentur circumferri?" perperam; quum ebrietas sit ipsissima circumactûs apparentis caussa.

Ver. 403. *utei:* B. *ut.*—*pueris:* Π. *puris;* vide ver. 1020.—*ubi:* Δ. *ibi.*

Ver. 404. *Desierunt:* P. *Desierint.*—*vorti* abest a codice Π.

Ver. 405. *supra:* P. *supera.*—*sese ruere:* V. ed. B. *se struere;* Π. *se fervere;* *s* cum *f* mutato, et confusis syllabis. Istius autem permutationis origo in similitudine ductuum *f* et *ſ* longioris formæ statim cernitur: de quâ videndus idem diligentissimus, et omni laude cumulandus, Drakenborchius, ad Liv. v. 3. 8.—Mox Π. *Quamque.*

Ver. 406. *tremulis:* i. e. coruscis, vibrantibus. Hinc Statius, Theb. i. 353.

——— nec non abrupta *tremiscunt*
Fulgura:

et Cicero, de divin. i. 11.

——— claro *tremulos* ardore *cometas.*

Accedat Valerius Flaccus, i. 427. ut justâ mactem illum interpretatione, nam falsus est explicationis Burmannus:

Illis Tænario pariter *tremit ignea* fuco
Purpura:

i. e. fluitat quasi, tremiscit, coruscat, vibrat, ignibus; ut idem scriptor cultissimus ad ii. 342.

——— Tyrio *vibrat* torus *igneus* ostro.

Quom cœptat Natura, supraque extollere monteis;
Quos tibi tum supra sol monteis esse videtur,
Conminus ipse suo contingens fervidus igni,
Vix absunt nobis missus bis mile sagittæ;

i. e. emittens quasi radios, ob purissimum splendorem. Noster Ennium æmulatus est, in Melanippâ:

Lumine sic *tremulo* terra, et cava cærula, candent.

Redi dicta nobis ad i. 1088. Pulchrius et aptius Cyprianus, de sideribus nictantibus, gen. 16.

Quarta dies generat, solis cum lampade, lunam;
Et stellas, *tremulo* radiantes *lumine*, fingit.

Vide nostrum, v. 299. Et ex hoc *tremore* lucis, quasi face coruscante propagatæ, pendet Statius, Theb. x. 283.

——— nec numen abest; armataque Juno,
Lunarem quatiens exsertâ *lampada* dextrâ,
Pandit iter, firmatque animos, et corpora monstrat:

i. e. Lunam adhibens, ac commovens, ut fulgentior enitesceret; ac si lampada concuteret. Veterum scholiastarum interpretationes, non nauci faciendas, nollem Barthio placuisse. Hanc elegantiorem poëticæ dictionis formulam Heinsius et Heynius, ad Virgilii Cul. 42. pervenustum profecto locum, non videntur probe intellexisse:

Igneus Oeteas jam sol penetrarat in arcis,
Candidaque aurato *quatiebat lumina* curru.

Idem Heynius magnas turbas ciet de nihilo ad Cir. 350. Tullius in Arato, ver. 117.

Sed mediocre jacit *quatiens* e corpore *lumen*.

Ibid. *jubar erigere alte supraque extollere monteis.* Ab igne speculatorio locutiones videntur, multâ cum elegantiâ, translatæ: nec Virgilius non locum delibavit, ad Æn. viii. 25.

Sic, ut aquæ *tremulum* labris ubi *lumen* ahënis
Sole repercussum, aut radiantis imagine Lunæ,
Omnia pervolitat late loca, jamque *sub auras*
Erigitur, summique ferit laquearia tecti.

Ammianus etiam Marcellinus opportunus est: xxii. 13. " Volitantes scintillæ adhæ-" sere materiis vetustissimis, *ignes*que, ari-" dis nutrimentis *erecti*, omne, quidquid " *contingi* potuit,—concremarunt." Confer Ovid. fast. ii. 149.

Ver. 407. *cœptat:* Π. *captat.* Similiter librarii rariorem vocem cum eâdem *captare* mutaverunt ad Sil. It. ii. 275. et cum interpretamento *tentare*, ibid. ix. 320. Ad Auson. Mosell. etiam, ver. 237. quidam libri *captat*, pro *cœptat*, exhibent. Plura videas de hoc peccato librariorum apud Drakenborchium, ad Liv. vi. 27. 4.

Ibid. Non minus venuste legere possis:

Quom cœptat *Matuta*, supraque extollere monteis.

Non aliter ad v. 655.

Tempore item certo roseam *Matuta* per oras
Ætheris Auroram defert, et lumina pandit.

Sed nihil muto ob vi. 470.—Bentleius. Iniquior est judex, meâ saltem sententiâ, divinationis suæ vir incomparabilis, et ingenii sagacitate pollentissimus. Mihi quidem hæc emendatio valde placet; et nihil mirum, si dictio, quâ scribarum Lucretianorum aures semper circumsonarent, facile obruerit exquisitiorem: quam corruperunt etiam vel in optimis codicibus, ad v. 655. Si ad meum arbitrium gereretur res, *Matuta* in hoc versu stationem debitam habuisset, vel recuperasset potius.

Ver. 408. *tibi:* omnes præter L. M. (de quibus an fideliter egerit Havercampus, valde dubito) dant *ubi;* et *cum*, pro *tum*, excepto Π.—*fervidus:* M. *et ruidus.*

Ver. 409. *Conminus:* V. ed. *Communis;* O. Ω. *Quominus;* uti peccatum est etiam scribæ, ad Virg. Æn. vii. 553.

Ibid. *contingens igni.* Hinc emacules Festum in voce *Cimmerii:* " —— in quâ

Vix etiam cursus quingentos sæpe veruti.
Inter eos, solemque jacent inmania ponti
Æquora, substrata ætheriis ingentibus oris:
Interjectaque sunt terrarum milia multa,

"convallis satis eminenti jugo circundata "est; quæ, neque matutino neque vespertino tempore, sole *contingitur*." Vulgo, *contegitur*. Ita Catullus, lxiv. fin.

Nec se *contingi* patiuntur *lumine* claro.

Arnobius, lib. ii. p. 84. "Quemadmodum "*sol* ipse uno eodemque *contactu* tam varias res efficiat—." Hinc nos verissime emendavimus Horatium, od. iii. 13. 9.

Te flagrantis atrox *aura* Caniculæ
Nescit *tangere*:

in nostris animadversionibus ad Soph. Trachin. 685. quæ sunt harum elegantiarum cultoribus omnino ibidem consulendæ. Sed in hac venustate exhibendâ tam Græcos quam Latinos longe longeque supergressus est Miltonus nostras in Sams. Agon. ver. 549.

Wherever fountain, or fresh current, flow'd
Against the eastern ray, translucent, pure
With touch ethereal of Heav'n's fiery rod,
I drank.

Interea, Sidonium Apollinarem mendâ liberabo, ad xxiii. 94.

Tum, cum *fulmine tactus* imperator
Vitam fulminibus parem peregit?

Editi, *captus*. Vult scilicet Carum, de quo Aurelius Victor, xxxviii. 3.—"ubi "fusis hostibus, dum, gloriæ inconsulte "avidior, Ctesiphonta, urbem Parthiæ "inclytam, transgreditur, *fulminis tactu* "conflagravit." De hoc autem errore scribarum, Burmannus, ad Ovid. met. viii. 184. et alii. Alcimus Avitus, v. 598. quam venuste, de rubro mari patefacto Israëlitis:

Torridus aspectum scissis sol inserit undis,
Ignotamque novo *contingit lumine* terram.

Suetonius, vi. 6. "Tantum quod exori"ente *sole*; pene ut *radiis* prius, quam "terrâ, *contingeretur*." Sed Catullum jam allatum haud male interpreteris ad audaciorem sensum, qualem non metuit A. Gellius, vi. 8. nemine venusto exprobrandus: "Victi hostis uxorem, facie inclutâ "mulierem, vetuit in conspectum suum "deduci; ut eam ne *oculis* suis quidem "*contingeret*." Neque aliter probe percipies Maronem, Æn. iv. 568.

Si te his *adtigerit* terris *Aurora* morantem.

Ovidius insuper accedat, fast. vi. 685.

Signa dedit genitor tum, cum caput *igne* corusco
Contigit, inque comâ flammeus *hæsit* apex.

Sic legendum, cum uno libro. *Hæsit*: i. e. *diu moratus est*; nec, dictu mirum! læsit. Iterum, Arnobius, denique, lib. ii. p. 58. ne nimietate peccem, quamvis in phrasi exquisitissimâ omnium exornandâ morer: "Liquor purus e fontibus, *cal*"*dore ignis intactus*."

Ver. 410. *Vix absunt*: Π. *Vise adsunt*. —*Missus*: Δ. *Missis*; Π. *visus*; Σ. *missæ*. Et *mile* scribimus, non *mille*: vide dicta ad iii. 724. Glossarium vetus: "*Mile*, "*χιλια*." Et rursum: "Χιλια, *mile*." Neque caussæ satis est, ut singularis numerus diversam orthographiam nanciscatur, quicquid grammatistæ quidam obloquantur.

Ver. 411. *cursus veruti*. Manus in locutionem minime pervagatam Statius jecit, Theb. v. 361.

Jamque *aberant* terræ, quantum Gortynia *currunt*
Spicula—.

Ita castigandum putem, non sine enarratoris antiqui suffragio, vice *aderant*; quod coactum foret, et affectationis nimiæ. Has voces nuperrime confusas vidimus.

Ver. 412. *solem*: Π. *solent*.—*inmania*: Vind. *in inania*. Et locus huic appositus conspicitur in Ovidio, met. viii. 576.

Quæ variæ retinent gentes, et secla ferarum.
At conjectus aquæ, digitum non altior unum,
Qui lapides inter sistit, per strata viarum,
Despectum præbet sub terras inpete tanto,

——— Non est, inquit, quod cernimus, unum;
Quinque jacent terræ: spatium discrimina fallit.

Ver. 413. *substrata:* O. *substracta.;* Π. *subtracta.*—*ætheriis ingentibus:* Ω. divise, *ætheris in gentibus.*

Ibid. *ætheriis oris:* quas Virgilius, Æn. i. 394. *ætheriam plagam* vocitavit.

Ver. 414. *Interjectaque sunt:* B. *Interjecta queunt.*—*milia:* sic emendate P. V. ed. Ω.

Ver. 415. *retinent:* ut simplex tenent, *ἔχουσι:* vide i. 496. ii. 25. Catullus, lxiv. 8.

Diva quibus, *retinens* in summis urbibus *arceis*,
Ipsa levi fecit volitantem flamine currum.

Vide Arntzenium, ad Aurel. Vict. de Cæs. i. 5. Mirari liceat interea poëtam non de ambiguâ constructione cavisse, scribendo:

Quas variæ retinent gentes——.

Ver. 416. *At:* M. *Ad;* Π. *An.*—*conjectus:* sic verissime Pii exemplar priscum, Vind. B. L. M. O. Π. Σ. vide nos ad i. 1029. ii. 960. iii. 199. P. V. ed. *commictus*, spurcissime: Δ. *collectus;* vel ex interpretatione, vel emendatione recentiorum, vel ob affinitatem literarum *i* et *l*.—*digitum:* B. Σ. *digito.*—*unum:* Σ. *uno:* i. e. *digitō unō*, pro *digitom unom*, ad veterrimorum orthographiam, uti sæpe alias. Error ex eâdem caussâ Nasoni videtur inhærere ad fast. i. 433.

Ecce rudens rauco Sileni vector asellus
Intempestivos edidit ore sonos.

Rauco et *ore* nimis distant, ac præter morem Ovidianum. Scribo, et certissime:

Ecce, rudens *raucum*, Sileni vector, asellus—:

i. e. *raucō*. Idem, art. am. iii. 239.

Illa sonat *raucum* quiddam, atque inamabile ridet,
Ut *rudit a scabrâ* turpis asella *molâ*.

Ita locus legendus; nam *rudere* lætitiæ signum est, et asina ob opus exactum rudit. Priorem autem versum, et ibid. ii. 659. similiter depravavit Heinsius, atque alios quosdam, nuper ad ver. 77. notatos.

Ver. 417. *inter sistit:* P. O. Ω. *intersistit;* et æque bene.

Ver. 418. Virgilius, uti Lambinus dudum monuit, hoc distichon adumbratim repetitum dedit, ad Æn. vi. 578.

Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad ætherium cœli suspectus Olympum.

Ubi sic se habet orationis ordo: " Quan-" tus ad ætherium Olympum (i. e. cuipi-" am ad auras superas posito) suspectus " cœli *est*."

Ibid. *inpete tanto.* Nos, haud multo aliter: " With so great a *sweep*." Noster iterum, v. 201.

——— quantum *cœli* tegit *inpetus* ingens:

quod notandum; quum locutio sit in exquisitissimis Latinarum. Hinc percipere plene valeas, quid sibi Gellius voluerit, ad noctt. Att. x. 18. " Molita quoque est, " *ingenti impetu* operis, conservandæ ma-" riti memoriæ, sepulcrum illud memo-" ratissimum—:" i. e. " with a *vast com-" pass* of work." Atque errare aio, qui aliter eundem interpretetur, ad v. 14. " Is unus leo corporis *impetu* et vastitu-" dine, terrificoque fremitu et *sonore*, to-" ris comisque cervicum fluctuantibus, " animos oculosque omnium in se con-" vertit." Sic legendum, ex verâ Gronovii restitutione; nam per clausulas, bifariam distributas invicem, procedit locus: nempe, " impetu et vastitudine; fremitu " et sonore; toris comisque." Interea, obiter emaculabo Statium, silv. iv. 2. 23. ubi Marklandus noster opportune atque

A terris quantum cœli patet altus hiatus;
Nubila despicere, et cœlum: ut videare videre
Corpora mirande sub terras, abdita cœlo.
Denique, ubi in medio nobis equus acer obhæsit

erudite Lucretium adhibuit; et vulgo scribitur, "Liberior *campi*—:"

> Tanta patet moles, effusæque *impetus* aulæ;
> Liberior *cameræ*, multumque amplexus aperti
> Ætheros.

Unde corripiendi sunt emendatores, et interpretes docendi, ad Cæsaris B. G. iii. 8.—"in magno *inpetu maris* atque *aperto*." Advocandus est etiam, ut dictionem rariorem illustret, antiqui coloris scriptor, Vitruvius, viii. 1. fin. "Et, si quæ ibi sunt aquæ apparentes, ex his, quod est levissimum tenuissimumque, et subtili salubritate, aër avocans dissipat in *impetum cœli*."
His autem omnibus in hoc usu vocabuli præivit Ennius, quem Festus nobis feliciter conservavit in voce *Restat:*

> *Inpetus* haud longe mediis regionibus restat:

i. e. spatium, intervallum. *Impete* autem venit a recto *impes;* de quâ voce videndi sunt animadversores eruditi ad Florum, iv. 12. 54.

Ver. 419. *cœli altus hiatus*. Phrasin, haud protritam, nec vulgari elegantiâ, Prudentius arripuit, ad Hamart. 879. cum suavissimâ variatione:

> ———— *aërios* visu transmittit *hiatus*
> Spiritus——.

Nec non Boëtius, lib. ii. met. 2.

> Sed, quæsita vorans, sæva Rapacitas
> *Altos* pandit *hiatus*.

Ubi quispiam cogitare possit de "*latos* hiatus;" neque in leviore profecto re mutatio displiceret: nunc non item; vide Valer. Flacc. vi. 552. Lucretius utique *altus cœli hiatus*, ut Virgilius *cœlum profundum:* quem, nostri imitatorem ex professo, et in locutionibus constantissime exprimentem; nullus dubito, quin orationis indoles et ipsius rei proportio voce magis magniloquâ sublimandum postulent, ad Æn. vi. 576.

> Quinquaginta *altis inmanis hiatibus*, Hydra
> Sævior intus habet sedem——.

Evulgatur *atris:* sed his dictionibus solenne est librariorem genti oberrare, uti nos monuimus tantum supra, ver. 183. adeas etiam Æn. v. 19. Et, quæ dicta sunt ad versum præcedentem, liquido ostendunt, Maronis oculos in hunc ipsissimum Cari locum intentissime conversos esse, ut vix dubitabilis sit emendatio.

Ver. 420. Lego:

> Nubila despicere, et cœlum ut videare videre; et
> Corpora, *mirandum!* sub terras abdita *retro*.

Vide modo i. 1057, 1058. et mox ver. 611.
BENTLEIUS.

Sane ex salebris hujusce distichi me non expedio. Bentleianum tentamen placuisset, si τῷ *retro* quæpiam vestigia codicum faverent. Speciem habet τὸ *mirandum*, propter lectionem Bononiensis, nempe *mirando:* i. e. *mirandō, mirandom, mirandum*. Quod mihi vero simillimum videretur, et quam minime membranas conculcaret, dedi; sed non prorsus mihi satis facio; ad hanc constructionem scilicet: "Conjectus aquæ præbet despectum sub terras ad penitissimam usque altitudinem;" nempe, (per epexegesin utique, Lucretio valde familiarem) "despicere nubila et cœlum: ut videare videre sub terras mirando more corpora, cœlo abdita:" i. e. remotissimis cœli seposita. Jam vero varietatem lectionis disquiramus.—*ut* deest omnibus præter P. et Vind. Ad finem versûs, editores ingerunt *et*, in fulturam constructionis; quod non comparet in P. Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. et commentitium existimo.—*mirande:* sic L. atque eodem redit M. *mirandæ;* B.

Flumine, et in rapidas amnis dispeximus undas;
Stantis equi corpus transvorsum ferre videtur
Vis, et in advorsum flumen contrudere raptim:
Et, quoquomque oculos trajecimus, omnia ferri,
Et fluere, adsimili nobis ratione videntur.
Porticus æquali quam vis est denique ductu,

munda; P. *mirandum;* reliqui omnes, *miranda.*

Ibid. *despicere:* nimirum quasi de superiore loco; unde nos recte asseruimus hanc vocem Virgilio, ad ii. 741.

Ver. 421. *abdita:* i. e. penitus recondita et abstrusa. Virgilius, geo. iii. 96.

> Hunc quoque, ubi, aut morbo gravis, aut jam segnior annis,
> Deficit, *abde domo*——.

Conferas ejusdem Æn. i. 60. et ad priorem locum annotationes Heynii, qui falsissimus est interpretationis; nec idoneam caussam video, quare Nemesiani locum ad diversum sensum obtorqueamus. Non alienus est glossator vetus: "*Abdidit*, "*απεκλυσεν*." Sane in hac notione vox nusquam non frequentata est.

Ver. 422. *in obhæsit:* sic antiquissima exempla L. M. si verum egerit Havercampus; reliquis omnibus deest *in*, et comparet scriptum *adhæsit.* Gratum faceret eruditis, qui membranas illas bibliothecæ Leidensis ad amussitatum magis examen revocaret; quas Havercampus in magnum Lucretii detrimentum perfunctorie nimis videtur excussisse. Crediderim sane genuinum esse in hoc loco *adhæsit*, et *obhæsit* esse cujuspiam correctoris. Libri pariter variant ad Suetonium, iii. 2. Apuleium, met. lib. vi. p. 404. et videndus utrobique Oudendorpius; ac Burmannus, ad Ov. met. iv. 27.

Ibid. *equus acer:* ut Mantuanus ille, ad Æn. i. 444. "caput *acris equi.*"

Ver. 423. *Flumine:* Π. *Fulmine.*—*amnis:* B. *animis.*—*dispeximus:* ita Vind. L. M. et admittendam habui lectionem, tam ob codicum præcellentem auctoritatem, quam ob ver. 426. et quia spectator, equo sic demerso, magis *in latus* prospiciat, quam *deorsum.* Reliqua exemplaria, de usitatissimâ librariis permutatione, dant *despeximus.* Cæterum, proprietate sermonis non obstante, varietas delectat, et nostro in primis adamatus est: vide verr. 418. 420.

Ver. 425. *flumen contrudere:* M. *fulmen contundere.*—*raptim:* V. ed. B. *raptum.*

Ver. 426. *oculos trajecimus.* Elegantem habes locutionem, Prudentio non inobservatam, ut qui nostrum studiose sit æmulatus: Hamart. 875. de *oculis* animarum:

> Illis viva acies, nec pupula parva, sed ignis
> *Trajector* nebulæ, et vasti *penetrator* operti est.

Ignis nempe, ut radii, oculorum; sed audaciâ feliciori. Omnes tamen mihi videtur longe post se reliquisse in hac venustate Valerius Flaccus, ad Argon. i. 462.

> At frater magnos Lynceus servatur in usus;
> Quem tulit Arene: possit qui *rumpere terras*,
> Et Styga *transmisso* tacitam deprendere *visu:*

ubi non audiam equidem Heinsium cum suo *inrumpere*, versuum sublimes animos misere frangentem.

Ver. 427. *adsimili:* P. O. *hac simili;* Vind. V. ed. B. Δ. Π. Σ. Ω. *ac simili;* magno consensu, sed mendose.

Ver. 428. *ductu:* V. ed. B. *dictu.*

Ibid. *æquali ductu:* i. e. parallelis lineis lateratim productus, nullâ ex parte convergentibus; ad æquilatationem, ut cum Vitruvio loquar, accuratam factus.

Ver. 429. *Stansque:* Π. *Stans;* melius, me judice.—*in perpetuum:* P. V. ed. *inperpetuum;* uti sequioris ævi scriptores semper emollibant et colliquefaciebant

Stansque in perpetuum paribus subfulta columnis,
Longa, tamen parte ab summâ quom tota videtur,
Paullatim trahit angusti fastigia coni,
Tecta solo jungens, atque omnia dextera lævis;
Donec in obscurum coni conduxit acumen.
In pelago nautis, ex undis ortus, in undis

finalem præpositionis literam. Mallem equidem in hoc nomine orthographiam veterem servatam. Gruter. inscriptt. i. p. 181.

> Lavationem ex suâ pecuniâ
> Gratuitam in *perpetuom* dedit:

et sic alibi in illis collectaneis.—*paribus subfulta:* M. *partibus se fulta;* sed eadem manus superscripsit *paribus efulta.* Nihil arbitror in hoc Lucretii loco mutandum.

Ibid. *in perpetuum:* i. e. in seriem longiuscule continuatus. Pulchre Creechius Virgilium admovit, Æn. vii. 176.

> *Perpetuis* soliti patres considere *mensis.*

"*Longis*, ad ordinem æquatis sedenti-"um:" Servius. Διηνεκῶς, ut glossator vetus.—Illud autem *imperpetuum*, quod modo attulimus, quiddam longe diversum sonat. Seneca, epist. 72. rem probe declarabit: "Nam, cui quid accedere po-"test, id imperfectum est: cui quid ab-"scedere potest, id *imperpetuum* est." Ubi Lipsius perperam maluit *accidere*. Ovidii *perpetuum carmen* vel pueri norunt: et sane usitatior hic est vocabuli minime rari sensus; ut miror Munckerum, virum impense doctum, hæsitare potuisse ad Hygin. fab. lxxxiii. qui cum Scheffero ibidem consulendus est.

Ibid. *paribus:* i. e, eâdem altitudine, nec gradatim decrescentibus.

Ibid. *subfulta columnis.* Hinc ex contrario jocum captavit Plautus, mil. glor. ii. 2. 54.

> Ecce autem ædificat: *columnam mento subfulcit suo.*

Ver. 430. *Longa:* i. e. "si modo in "tantum producatur, quantum sufficiat "effectui creando:" nam brevior laterum extensio dictam rem non exhibet.

Ver. 431. Si quis opticum phænomenon, quod Lucretius luculentissimis versibus, et accuratissimâ subtilitate, depinxit nobis, (hactenus sane præcellentissimus, et omnes post se relinquens) oculis velit usurpare; sacellum lautissimum Collegii Regalis Cantabrigiensis adeat. Ad utrumque latus concamerati loci inter imbricatum tectum superius, et inferius alterum, jacentis, spatium, latum fortasse tres fere pedes, altum sex septemve, ad longitudinem totius sacelli protenditur; nempe, in perpetuum ducentos nonagenos pedes: ita ut pene in punctum terminare videatur. Hunc effectum nobismetipsis multâ cum voluptate sæpiuscule contigit observare, et præmonstrare aliis, unâ sacellum sumptuosissimum invisentibus.—Cæterum, cum sermone hujusce loci committas Priscian. perieg. 615. 616.

Ver. 432. *jungens:* V. ed. B. *ingens;* Σ. *mergens.*—*lævis:* Δ. *lenis.*

Ver. 433. *Donec:* sic omnes libri; *Donicum* autem editores, turmarum mortalium impudentissimi.—*conduxit:* O. *quom duxit;* Δ. *tum duxit;* Π. *cum duxit;* Σ. *duxit.*

Ibid. *conduxit;* nempe, omnem porticum. Locutionem Cari in cognatâ materie Rutilius adhibuit, itin. i. 567.

> *Conum* pyramidis coëuntia flumina *ducunt.*

Bene vocavit *pyramidalem* conum ob *planas* fluminum et interjacentis terræ *superficies.* Sed enim brevi complexu verborum, et perspicuo, Creechius omnia continuit: "Nam, cum tectum descen-"dere, pavimentum surgere, et parietes

Sol fit utei videatur obire, et condere lumen;
Quippe ubi nihil aliud nisi aquam cœlumque tuentur:
Ne leviter credas labefactari undique sensus.
At maris ignaris in portu clauda videntur
Navigia aplustris, fractas obnitier undas:
Nam quæquomque supra rorem salis edita pars est

"concurrere, videantur, in acutum co-"num prospectus desinat necesse est:" angulis interea in rotunditatem evanescentibus.

Ver. 434. *ortus:* V. ed. *et ortus:* volens *exortus* scilicet, uti plane scribitur in Π. versu sic constituendo:

In pelago nautis, undis *exortus*, in undis:

numeris multo insuavioribus. Et, pro *ex undis ortus*, fuit in M. *exeundis portus*, sed manus eadem correxit.

Ibid. *In pelago nautis.* Hæ voces ὑφ' ἓν accipiendæ sunt; nautis utique ἐμπελαγίζειν, prout Achilles Tatius locutus est.

Ver. 435. *videatur:* M. *videtur.*—*obire:* O. *abire.*—*condere:* P. O. Π. *tendere;* Vind. V. ed. B. L. Δ. Σ. Ω. *contendere;* M. *non condere;* sed idem scriba receptam lectionem supra posuit. Si quid lateat exquisitius, ei eruendo egomet non sum. Committi potest Virgilius, geo. i. 438.

Sol quoque, et exoriens, et quum se *condit* in undas,
Signa dabit——.

Ita legendum, ut distincta sit temporum diversitas, cum quibusdam exemplis, pro *condet:* vide ver. 247. et Mediceum cum aliis ad verr. 450. 454. Aliter sane ad ver. 458. sed his varietatibus nihil jucundius. Et fortassis ἀπὸ κοινοῦ, "exoriens "*ab undis.*"

Ver. 436. *ubi:* P. *ibi.*—*nihil:* sic Vind. V. ed. Σ. clare: vulgo, *nil.* Sed de hoc sæpenumero diximus.—*tuentur:* Vind. *tenentur.* Mox P. *Nec,* vice *Ne;* ut Ω. quoque.

Ibid. *nihil aliud—:* "ergo fieri ne-"quit, ut sol illis videatur alibi occidere; "adeoque non falluntur nullâ de caussâ, "nec levi quidem, oculorum sensus." Pari sensu Mantuanus, ad Æn. iii. 193.

——— cœlum undique, et undique pontus.

Ver. 438. *portu:* B. *porta.*—*clauda:* P. *clausa.*—*videntur:* Π. *videtur.*

Ibid. *clauda Navigia:* sic Virgilius, Æn. v. 278. *vulnere claudam* vocat serpentem, cum quâ comparabat *ratem* Sergesti, fractis remis et corpore concusso debilem; Lucretii sui non fortassis immemor. Ibi varietas etiam *clausa* cernitur in membranis.

Ver. 439. *aplustris:* M. Π. *amplustris;* O. Ω. *aplaustris.*—*fractas:* ita scribitur in B. L. M. reliqui, parvam per aberrationem, *factas,* præter P. qui *fractis* habet.—*obnitier:* Vind. *obnicies;* V. ed. *obnities;* Π. *ob virides;* Δ. *ob,* cum hiatu. Vides ibi permutatas literas *r* et *s;* de quâ re consulendus est Drakenborchius, ad Liv. iii. 4. 1.—*undas:* sic Vind. V. ed. O. Π. Σ. Ω. recte; B. L. M. *unda;* P. Δ. *undis.* Nempe, distichon integrum ita scribi solet, ac distingui:

At maris ignaris in portu clauda videntur
Navigia, aplustris *fractis,* obnitier *undis.*

Jam vero, postea quam lectiones nostras et vulgariter receptas ad codicum veritatem, vel veri similitudinem potius, revocaveris, contempleris velim, quot sermonis exquisitioris elegantias nos redonaverimus loco: adeo ut prior versuum constitutio præ jam positâ sordescat. *Clauda aplustris* phrasis est pervenusta; diciturque, ut usitatior, *claudus pede.* Hominis autem claudicantis gressus optime trans-

Remorum, recta est; et recta superne guberna:
Quæ demersa liquore obeunt, refracta, videntur
Omnia convorti, sursumque supina revorti;
Et reflexa prope in summo fluitare liquore.
Raraque per cœlum tum ventei nubila portant
Tempore nocturno, quom splendida signa videntur

fertur in navis instrumenta, subsultim fluctibus agitata. Et fortassis rarior ac doctior constructio dictionis *obnitier* cum quarto casu librarios terruerit; sed immerito, nam verbum compositum sæpissime apud probissimos etiam scriptores casum regit, quem simplex habet præpositio: quæ structura feliciter, in hoc verbo, quæ ambigua sunt, evitat: confer nostrum, vi. 558. cum Virg. geo. iii. 233. et, quid velim, scies. Similiter *oberro* et *obambulo* cum accusativo reperiuntur, atque *oblatrat* apud Silium. Neque in hac re minus usitatum est Græcis etiam structuram sermonis variare.

Ibid. *Navigia clauda.* Q. Curtius, ix. 9. 13. "Quidam, enavigare properantes, "sed non exspectatis, qui simul esse de"bebant, et *clauda* et inhabilia *navigia* "languide moliebantur."—Jam vero voces, *fractas undas*, non ad solitum sensum tam valent *undas violentius collisas* in hoc loco, quam *undas se frangentes:* i. e. inflectentes et incurvantes, *αγνυμενας·* quæ notio vocabuli maxime speciosa est ac poëtici leporis: me videas ad Silv. Crit. iii. p. 141. quibus confirmandis, si res posceret, nullo negotio multa mox accederent. Apposite Tertullianus, in superioribus memoratus, hæc Lucretiana exempla decepti visûs tractans, de *animâ*, sect. 17. "Nam, ut in aquâ remus *in*"*flexus*, vel *infractus*, appareat, aqua in "caussâ est." Sed omnino consulas perdoctam Davisii notam, Lucretium laudantis, ad Ciceron. Acad. ii. 7.

Ver. 440. *quæquomque:* Δ. *quacunque.*—*rorem:* B. *rore:* i. e. haud dubie, *rorē.*

Ibid. *rorem salis:* i. e. salsum, vel amarum, rorem maris: adeoque Virgilius, geo. iv. 431. *rorem amarum* nominat.

Ver. 441. *recta est:* V. ed. *tecta est.*—*recta:* Π. *recte.*—*superne guberna:* P. *superna gubernat.*

Ibid. *guberna.* Nonius Marcellus, viii. 59. scribit: "*Guberna*, pro gubernacula. "Lucilius, sat. lib. xx.

"Proras despoliate, et detondete *guberna*."

Glossator vetus: "*Gubernum*, *κυβερνιον*." Quorum utriusque Lambinus prior meminit.

Ver. 442. *demersa:* V. ed. B. *diversa:* i. e. *dmersa.*—*refracta:* V. ed. B. *refacta;* uti pariter ad ver. 439.

Ibid. *obeunt:* i. e. subeunt; ut ver. 435. Vetus glossarium: "*Obeo*, *ὑπεισερ*"*χομαι*." Rem leviculam non attigissem, nisi mirificam prorsus interpretationem commentus esset Faber.

Ver. 444. *reflexa prope in:* P. *flexa prope jam;* V. ed. *flexa prope in;* legibus metri, utrobique, vel mancis, vel claudicantibus.—*fluitare:* Vind. V. ed. Ω. *flavitare;* B. Π. *fluvitare.*

Ver. 445. *Raraque:* V. ed. B. *Nam quæ:* unde versus, ità constitutus, minime displiceret:

Jam quæ per cœlum *quoque* ventei nubila portant.

Jam et *nam* confundi solent: vide var. lectt. ad Lucan. ii. 214. Sil. Ital. ix. 242. ibique Drakenborchium.—*quom:* Δ. Π. *tum:* et hanc lectionem recipiendam duximus, quâ ob elegantissimum deflexum orationis a vulgari constructione, quam studiose librarii reductum irent; quâ ob scripturæ varietates in codicibus ad sequentem versum.

Ver. 446. *Tempore:* B. *Tempora.*—

Labier advorsum nimbos, atque ire superne
Longe aliam in partem, ac quâ, ratione, feruntur.
At, si forte oculo manus uni subdita subter
Pressit eum, quodam sensu fit, utei videantur
Omnia, quæ tuimur, fieri tum bina tuundo;
Bina lucernarum florentia lumina flammis,

quom: sic Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *tum.*

Ver. 447. *Labier:* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *Lavier;* permutatione passim obviâ, ob affinem sonum literarum *b* et *v.*—*nimbos:* Lambinus ex arbitrio, *nubeis,* audacissime; multos tamen sectatores nactus: confer nostrum, v. 290. vi. 483. qui ne in uno quidem loco videtur *nimbos* adhibere aliter, quam simpliciter ut *nubes;* nisi forte ad iii. 19. ob Homeream imitationem. Virgilius, Æn. ii. 616.

Jam summas arcis Tritonia, respice! Pallas
Insedit, *nimbo* effulgens, et Gorgone sævâ.

Compares Æn. vi. 590. vii. 143. viii. 622. et Servium, ad i. 80.—*atque ire:* V. ed. Ω. *at quære;* O. *ac quærere;* Δ. *ac quare;* Π. Σ. *ac quere.*

Ver. 448. *ac quâ:* sic membranarum et antiquissimorum typis expressorum librorum auctoritas me coëgit scribere, et elisionem prætermittere; quod in hac sane cæsurâ frequentavere Virgilius et alii castissimi poëtæ. Pius posuit emendaté satis, nisi recentem correctorem saperet, *quam quo;* et ita, qui nostrum postea ediderint. Vind. V. ed. Δ. Σ. *aquæ;* B. L. Π. *aque;* M. *atque;* O. Ω. *quam aque.* Vides has omnes corruptelas nihil aliud velle posse quam *ac quâ;* nam centies in his libris *a* et *æ* confusa sunt. Cogitabam:

Longe aliam in partem, *ac quâ de* ratione feruntur:

sed numeri non leniter decurrunt. Si quis est, qui pulchrius locum restituerit ex scriptionis depravatæ ductibus, pro magno Apolline nos libenter accipiemus, et mandatis, quasi ex tripode profantis, obsequemur.

Ver. 449. *si subter:* V. ed. *se subiter.*

Ver. 450. *eum:* sic L. M. Δ. Σ. Ω. et probo, ob ii. 803. quamvis libri reliqui habeant, nec male, *cum:* vide ver. 360.—*utei:* sed omnes libri, *ut,* quantum intelligo; solenni peccato.

Ver. 451. *quæ:* B. *quem;* haud dubie pro *quum.*—*tum:* M. *um,* suprascripto *ut.*

Ver. 452. *florentia:* O. Π. *flagrantia;* perperam, et fortassis ex interpretatione: non aliter tamen citat Cruquianus commentator, ad Horat. sat. ii. 1. 25.

Ibid. *florentia lumina flammis.* Tertullianus, apol. cap. 11. "Vani erunt "homines, nisi certi sint, a primordio et "pluvias de cœlo ruisse, et sidera ra"diasse, et *lumina floruisse*—." Ad quem locum abunde exemplorum congessit Desid. Heraldus.

BENTLEIUS.

Accedat porro sublimis Statius, Theb. i. 210.

——————— radiant majore sereno
Culmina, et, arcano *florentes lumine,* postes:

ut ibid. ii. 276. Hinc recte capias Maronem, ad Æn. vii. 804.

——————— et *florentes ære* catervas:

quem passibus æquis sequitur elegantissimus Valerius, Arg. v. 565.

——————— variis *floret* via discolor *armis.*

Magnifice Xenophon, Cyrop. vi. sub fin. *ὡςτε ηστραπτε μεν χαλκῳ,* ΗΝΘΕΙ *δε φοινικισι, πασα ἡ στρατια.* Apuleius, met. viii. thesaurus elegantiarum: "Luce clarâ, et "die jam provecto, et *sole florido.*" Ap-

Binaque per totas ædeis geminare supellex;
Et duplices hominum facies, et corpora bina.
Denique, quom suavi devinxit membra sopore
Somnus, et in summâ corpus jacet omne quiete;
Tum vigilare tamen nobis, ac membra movere
Nostra videntur; et in noctis caligine cæcâ

prime venustus est etiam Cicero pro Milon. 8. "Itaque delegit e *florentissimis* "ordinibus ipsa *lumina*." Vide i. 899. Coronidis autem loco Claudiani locus amœnissimus accedat, de Magnete, ver. 7.

Unde fluant venti, trepidæ quis viscera terræ
Concutiat motus, quis fulgura ducat hiatus,
Unde tonent nubes, quo *lumine floreat* arcus.

Pro *fluant*, conjicit Heinsius *ruant*; iratis Gratiis: vide nostrum Carum, i. 281. uti sæpe alias locutus est. Addam Ven. Hon. Fortunatum, vii. 4. 19.

Limina sardonychæ variato *lumine florent*.

Et translata videtur dictio ab *ætate viventium*. Testi sit Horatius, art. poët. 62.

Et, *juvenum* ritu, *florent* modo nata, vigentque.

Unde Ammianus Marcellinus, xxiv. 7. —"et, conflagratione procedere vetiti, "stativis castris, dum *flammæ senescerent*, "tenebamur." Sic alii.

Ver. 453. *geminare:* Ω. *germinare.*— Et lector animadvertat absolutum verbi *gemino* usum, ad morem Lucretii ipsissimum. Frequentavit verbum compositum similiter Virgilius; cujus exemplo sit geo. i. 333.

——— *ingeminant* austri, et densissimus imber.

Hoc genere specimen exquisitius editores Homericos prorsus latuit, ad Il. Δ. 460.

Τον ῥ' εβαλε πρωτος κορυθος φαλον ἱπποδασειης·
Εν δε μετωπῳ ΠΗΞΕ, περησε δ' αρ' οστεον εισω,
ΑΙΧΜΗ χαλκειη· τον δε σκοτος οσσ' εκαλυψεν.

Ita locus erat distinguendus, ut nominativus αιχμη ad πηξεν etiam rediret. "Cuspis *se* in fronte *fixit*;" vel infixa est. Acumen scholiastis rem pulchre penetravit, et lepidissime declaravit lectoribus, nescio quomodo in hunc usque diem obsurdescentibus. Πηξεν· ΕΝΗΡΕΙΣΕ, ΚΑΤΑΠΕΠΗΚΤΑΙ: quæ sunt elegantissimi hominis glossemata.

Ver. 454. *duplices:* P. *dupliceis;* V. ed. Ω. *duplicis;* sed certe perperam.

Ver. 455. *quom*, vel *cum:* B. *dum.*

Ibid. *sopore:* i. e. καρωσει, sive affectu graviore, *Somnus devinxit membra.* Plinius, nat. hist. xxi. 71. "Hujus semine "*somnum* allici; sed modum servandum, "ne *sopor* fiat." Inde recte Lucani locus percipietur, Phars. iii. 8. ad quem Burmannus æstuat cruciabiliter, et Bentleius non de solito perspicit acute:

Inde *soporifero* cesserunt languida *somno*
Membra ducis:

i. e. "somno καρωσιν quandam, vel pro"fundissimum soporem, afferenti." Nihil ad liquidum potest esse exploratius. Virgilius, Æn. i. 680.

Hunc ego, *sopitum somno*, super alta Cythera,
Aut super Idalium, sacratâ sede recondam.

Ubi Servius argutatur. Talem *soporem somni* Theocritus vocavit ὑπνω κωμα, in epigrammate pulcherrimo, sed nondum vel explicito, vel persanato: nam virorum doctorum tentamina poëtæ mentem minime pertingunt. Nec multum discrepat το D. Joannis, evang. xi. 13. κοιμησεως ὑπνου. Pervenuste Tusc. dispp. i. 49.— "quid melius, quam in mediis vitæ la"boribus obdormiscere, et ita conniven"tem *somno consopiri* sempiterno?" Nec minus versio vulgata bibliorum, gen. i. 21. quamvis scriptores, otio consulentes,

Cernere censemus solem, lumenque diurnum:
Conclusoque loco cœlum, mare, flumina, monteis,
Mutare, et campos pedibus transire, videmur;
Et sonitus audire, severa silentia noctis
Undique quom constent; et reddere dicta tacentes.

in promiscuo usu fere dictiones illas habeant: "Immisit ergo Dominus Deus "*soporem* in Adam." Sed dies me deficeret, si omnia huc spectantia accumulatum irem; me reprimere tamen nequeo, ut non C. Nepotem afferam, impendio tempestivum, et huic disputationi multum lucis offundentem, x. 1. 5. "Quo ille "commotus, ne agendi cum eo esset "Dioni potestas, patri *soporem* medicos "dare coëgit: hoc æger sumpto, ut *som-* "*no sopitus*, diem obiit supremum." Ibi Van Staveren omnino videndus, et, quos laudat, viri doctissimi.

Ibid. *suavi sopore.* Hinc appositissimum nomen *Somnus* nactus est apud Gruteri inscriptt. i. p. 67.

DIIS MAXIMIS
BACHO ET SOMNO
HUMANÆ VITÆ
SUAVISSIMIS CONSERVATORIBUS
SACRUM.

Ver. 456. *jacet quiete.* Maro, ecl. vi. 14.

Silenum pueri *somno* videre *jacentem.*

Cæterum, *in* abest Ω.

Ver. 457. *nobis* deest V. ed.—*ac:* ita τῷ *at* superscriptum in M. fuit; et suavi varietate commendatur. Vulgo, *et.*

Ibid. *vigilare membra.* Ad eandem dicendi formulam Juvenalis, i. 57.

Doctus et ad calicem *vigilanti* stertere *naso.*

Et appositus in primis Manilius, v. 635.

Velocesque dabit sub tali tempore partus,
Omne per officium *vigilantia membra* ferentes.

Quem locum, pereleganter se habentem, nollem, Bentlei dilectissime! tam audaci manu, tam intempestivâ prorsus, solicitasses. Et multo cum acumine Lucretius: "Membra scilicet, quamvis altissi- "mo sopore *vincta*, libero tamen *motu* "frui videntur." Sentis, opinor, oppositionis efficaciam; quæ profecto locum totum permeat.

Ver. 458. *videntur:* sic, longe longèque venustissime, V. ed. B. O. Π. Σ. Ω. nec aliorsum tendit membranarum vetustissimarum L. M. scriptura, *videatur:* reliqui, ut editiones vulgares, *videmur.* Crediderim equidem, exquisitiorem usum verbi *movere* in absoluto sensu scrupulum librariis injecisse: at enim nihil magis sapit Lucretiani sermonis indolem; id, quod sæpiuscule legentibus inculcavimus: redeas ad annotata nobis in iii. 69. —Porro, P. V. ed. B. loco *et*, præbent *ut;* perperam. Jam vero versus coram oculis multo nitidiores evaserunt, et exquisitiores constructionis, meis curis reformati: neque hac occasione, veteribus exemplis aliud suadentibus, imitatio Virgiliana nos absterruerit proposito; nam versus illi laudatissimi, qui leguntur ad Æn. xii. 9[illegible] hinc manifestissime sunt suam, peculiarem clausulam, felicissimamque, mutuati; et oratione consimili colorantur:

Ac, veluti in *somnis*, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequidquam avidos extendere cursus
Velle videmur; et in mediis conatibus ægri
Subcidimus——.

Ibid. *noctis caligine cæcâ.* Sic Maro, in versibus incredibili majestate commendatis, Æn. iii. 203. jam positus ad ii. 55. Et Arnobius, lib. ii. p. 48.—"omnia *cæ-* "*cis obscuritatibus* involuta—."

Ver. 459. *diurnum:* V. ed. B. *divinum.*

Ibid. *censemus:* i. e. arbitramur. Nonius Marcellus, iv. 88. "*Censere* signifi-

Cætera de genere hoc mirande multa videmus,
Quæ violare fidem quasi sensibus omnia quærunt:
Nequidquam; quoniam pars horum maxima fallit
Propter opinatus animi, quos addimus ipsei,
Pro visis ut sint, quæ non sunt sensibus visa.

" cat existimare, *arbitrari*:" quibus subjungit exempla plura ex scriptoribus vetustis. Vox usitatior est hoc sensu, quam quæ desideret locis congestis illustrari.

Ver. 460. *Concluso:* Π. *Conclusum;* nempe per gradus depravationis, *conclusom*, vel *conclusō*, *concluso:* O. *Conclusi.* —Mox, B. *videmus*, pro *videmur*.—Apuleius, met. vi. p. 440.—" et Arionem *del-* " *phino* gubernasse—." Lege, *delphinō*: i. e. *delphinum*.

Ver. 461. *Mutare:* i. e. per seriem peragrare. Græcismum esse, et eum quidem pervagatum, docte Faber monuit. *Mutare lares, limina, domos, terras*, et similia, passim obversantur. Lectorem detinebo tamen, dum explicitam dedero veram versuum Æschyleorum structuram, ad sept. Theb. 310. nemini doctorum editorum, qui magnifico poëtæ contigerint, deprehensam:

> Ποιον δ' αμειψεσθε γαιας πεδον
> Τασδ', αρειον—;

" Quodnam solum, quod melius sit, cum " hac terrâ mutabitis," vel permutabitis? Illum vocis sensum temere damnat Schutzius.

Ver. 462. *silentia:* Π. *scilentia*.—*noctis:* Vind. V. ed. B. M. Σ. *montis;* sed vitiose: Π. *mentis*.

Ibid. *severa silentia:* i. e. seria, et horrorem quandam incutientia: nos, *a solemn silence*. Lucilius, apud Nonium, iv. 455. " Adde eodem *tristis* ac *severus* philoso- " phus." Confer Virg. Æn. ii. 755. Alcimus Avitus, i. 23. disticho in primis elegante:

> Quin et sidereus nocturno tempore candor
> Temperat *horrentes* astrorum luce tenebras.

Cæterum, dum doctorum aliquis nobis eruerit certiora de *Severo* monte, cujus etiam nec vola est nec vestigium in locis parallelis Silio, Nonium Marcellum sequor, ad iv. 418. qui Virgilii Æn. vii. 713. ita scriptum laudat:

> Qui Tetricæ *horrenteis* rupes *montem*que *severum*,
> Casperiamque, colunt—:

unde fortassis Lucretianæ lectionis varietas emanaverit. Claudianus, præfat. in Rufin. i. ver. 14.

> Auditoque procul Musarum carmine ducti,
> Ad Themidis coëunt *antra severa* dei.

Ammianus Marcellinus, xxv. 3.—" medio " *noctis horrore* vitâ est facilius absolu- " tus—."

Ver. 464. *mirande*, Vind. L. M. O. Δ. Σ. Ω. ut ver. 421. P. *mirando;* V. ed. B. Π. *miranda*.

Ver. 465. *quærunt:* " quasi nimirum " rationalibus curis et cogitationibus hoc " facere conarentur." Vivide ac poëtice, ut superius, ad verr. 154. 246.

Ver. 466. *quoniam:* V. ed. *quin;* ex compendio scripturæ iisdem ductibus, *q̄m*: B. *inquam*.—Mox Π. *animis;* et M. *opinatos*.

Ver. 468. *Pro visis:* O. Π. Σ. et Ω. *Provisis;* junctim.

Ver. 469. *ægrius:* i. e. difficilius; quo sensu nihil congruentius esse poterat tam totius loci scopo, quam universis, quibus protulit, delusæ visionis exemplis et argumentis: adeoque non excusandum memet habuissem, si vocem rarissimam, exemplaribus emendatissimis et antiquissimis suppeditatam, sine causså repudiassem; codicibus scilicet L. M. Reliqui omnes, *egregius est*, præter P. O. Δ. Ω. qui omit-

Nam nihil ægrius est, quam res secernere apertas
Ab dubiis, animus quas ab se protinus abdit.
Denique, nihil sciri si quis putat, id quoque nescit,
An sciri possit; quoniam nihil scire fatetur.
Hunc igitur contra mittam contendere caussam,
Qui capite ipse suo in statuit vestigia sese.
Et tamen hoc quoque utei concedam scire, at id ipsum
Quæram, quom in rebus veri nihil viderit ante,
Unde sciat, quid sit scire, et nescire vicissim:
Notitiam veri quæ res, falsique, crearit;

tunt *est:* quæ tamen vocula facit, ut *to egregius* subæratum sonet; alioquin elegans et exquisitum profecto vocabulum judicari debet: sed, nobis quum sit merito rejiculum, non illustrabitur hoc tempore. Plinius, nat. hist. xxvi. 19.—" quip" pe respuuntur (secures), et fragosius " sidunt, et *ægrius* revelluntur." Nec Plautus non adveniet summe tempestivus, Asin. i. 1. 106.

Non esse servus pejor hoc quisquam potest,
Nec magis versutus, nec quo ab caveas *ægrius*.

Et in sensu vulgariore, Amphit. iii. 2. 29.

Nam numquam quidquam meo animo fuit
ægrius—.

Nec M. Tullius, Tusc. dispp. iv. 37. nullam operam navabit:—" inveteratio au" tem, ut in corporibus, *ægrius* depellitur, " quam perturbatio—." Porro, vice *secernere,* P. *est cernere;* etiam bene: V. ed. *cernere* tantummodo, defectu syllabæ.

Ver. 470. *Ab dubiis:* editi, *A dubiis;* contra libros.—*animus:* V. ed. B. *animis.* —*abdit:* i. e. " repellit, rejicit, ab se du" bia, ut certa teneat: quod difficillimum " est scilicet:" aptissimo sensu et apertissimo; Vind. tamen V. ed. L. Π. Σ. Ω. *addit:* minus bene, et contra castæ Latinitatis usum, nisi fallor; pluribus tamen editoribus arrisit hæc lectio.

Ver. 471. *sciri:* V. ed. B. *scire.*—Et voces, " si quis putat, id quoque nescit, " An sciri," desunt Π. codici.

Ibid. Simili fere modo Arnobius, lib. ii. p. 48.—" aut illi, qui autumant, nihil " posse omnino comprehendi, an sit ve" rum, quod dicunt, sciunt?" Ad quem locum videas Elmenhorstii et Heraldi commentarios, omnia huc spectantia complectentes, nec immemores Lucretii, aut Ciceronis, in Acad. ii. 23. quem Lambinus adscripserat huic versui, plura super his argutiis volenti consulendum, cum Davisio ibidem.

Ver. 472. *quoniam nihil:* sic M. diserte; et Bentleio placuit: P. *quo se nil;* V. ed. *quo se nihil;* L. Π. Ω. *quo nihil;* O. *quo nil se;* Δ. Σ. *quo nihil se.* Ex quibus varietatibus in promptu est legere, vel, " *quia* nihil se;" vel, " *quom* nihil se;" sed jam positis neutiquam præferenda illa dixerim.

Ver. 473. *Hunc:* P. V. ed. B. Π. *Nunc;* ob similitudinem majorum literarum *N* et *H:* Vind. *Hinc:* vide Drakenborchium, ad Liv. xxxii. 20. 7.—*mittam:* V. ed. O. Π. Σ. Ω. *mutuam;* B. L. M. *mituam.*—Et, ob voces *contendere* et *vestigia,* miror Lucretium non scripsisse, ut constarent figuræ loci, ad hunc modum:

Hunc igitur contra mittam contendere *cursum:*

hunc cursum scilicet, pro ipsum hominem currentem. Sed frustra tempus terimus. Cum nostro Cicero locutus est, in Catil. ii. 11. " Si, his rebus omissis, ipsas *caus-*

Et dubium certo quæ res differre probarit.
Invenies primis ab sensibus esse creatam
Notitiam veri, neque sensus posse refelli:
Nam majore fide debet reperirier illud,
Sponte suâ veris quod possit vincere falsa.
Quid majore fide porro, quam sensus, haberi
Debet? an ab sensu falso ratio orta valebit
Dicere eos contra, quæ tota ab sensibus orta est?
Quei nisi sunt verei, ratio quoque falsa fit omnis.
An poterunt oculos aures reprehendere? an aureis

" *sas*, quæ inter se confligunt, *contendere* " velimus, ex eo ipso, quam valde illi ja- " ceant, intelligere possumus."

Ver. 474. *in statuit:* sic V. ed. B. L. M. Ω. sed junctim, *instatuit;* reliqui, *instituit.*—*vestigia sese:* Vind. *vestigare se;* V. ed. B. L. M. Π. *vestigia rese;* sed eadem manus in L. M. correxit *sese;* Δ. *vestigiare se;* P. *vestigia retro;* quem secuti sunt editores plures: at ista lectio recentem emendatorem redolet. Ordo est: " Qui ipse statuit sese suo capite in ves- " tigia:" i. e. qui vertit caput ad vestigia jam relicta, quasi cursum relecturus; et progressus nihil est. Non alienus D. Lucas, ix. 53. Και ουκ εδεξαντο αυτον· ὁτι το ΠΡΟΣΩΠΟΝ αυτου ην ΠΟΡΕΥΟΜΕΝΟΝ εις Ιερουσαλημ.

Ver. 475. Π. inserit *se* post *hoc*. An voluit?

Et tamen *hocce* quoque *ut* concedam scire—.

—*concedam:* B. *concedo.*—*at:* M. *ad;* Δ. *ac.*—*id:* Π. *quid.*

Ver. 477. *Unde:* Π. *Inde.*—*sciat:* Ω. codex, *sciant.*—Mox, ver. 479. Π. *deferre.*

Ver. 480. *primis:* Vind. V. ed. *primus.*

Ibid. *ab sensibus Notitiam veri.* Diogenes Laërtius, in Epicuro, x. 31. 32. unde, quæ sequuntur in nostro, multam lucem derivabunt: Πασα γαρ αισθησις αλογος εστι, και μνημης ουδεμιας δεκτικη· ουτε γαρ ὑφ' αὑτης, ουτε ὑφ' ἑτερου, κινηθεισα, δυναται τι προσθειναι, η αφελειν· ουτε γαρ ἡ ὁμογενεια ΑΙΣΘΗΣΕΩΣ την ὁμογενειαν, δια την ισοσθενειαν· ουθ' ἡ ανομογενεια την ανομογενειαν· ου γαρ των αυτων εισι κριτικαι· ουθ' ἡ ἑτερα την ἑτεραν, πασαις γαρ προσεχομεν· ουτε μην ὁ λογος· πας γαρ λογος απο των αισθησεων ηρτηται. Και το τα επαισθηματα δε ὑφεσταναι πιστευται την των αισθησεων αληθειαν· κτλ. Ita locus ille perscribendus est. Conferas ibid. sectt. 146. 147. nostrum, i. 700. 701. Cic. Acad. ii. 23. nam longus essem, si perscrutarer omnia, et coram vellem sistere, huc spectantia.

Ver. 481. *sensus:* sic L. M. reliqui omnes, *sensu;* quæ lectio quidem primum intuitum feret, sed sequentia pensitantibus haud probabitur, et potissimum, si progrediamur ad ver. 499. Notum est etiam ex Plutarcho, plac. phil. iv. 9. et S. Empirici locis pluribus, Epicurum sensus habuisse αληθεις atque ανεξελεγκτους· " veros, nec obnoxios refutationi."

Ver. 484. Cicero, Acad. ii. 25. " Quid " ergo est, quod percipi possit, si ne sen- " sus quidem vera nuntiant?" Ubi multa videas, et in doctis etiam Davisii notis, Lucretium illustrantia.

Ver. 485. *falso:* Π. Ω. *falsa.* Et V. ed. *ratio quoque orta* dat, ὑπερμετρως. Mox P. *nos*, vice *eos;* minus bene.

Ver. 487. *sunt:* P. Δ. *sint.*—*fit:* B. O. *sit.*

Ver. 488. *poterunt:* ita P. O. Δ. Π. Ω. sed Vind. B. L. M. *poterit;* i. e. *poterit*, ut puto; lineolâ tempore consumptâ. In sequente porro versu, P. *arguat.*

Tactus? an hunc porro tactum sapor arguet oris;
An confutabunt nares, oculeive revincent?
Non, ut opinor, ita est: nam seorsum quoique potestas
Divisa est; sua vis quoique est: ideoque necesse est,
Et, quod molle sit, et gelidum, fervensve, videri;
Et seorsum varios rerum sentire colores,
Et, quæquomque coloribus sint conjuncta, necesse est.
Seorsus item sapor oris habet vim, seorsus odores
Nascuntur, seorsum sonitus: ideoque necesse est,
Non possint alios aliei convincere sensus.

Ver. 490. *confutabunt:* O. Π. *consultabunt.—oculeive:* P. *oculi atque;* V. ed. B. *oculi quoque;* Π. *oculique;* et fortassis recte: Ω. *oculi vere vincent.*

Ver. 492. *quoique:* B. *cui.—est* omittitur Π.—Cæterum, Lambinus odiosissimum versum, aliis editoribus exceptum, hic intrusit; quem omnino delendum esse habui:

> Quod molle aut durum est, gelidum, fervensve, seorsum:

servatis tamen, ob rationes jam dictas, versuum ad latus numeris.

Ver. 494. Versus, a Lambino interpolatus, inducendus; et pro vulgatis legendum:

> *Quid* molle, aut durum, gelidum, fervensve, *seorsum.*
>
> BENTLEIUS.

Satis pro imperio, quasi hic regnum obtineres, vir excellentissime. Nos ne latum quidem unguem ab optimorum exemplorum fide discessimus. Ordo est: "Ideoque necesse est, et quod molle sit, "et gelidum, fervensve, videri:" i. e. ita, ut est, videri; molle, gelidum, vel fervens. Jam vero discrepantias scripturæ percenseamus. *Et:* O. *Id.—molle sit:* M. *mollescit;* Π. *molescit.—et gelidum:* P. *egelidum.*

Ver. 496. *sint:* Vind. B. Δ. et Σ. *sunt.* —*est* non legitur in Π. codice.

Ver. 497. *Seorsus:* V. ed. L. M. Σ. Ω. *Seorsum;* ad quos legendum foret, hoc modo:

> *Seorsum etiam* sapor oris habet vim——:

sed vulgatis equidem malim stare.—*odores:* Δ. *odoris.*—Porro, versus hic, et, qui sequitur, desunt Π. ob similem nimirum verr. 496. 498. finem aberrantibus oculis librarii incurrentem: vide quæ notavimus ad ii. 480.

Ver. 498. *Nascuntur:* B. L. M. O. Δ. Σ. Ω. *Nascantur;* ob quorum exemplarium fidem venerabilem, hoc modo locus videtur ordinandus:

> Seorsus item sapor oris habet vim, seorsus odores:
> *Nascantur* seorsum sonitus, adeoque, necesse est,
> Non possint alios aliei convincere sensus.

Ordo est: "Necesse est sonitus seorsum "nascantur, adeoque alii sensus non pos- "sint alios convincere." Sed recepta constructio facilior est, et explicatior.

Ver. 499. *possint:* Vind. V. ed. O. *possunt;* Ω. *possent.—convincere:* V. ed. *convince.*

Ver. 500. *poterunt:* M. *potest;* superscripto *possunt.—reprehendere:* sic omnes libri, non *reprendere*, præter L. M. de quibus an vera retulerit Havercampus, alii dicant.

Ver. 501. *Æqua:* V. ed. B. L. M. *Æque;* Π. *E que;* Ω. *Aque.—quoniam:*

Nec porro poterunt ipsei reprehendere sese;
Æqua fides quoniam debebit semper haberi:
Proinde, quod in quoque est hiis visum tempore, verum est.
Et, si non poterit ratio dissolvere caussam,
Quur ea, quæ fuerint juxtim quadrata, procul sint
Visa rotunda; tamen præstat rationis egentem
Reddere mendose caussas utriusque figuræ,
Quam manibus manifesta suis emittere quoquam;
Et violare fidem primam, et convellere tota
Fundamenta, quibus nixatur vita, salusque.

V. ed. *qum;* mendose pro *qm̃;* quod est in Ω.—*haberi:* M. *habere;* verâ voce superscriptâ. Mox Σ. *quocum est.*

Ver. 504. *juxtim:* Vind. *justim;* V. ed. O. *vistim;* M. *in justim;* quæ tantum non eadem esse senties, si reminiscaris literas *s* et *x* sæpenumero commutari: vide ad i. 835. Σ. *visu.*—*quadrata:* L. M. *quadratam;* vitiose tamen citra dubium.

Ibid. *juxtim.* Nonius Marcellus, ii. 451. "*Juxtim* pro juxta:" deinde, ex Sisennâ, cujus fragmentum corruptum est, et ex Livii Ægistho, duo exempla profert. Glossator vetus: "*Juxtim,* πλησίον:" et, "Πλησίον, juxtim." Usi sunt etiam voce Suetonius, et Apuleius plus semel.

Ver. 505. *Visa:* V. ed. *Vasa.*—*egentem:* Vind. *egente:* i. e. *egentẽ.*

Ibid. *præstat:* i. e. "præstat, sis quamvis non idoneis, vel etiam falsis, rationibus subnixus, caussam dissolvere et explicare conari, quam de rebus manifestissimis omnium, in quibus totius vitæ salus et regimen, ut in quibusdam cardinibus, vertuntur, (*sensibus corporeis* nimirum) fidem derogare:" nempe, falli melius est, quam sibi conscium turpiter ludificare, et mentiri.

Ibid. *rationis egentem.* Phrasim excepit Mantuanus, Æn. viii. 299.

——————— non te *rationis egentem*
Lernæus turbâ capitum circumstetit anguis:

i. e. non *ἀμηχανοῦν* et ἐξιστάμενον, sed omnia providentem ac valentem exsequi.

Ver. 506. *mendose:* P. *mendosæ.*—*caussas:* Vind. V. ed. B. Δ. Π. Σ. Ω. *caussam;* unde nihil melius exsculpendo sum.

Ver. 507. *manifesta:* V. ed. B. *in festa.*—*quoquam:* i. e. in quamcunque partem; bene et signate: vide nos ad i. 429. Glossator vetus: "*Quoquam,* ὅλως πῃ, πῇ." Sed enim vox non est in rarissimis: sic autem scribitur in Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *quæquam.*

Ibid. *manibus emittere:* i. e. sinere elabi, atque adeo *amittere;* sic uti Lambinus consilio valde infelici scribendum voluit. Phrasim adhibuit in sensu magis efficaci Virgilius, Æn. xi. 676.

Quotque, *emissa manu,* contorsit spicula virgo,
Tot Phrygii cecidere viri.

Apposite Phædrus, i. 13. 10. de corvo, vocem volente ostentare:

Emisit ore caseum—.

Ver. 508. *violare:* Π. *volare.*—Mox O. dat *nixantur.*

Ver. 509. *nixatur:* redi sis ad ea, quæ notavimus in iii. 1013. Hanc formam vocis agnoscit etiam glossator vetus: "Ἐπερείδομαι, nitor, *subnixo.*" Et contra: "*Subnixo,* ἐπερείδομαι."

Ver. 510. Tertullianus, de animâ, cap. 17. "Quid agis, Academia procacissima? Totum vitæ statum evertis, omnem naturæ ordinem turbas, ipsius Dei providentiam excæcas; qui cunctis operibus

Non modo enim ratio ruat omnis, vita quoque ipsa
Concidat ex templo, nisi credere sensibus ausis,
Præcipiteisque locos vitare, et cætera, quæ sint
In genere hoc fugiunda; sequi, contraria quæ sint.
Illa tibi est igitur verborum copia cassa
Omnis, quæ, contra sensus instructa, parata est.
  Denique, ut in fabricâ, si prava est regula prima,
Normaque si fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliquâ si ex parti claudicat hilum;
Omnia mendose fieri, atque obstipa, necessum est,

" suis intelligendis, incolendis, dispensan-" dis, fruendisque, fallaces et mendaces " dominos præfecerit sensus." Lambinus.

Cæterum, pro *enim*, Σ. habet *cum*. Et lector animadvertat, quam pulchrâ constantiâ processerit figuratus loci sermo; *convellere fundamenta*, *nixatur*, *ruat*, *concidat*; ex ædificiis sublabentibus translatus.

Ver. 512. *Præcipiteis:* V. ed. B. *Præcipiti;* elapso *s*.—Et abest sequens versus V. ed. B. L. M. unde equidem non ægre crediderim, fetum esse glossatoris adulterinum, atque adeo eliminandum. In Ω. scriba post ver. 521. locaverat.

Ver. 514. *cassa:* B. *caussa*. Et versus proxime veniens desideratur in P. Vind. V. ed. B. Δ. Π. Σ. Sane impendio est illepidus, et e contextu protrusum vellem. Minus displiceret, si rescribere liceret *parate*, loco *parata:* sed cruciari nolumus de loco severius didactico, neque ornamentorum poëticorum amœnitates admittente.

Ver. 516. *prava:* Δ. *falsa*, ex glossatore; Π. *parva.*—*est:* Ω. *sit*.

Ibid. *fabricâ:* i. e. τεκτονικῃ, vel arte fabrili. Cicero, de div. i. 51. " Materia " deinde quid juvaret, nisi confectionis " ejus *fabricam* haberemus?" i. e. nisi artem ejus conficiendæ haberemus. Davisius, sed immerito, ut putem, locum mendæ suspectum habuit. Idem Tullius, nat. deor. ii. 13.—" atque, ut pictura, et *fa-" brica*, cæteræque *artes*—." Hyginus, fab. xxxix. " Dædalus, Euphemi filius, " qui *fabricam* a Minervâ dicitur acce-" pisse."

Ibid. *prava:* i. e. *curva*, σκολια· quum extra rectam viam vertat: a παρα et ιω, παραβαινω: nam ab ιω, præposito digamma, venit *vio:* vel, si mavis, a παραβω· emollito β, ut sæpissime, in *v*.

Ver. 517. *Normaque si:* Ω. *Norma sibique;* et *sibi* erat in M. sed correctum est: *si* deest V. ed.—*regionibus:* O. *rationibus;* quod brevioris est scripturæ peccatum: vide similem aberrationem, ad Liv. xxxii. 18. 2. et nos, i. 957. 1040. Neque aliter legit Pius in notis.

Ver. 518. *si:* V. ed. B. *se.*—*parti:* P. Vind. Σ. Ω. *parte.*—*hilum:* Π. *hillum*.

Ver. 519. *obstipa:* O. *obstipe;* Ω. *ostipa;* Festus *obstita*, in illâ voce, cujus usus exemplis quoque Ennii et Licinii confirmatur. Apuleius etiam *obstitum* habet, pro *adversum*, de deo Socratis; sed libri variant. Glossator vetus: " *Obstitus*, " κατηφης:" et rursum: " Κατηφης, *ob-" stitus*." Utra sit sincera lectio Lucretii, et primitus a poëtæ manu venerit, quæstio est non facili dijudicatione. Hac Festi stat auctoritas, atque ad novandum in exquisitiore vocabulo, quod est *obstita*, pronsior animus librariorum: hac autem, membranarum omnium, et exemplarium

Prava, cubantia, prona, supina, atque absona tecta;
Jam ruere ut quædam videantur velle, ruantque
Prodita judiciis fallacibus omnia primis:
Sic igitur ratio tibi rerum prava, necesse est,
Falsaque sit, falsis quæquomque ab sensibus orta est.
Nunc aliei sensus, quo pacto quisque suam rem
Sentiat, haud quaquam ratio scruposa relicta est.
Principio, auditur sonus, et vox omnis, in aureis
Insinuata suo pepulere ubi corpore sensum.
Corpoream quoque enim vocem constare fatendum est,

veterum, summa consensio. Caussam lectoribus dissolvendam linquo.

Ver. 520. *Prava:* V. ed. B. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. *Parva;* sed extra controversiam vitiose; et hanc aberrationem ex literis trajectis modo vidimus, ad ver. 515. ac solennis erat scriptoribus commutatio: vide Drakenborchium ad Sil. It. vii. 585. et Liv. xxix. 37. 16.—*absona:* P. V. ed. B. O. Δ. Σ. Ω. *obsona;* quæ tamen dictio et dubiæ est auctoritatis, et alieniore sensu. *Absonus* ille est, qui *discrepat; obsonus*, qui cuilibet *obstrepit*. Et positurarum diversitas haud multo aliter in Homero depicta est, Il. Ω. 10. quem protulimus ad ii. 36.

Ver. 523. *tibi* deest Δ.—*prava:* B. Π. *parva.*

Ver. 524. *ab sensibus:* O. Π. *absentibus.*

Ver. 525. *quo:* V. ed. B. *pro.*—*rem:* Π. *vim.*—Nec lateat lectorem in hoc versu nominativus pendens, de quo nos ad ver. 399. Quicquid obstet Servius, et editores nonnulli sentiant, locus Virgilii magis poëticus evadet, similiter acceptus, Æn. xii. 161.

Interea *reges*, ingenti mole *Latinus*
Quadrijugo *vehitur* curru——.

Ver. 526. *haud:* Π. *aut.*—*scruposa relicta est:* V. ed. *stuposa relicta est;* M. *scrupor elicta est*, sed e correctione, *scrupore relicta est.*

Ibid. *scruposa:* translatio est a viâ lapillis inæquali; et exempla vocis suppeditantur lexicis. Vide Festum in *scrupi*, Donatum ad Terent. And. v. 4. 37. cum Servio ad Æn. vi. 238. Glossator vetus: "*Scruposus*, τραχυς." Prudentius, perist. v. 447. notioni luxuriosius inhæret; qui videndus.

Ver. 527. Epicurus, apud Diog. Laërt. x. 52. Αλλα μην και το ακουειν γινεται, πνευματος τινος φερομενου απο του φωνουντος, η ηχουντος, η ψοφουντος, η ὁπως δη ποτε ακουστικον παθος παρασκευαζοντος. Plutarchus, plac. phil. iv. 19. Επικουρος την φωνην (ὁριζεται) ειναι ῥευμα εκπεμπομενον απο των φωνουντων, η ηχουντων, η ψοφουντων.

Ver. 528. *Insinuata:* i. e. Cum se insinuaverint, vel in sinuosos aurium tramites penetraverint.

Ibid. *pepulere sonus et vox sensum.* Hinc Virgilii pendet lepor, ad ecl. vi. 84.

Ille canit: *pulsæ* referunt ad sidera valles:

i. e. aëris corpusculis, quæ carmen agitaverat, verberatæ: confer nostrum, ii. 328. et nostros ibi commentarios. Ausonius cum elegantiâ minime protritâ rem tetigit, in Mosell. 293.

——— Licet hic commercia linguæ
Jungere, et alterno *sermonem* texere *pulsu*.

Audacior est, sed non sine Gratiis, Rutilius, itin. i. 203.

Pulsato notæ redduntur *ab æthere voces.*

Horatius alibi etiam lautissime tractavit hanc venustatem, sat. ii. 6. 98.

Et sonitum; quoniam possunt inpellere sensus.
Propterea radit vox fauces sæpe; facitque
Asperiora foras gradiens arteria clamor.
Quippe, per angustum, turbâ majore coorta,

——————— Hæc ubi *dicta*
Agrestem *pepulere*, domo levis exsilit——.

Hinc festive Plautus, mil. glor. iii. 1. 204.

——————— Audio:
Ne me surdum *verbera:*

i. e. ne me *verbis*, quasi minus audientem, *ferias;* vel *linguæ verberibus*, uti Flaccus vocitavit, od. iii. 12. 3. confer Truculent. i. 2. 17. Amphit. i. 1. 177. Prudentius non infeliciter Horatium secutus est, apoth. 404.

——————— torquetur Apollo,
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest: agitant miserum tot *verbera linguæ*.

Ex eodem fonte Valerius Maximus videtur hausisse, iii. 3. ext. 4.—"amarissimo-"rum *maledictorum verberibus*—." Nec non speciosus est Ammianus Marcellinus, xxxiv. 11. "Cum hæc, taliaque, "solicitas ejus *aures everberarent*—." Venustas Petroniana in fragmentis non aliunde repetenda est; ubi metaphoræ vim non tenuit Burmannus:

——————— quidquid dimittis in aulâ,
Effluit, et subitis *rumoribus* oppida *pulsat*.

Rumoribus autem, quasi *fluctibus* verborum: confer sis interpretes ad Virg. Æn. viii. 90.—Nimirum, vetus atque perpetua quæstio inter nobilissimos philosophorum agitata est; *corpus*ne sit vox, an incorporeum: hinc enim stabat Plato, inde autem Stoïci et Epicurus; teste Gellio, v. 15. cujus verbis usus sum, omnino consulendo, neque Lambinum fugiente. Locus etiam Plutarchi, quem Gronovius ibidem laudat, lucem conferet iis, quæ statim sequuntur in Lucretio; licet nec ambiguis sane, nec obscuris. Hæc autem soni *corpora* vocitavit Epicurus *ογκους:* vide locum Diogenis Laërtii inferius, ad ver. 677.

Ver. 529. *Corpoream:* Vind. Σ. *Corporea;* Π. *Corpore.*—*vocem* deest Vind. Π. Σ.

Ibid. *Corpoream vocem.* Eustathius, ad Il. Β. p. 198, 9. ed. Basil. *Σημειωσαι δε, ότι το, Φωνη δ' αρρηκτος, δεδωκεν αφορμην τοις Στωϊκοις, τω σωμα λεγειν την φωνην· σωματων γαρ ειναι δοκει το ρηγνυσθαι· κτλ.*

Ver. 530. *quoniam:* V. ed. *qum;* B. *cum;* Δ. Π. *quomodo.*—*possunt:* P. V. ed. B. *possint.*—*inpellere:* V. ed. B. *implere;* quod peccatum certe scripturæ compendiariæ debet imputari.

Ibid. *sonitum inpellere sensus.* Hinc aptissime, et speciosissime, et doctissime, ut omnia, Mantuanus, geo. iv. 349.

——————— iterum maternas *inpulit auris*
Luctus Aristæi——:

conferas etiam Æn. xii. 618. Ab Homero nimirum hanc elegantiam posteriores exceperunt, et certatim videntur expressisse, Il. Κ. 535.

Ἱππων μ' ωκυποδων αμφι ΚΤΥΠΟΣ ΟΥΑΤΑ ΒΑΛΛΕΙ.

Quem versiculum olim moriturus Nero, et terroribus perculsus, pronunciavit; non indoctus assecla Musarum.

Ver. 531. *Propterea:* sic codices emendatissimi et antiquissimi omnium, L. M. optime; *propterea* scilicet, ob corpoream naturam soni: nihil aptius aut sequacius. Apud Gellium, x. 26. P. Δ. Π. scribitur, *Præterea;* probante Bentleio, sed codices illos castissimos ignorante: qui monet etiam Nonium non aliter legisse; sed grammatici locum equidem non quivi reperire: Vind. V. ed. Ω. *Præter:* O. et Σ. utpote recentiores, (nec minus Ω.) interpolationem editorum exprimunt;

Præter radit *enim* vox——;

Ire foras ubi cœperunt primordia vocum
Scilicet, expletis quoque janua redditur oris
Rauca viis; et iter lædit quâ vox it in auras.
Haud igitur dubium, quin voces, verbaque, constent

quam nos facessere ex contextu purissimi poëtæ, non sine tacito *ἀποσκορακισμῷ*, jussimus. Cæterum, in dictionibus *propterea* et *præterea* librarii sæpissime aberraverunt; uti nos etiam in his notis multoties monuimus.

Ibid. *vox radit.* Hinc de castigationibus verborum injucundis, quasi scilicet asperioribus soni corpusculis constarent, pulchre Persius, sat. i. 107.

Sed quid opus teneras mordaci *radere* vero
Auriculas?

quem Fabius imitatus est, ingressu lib. iii. institutionis oratoriæ; uti Pithœus ad locum vidit.

Ibid. *facit Asperiora arteria clamor.* Scriptor rhetoricorum ad Herenn. iii. 12. "Nam læduntur arteriæ, si, ante quam "leni voce permulsæ sunt, acri clamore "compleantur." In quo capite legi possunt alia, Lucretium haud mediocri luce perfundentia.

Ver. 532. *foras:* V. ed. B. *foris;* ut alibi. Et de voce *arteria* non pigebit fortasse consulere Isidorum, origg. xi. 1. p. 1094. Lambinus apposite laudat Ciceronem, de nat. deor. ii. 59. "Primum enim "a pulmonibus arteria usque ad os inti- "mum pertinet; per quam vox, principi- "um a mente ducens, percipitur, et fun- "ditur." Ubi rescribendum autumo:— "per quam vox, principium a mente du- "cens, *procuditur*, et funditur:" vel etiam, quod propius abest receptæ voci, *percidi- tur:* et hoc verum esse, videtur ostendere Lactantius, de opif. Dei, cap. 11. "Aperuit igitur viam voci divina solertia "ex illâ fistulâ spiritali, ut posset lingua "ministerio suo fungi, et vocis ipsius in- "offensum tenorem pulsibus suis in verba "*concidere.*" Porro, codex unus agnoscit *arterium* neutro genere, ad usum Lucretii, in Sueton. Vitell. 2. quod observavit prior Vossius.

Ibid. *gradiens clamor.* Sane sublimi figurâ *Vocem* exornavit; neque aliter probe percipies vim locutionis, Virgilio frequentatæ. Sic ille, ad Æn. iii. 358.

His vatem *adgredior dictis*, ac talia quæso.

Ver. 533. *coorta:* P. *coarcta;* V. ed. B. *coarta;* quod idem est: quam dictionem, tametsi sint, qui apud Gellium, xix. 2. agnoscant, existimo Quirini populum non agnoscere. Percommode possis rescribere, si locus emendationis egeat, ad hunc modum:

——per angustum turbâ majore coactâ—.

Redeas notata ad i. 762.

Ver. 534. *primordia:* i. e. principia, semina, atomi; e quorum congerie vox consistit.

Ver. 535. *redditur:* sic P. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. optime et verissime; neque aliud est τὸ *reditur*, literâ de solito non geminatâ, Vind. L. atque haud dubie codicis M. etiam, quamvis nihil de hoc retulerit Havercampus. Illud arbitrarium editorum, ingeniis facinorosis indulgentium, *raditur*, cum *rauca* scilicet, longe insulsissimum est et inscitissimum. Decora est et elegans in suâ sede vox *rado;* ut superius modo, ad ver. 531. hic non item. Venustus etiam Serenus Samonicus, de med. ver. 261. quem ex Puteano codice reformandum esse, satis ostendit Lucretii locus; exemplar, ut liquido patet, ad imitationem propositum Samonico:

Vel rabidus *clamor*, fracto quum forte sonore
Plenum radit iter.

Vides omnia Lucretianis concinere. Vulgo, *Planum:* quæ dictiones commutantur etiam librariis ad Horat. epist. i. 2. 4. Sil. It. iii. 532. Liv. iv. 32. 10. Adeas

Corporeis e principiis, ut lædere possint.
Nec te fallit item, quid corporis auferat, et quid
Detrahat ex hominum nervis, ac viribus ipsis,
Perpetuus sermo, nigraï noctis ad umbram
Auroræ perductus ab exoriente nitore;

utrobique Drakenborchium.—Cæterum, Bentleius hunc et sequentem versum spurios censuit.

Ver. 536. Desideratur hic versus in Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. sed quo modo deesse possit, non video.—*viis lædit:* P. *suis reddit:* sed, si tecum reputes perpetuam confusionem literarum *L* et *R* (de quâ Drakenborchius ad Liv. xxviii. 36. 7.) *redit* et *ledit* facile permutari potuisse senties: non amplectar igitur egomet Pii divinationem, *radit;* qui meminit etiam nostræ lectionis *viis* in commentario. Confer varr. lect. versûs prioris.

Ver. 537. *Est* vocula, quæ *dubium* sequitur in vulgaribus editionibus, non comparet in P. V. ed. B. atque ad talia passim inculcanda nimium proni sunt librarii: confer Ovid. met. x. 658. ex Pont. iv. 7. 23.

Ver. 539. *fallit:* P. *fallat.*—*quid* prius: V. ed. *quod.*

Ver. 541. *nigraï noctis ad umbram.* Sic Virgilius, geo. i. 366. *noctis* per *umbram;* et Æn. vii. 414. *nigrâ nocte.*—Cæterum, suaviores versus in tenui materie, quam quibus hoc constat distichon poëtæ nostri, et tota sane periodus, nusquam legi.

Ver. 542. *perductus sermo.* Recte *perductus*, ab uno usque fine scilicet ad alterum, ita ut omne intervallum compleatur. Cicero, somn. Scip. sect. i.—" post " autem regio apparatu accepti, *sermonem* " in multam noctem *produximus.*" Etiam bene; sed, si sermonem ad *finem* noctis continuassent, scripsisset ille *perduximus:* vide nos ad ii. 1116. Idem, senect. 14. diversam dictionum significationem pulchre declarat:—" quæ quidem in Sabinis " etiam persequi soleo, conviviumque vi- " cinorum quotidie compleo, quod ad " multam noctem, quam maxime *possu-* " *mus*, vario *sermone producimus:*" si cum seipso, ibid. 17. comparetur: " M. " quidem Valerium Corvum accepimus " ad centesimum annum vitam *perdux-* " *isse*—." Nempe, in hoc loco tempus definitum exhibetur; in illo autem, nullis certis limitibus circumscriptum. Hinc enim vero paratus accesseris ad sententiam de illis locis interponendam, super quibus disquisitionem movit Drakenborchius, ad Liv. xxxviii. 50. 1. nam paucissima sunt hoc genere profecto, remoram lectoribus meis factura, nec obscuram sane rem, nec perplexabilem, sic tenentibus. Accurate glossarium vetus: " *Perduco*, διάγω, διέρ- " χομαι. *Producit*, ἐκτείνει, ἐξάγει."

Ver. 543. *profusus sermo.* M. Tullius, in Tusc. dispp. ii. 22. fin.—" in *profun-* " *dendâ voce* omne corpus intenditur—." Et de nat. deor. ii. 59. " Ea (lingua) *vo-* " *cem* inmoderate *profusam* fingit, et ter- " minat—." Similes formulas Græci multoties adhibuerant. Testi sit Euripides, Supp. 773.

ᾍδου τε ΜΟΛΠΑΣ ΕΚΧΕΩ δακρυῤῥόους.

Ver. 545. *Multa:* V. ed. *Muta.*—*quoniam:* V. ed. *qum;* Δ. *quomodo;* Π. *cum;* i. e. *q͞m.*

Ibid. *amittit de corpore partem.* Cicero, ad famil. epist. vii. 26. " Ego hic cogito " commorari, quoad me reficiam: nam et " vires et *corpus amisi.*" Videas autem ad i. 1038. notata.

Cæterum, editiones plures ponunt verr. 555. 556. post hunc versum; nullâ de necessitate auctoritatem omnium veterum exemplarium conculcantes. Nos ordinem suum carminibus religiose restituimus. Distichon sane omnino deest Π. codici.

Præsertim, si cum summo est clamore profusus.
Ergo corpoream vocem constare necesse est,
Multa loquens quoniam amittit de corpore partem.
Nec simili penetrant aureis primordia formâ,
Quom tuba depresso graviter sub murmure mugit,

Ver. 547. *sub murmure:* Vind. V. ed. L. Π. Ω. *sub murmura;* M. *su murmura.* Nimirum, clarissime dispicimus, quid scripserit Lucretius, quamvis non ausi simus in contextu ponere, ne in morosiorum reprehensionem incurramus, conjecturis criticis minime faventium. En! germanissimam scripturam Cari:

> Quom tuba *depressom* graviter sub *murmura* mugit.

i. e. "quum tuba submugit murmura, "graviter depressum *aliquid*."—Copiam verborum adhibuit, ut evidentius rem declararet. *Gravis* autem et *depressus* sonus *altis* opponitur, et *acutis.* Auctor rhetor. ad Herenn. iii. 12. "Firmam igi- "tur maxime poterimus in dicendo vo- "cem conservare, si quam maxime sedatâ "et *depressâ voce* principia dicemus." Similiter ibid. 14. init. et fin. sectionis. Neque Virgilius omnino adveniet intempestivus, geo. i. 410.

> Tum liquidas corvi *presso* ter *gutture* voces,
> Aut quater, ingeminant——.

Fateor tamen vulgata liquidius decurrere.

Ibid. *tuba—graviter sub murmure mugit.* Sic in versu magnificentissimo, summus poëticæ dictionis artifex ille, Mantuanus, Æn. viii. 526.

> Tyrrhenusque *tubæ mugire* per æthera *clangor.*

Mollissime, ut omnia, Claudianus, ver. 5. præfat. in Rufin. ii.

> Nulla per Aonios hostilis *buccina* campos
> Carmina *mugitu* deteriore vetat.

Præcesserat Ennius apud Varronem:

> *Tibicina* maxumo labore *mugit.*

Prudentius in animo nostrum Carum habuit, ad apoth. 386.

> Quidquid in ære cavo reboans *tuba* curva *remugit:*

nec minus in hamartig. 916.

> ——————— *raucos* et percipit aure
> *Mugitus gravium* mundi sub fine *tubarum.*

Conferas etiam Juvenal. vii. 71. Sed enim, occasionem hanc arripiens, emendatione verissimâ beabo Statium, prout hodieque legitur, nulli solertiæ interpretis vel sagacis expugnabilem, Theb. vii. 120.

> Cum signum luctûs *grave cornu inmugit* adunco
> Tibia.

In editis datur, *cornu grave mugit:* sed Barthius dicit voces *cornu grave* transpositas exhiberi in optimo codice; et literam *m* absorpsisse syllabam *in* patet liquidissime. *Inmugit* autem, ut *admugit.* Sic Ausonius, epig. 63.

> Me vitulus cernens *immugiet*——.

Ver. 548. Nihil certius est lectionibus hujusce versûs sic ad libros vetustissimos constituti, et sensu nihil manifestius aut commodius. "Et barbara tuba, retro ci- "ta, (i. e. reflexa) revocat (ob curvatu- "ras numerosas scilicet) raucum bom- "bum." Mirum tamen est, quot varietatibus scriptura versûs divexetur.—*Et:* Vind. *Aut;* ut plures editi.—*revocat:* sic L. O. Σ. et idem valet *re revorat* Vind. M. Ω. namque *c*, *t*, et *r*, in minorum literarum formis, sunt perquam similes: V. ed. B. *reversa;* Δ. *reboat;* Π. *revera.*—*raucum:* V. ed. *tantum;* B. Π. *tamen.*—*retro cita:* Vossius, probante Bentleio, *Berecynthia;* quo nihil audacius unquam vidi, aut quod sit minus veri simile; V. ed. *retro citra;* Vind. *recro cita.* In reliquis omnes libri veteres consentiunt. In editis communibus versus ita scribitur; si excipias Havercampianum:

> Aut *reboant* raucum retrocita *cornua* bombum.

Et revocat raucum retro cita barbara bombum;
Et valli cycnis, nece tortis, ex Heliconis
Quom liquidam tollunt lugubri voce querelam.

Pius autem in Bononiensi dederat:

Et *reflexa retro dant cornua* barbara bombum:

dicit tamen in notis, "Sunt qui legunt, "fulti veterum exemplarium fide:

"Et revocat raucum retro cita *barbita* bombum."

Et satis liquet voces *reflexa retro* nihil esse nisi dictionum *retro cita* interpretamentum.

Ibid. *revocat: ανακυκλοι:* i. e. "retro "citroque per flexuras volutat." Forte an locum Lucretianum imitatus sit, ut certe feliciter illustrat, Seneca, Troad. 781.

Non inter aras, mobili velox pede,
Revocante flexo concitos *cornu modos*,
Barbarica prisco templa saltatu coles.

Ibid. *retro cita:* i. e. retro acta: quæ phrasis geminissima est, et Lucretio fortasse placuisset, Musis non obstantibus.

Ibid. *bombis*. In notissimis est Neronianus versus, apud Persium, sat. i. 99.

Torva Mimalloneis implerunt cornua *bombis*.

Catullianos versus alii admoverunt, sed appositi sunt, et digni, qui nunc etiam adscribantur, nupt. Pel. et Thet. 264.

Multis *raucisonos* efflabant cornua *bombos*,
*Barbara*que horribili stridebat tibia cantu:

ubi consulendus est F. G. Doëring, et, quem laudat ille, Hemsterhuisius, ad Lucian. dial. deor. xii. cujus integram notam perleges, si virum longe eruditissimum cognoscere velis se levibus conjecturis traducentem: unde, quod in præfatione dixerim, egregie roboratur; esse scilicet e doctis, vel duos vel neminem, qui Lucretium in transcursu tentaverint, felices emendationum.

Ver. 549. Versus est discrepantiis scripturæ impendio conturbatus, et in longe difficillimis; quique me diu frustra habuit exercitatum. Tandem mihi videor haud infeliciter omnino rem confecisse, dum summo opere studerem, ut a membranarum probissimarum vestigiis intervallo quam minimo abscederem. Codex vetustissimus M. ita nobis exaratum præstat versiculum:

Et validis nece tortis ex Eliconis:

atque similiter prorsus Vind. V. ed. B. L. Δ. Π. Σ. Ω. nisi quod L. det *neci*, pro *nece;* Δ. *nec e tortis;* Σ. *nece torctis;* quæ varietates pro nihilo sunt æstimandæ. In Ω. manus recentior supra scripsit *bovibus* inter *validis* et *nece;* quasi de vivis animalibus, quæ Bassarides bacchatæ dilacerarent, loqui Lucretium intelligeret: sed, opinor, temere. Numeri, qui plane deficiunt in optimis omnium exemplaribus, complentur in O. codice, hoc pacto:

Et *validi surgunt* nece tortis ex Heliconis.

Pius edidit ad hunc morem:

Vallibus et cygni nece detorti ex Heliconis:

sed ex commentariis ejus discimus, in codicibus emendatis scriptum sic:

Vallibus et cycni detorti ex Heliconis.

Certe vocem *cycnis* desiderari, et ex ruderibus corruptelarum eruendam esse, versus, qui sequitur, vix dubium relinquit, et ipsius Cari mos: vide sis ii. 504. iii. 7. iv. 182. 908. Unde solet evulgari, et in pervagatis editionibus exaratur, hoc modo:

Vallibus et cycni gelidis orti ex Heliconis:

cujus versiculi et Latinitas scabiosa est, atque expers elegantiæ; numeri confragosi, et lectiones prototypis suis membranarum nimium nimium discrepantes. Nos nihil novavimus ultra vocabulum *validis*, literulâ unâ atque alterâ, quas et pedum legitimæ rationes poscerent, et constructio desideraret, additis: nec profecto castigationem per licentiosam, si compendium scriptionis cogites, et librariorum ad verbum *cycnis* depravandum, ut ex compositis locis patebit, propensionem. Si criticus

Hasce igitur penitus voces, quom corpore nostro
Exprimimus, rectoque foras emittimus ore,
Mobilis articulat, verborum dædala, lingua,

exorietur aliquis, qui felicius concinnet locum, nos non obtrectatores erimus, sed in volentissimis laudatoribus ingenii.

Cæterum, ne difficultatis aliquantillam saltem speciem male dissimulem, et transcurram, loci constructio et recta est, et expedita, de nostris lectionibus: "Nec "primordia *tubæ* simili formâ penetrant "aures, cum mugit, et *primordia* cycnis:" nam nomina sententiarum principalia diversimode locantur, et diversis casibus, atque diversimode subintelliguntur, in quibusvis castissimorum scriptorum paginis, maxime poëtarum. Similis iterum venit nobis structura, ad ver. 564. hujusce libri.

Ibid. *nece tortis:* nam unanimi consensu veteres testantur, hanc avem, nisi morte appropinquante, nunquam canere; quod innumerabiles loci, vel puerulis notissimi, satis ostendunt: quibus et hodiernorum nonnulli suffragantur. Videtur itaque canor ille querulus, avi non aliter canoræ, mortis doloribus expressus. Optime ergo Lucretius *nece tortis* dixit, et sicuti decuit philosophum poëtam. Sed Oppianum apponam, in cyneg. ii. 548.

Ουκ αρα τοι μινυειν εν ορνιθεσσιν ιασι
Κυκνοι μαντιπολοι, ΓΟΟΝ ύστατον αυδοντες.

Criticorum quorundam conatus in hoc Lucretii versu castigando sunt temerarii prorsus et arbitrarii; quibus adeo recensendis bonæ chartæ et tempus fructuosum pariter perdantur: nos enim non sumus feriati.

Ver. 550. *tollunt voce querelam.* Ita Virgilius, Æn. vi. 492.

——————— pars *tollere vocem*
Exiguam——.

Per *querelam* autem volunt poëtæ "lu-"gubriter eliquatam cantionem:" conferas mox ver. 588. Ovid. epist. x. 8. Horat. epod. ii. 26. Hinc non opus est interpretatione Servii, repetitâ altius, ad Virgilii geo. i. 378. numerosissimum ac liquidissimum versiculum:

Et veterem in limo ranæ *cecinere querelam.*

Statii corruptum locum non male sic emendes, silv. iv. 5. 11. ubi videas Marklandum:

Nunc, *cincta vernis* frondibus, *annua*
Crinitur arbos; nunc *volucrum* novi
Questus, inexpertumque carmen—.

Nota sunt in hac re τα κινυρισθαι et μινυριζειν Græcorum: qui e contrario sæpe commutavere voces; ut Euripides, Med. 149.

——— οιαν ά δυστανος ΜΕΛΠΕΙ νυμφα;

Adi nobis notata in v. 1383. et Bion. i. 36.

Ver. 551. *Hasce:* O. Π. *Nasce.*—*quom:* Π. *tum.*

Ver. 552. *Exprimimus:* V. ed. *Exprimamus.*—*recto:* P. *retro.*—*emittimus:* M. *mittimus;* unde tentare possis:

——— rectoque foras *quom mittimus* ore:

sed obstat Horatius, epist. i. 18. 71.

Et semel *emissum* volat irrevocabile *verbum.*

Ver. 553. *Mobilis:* V. ed. B. *Nobilis.* —*verborum:* sic L. M. Ω. soli; exempla reliqua, *nervorum:* sed mendose, ut puto.

Ibid. *Mobilis articulat lingua.* Isidorus, origg. xi. 1. "*Linguæ* nomen im-"positum putant alii, quod per articula-"tos sonos verba *ligat:* sicut enim plec-"trum chordis, ita lingua illiditur denti-"bus, et vocalem efficit sonum:" quæ unde grammaticus hauserit, doctissimæ Davisii annotationes docent ad Cic. nat. dd. ii. 59. Cæterum, ut id transeuntes commoneamus, Nemesii locus, cap. xiv. ibi citatus, ita castigari debet: Της μεν γλωσσης, και τυ γαργαρεωνος πληκτρυ λο-

Formaturaque labrorum pro parte figurat.
Asperitas autem vocis fit ab asperitate
Principiorum, et item lævor lævore creatur.
  Hoc, ubi non longum spatium est, unde una profecta
Perveniat vox quæque, necesse est verba quoque ipsa
Plane exaudiri, discernique articulatim:
Servat enim formaturam, servatque figuram.

γον 'ΥΠΕΧΟΝΤΟΣ—. Vulgo, ἐπιχέοντος· at consuetudine Græcismi reclamante. Tertullianus, de resur. carn. sect. 61. "Cur non potius accepisti dentes ad pulsus linguæ temperandos, ad vocis articulos offensione signandos?" Addamus etiam Lactantium, de opif. Dei, cap. x. "*Lingua* intus inclusa; quæ vocem *motibus* suis in *verba* discernit:—et, vibrata certis motibus, innumerabiles cantuum flexiones, et sonorum varios modos, *exprimit*." Arnobius, denique, Lucretium suum manifestissime in oculis habebat, ad lib. iii. p. 111.—"aut, si verba ore funduntur, *labia* habere cum dentibus, quorum inflictu, et *mobilitate* multijugâ, *lingua sonos articulet*, et *vocem in verba conformet*:" ad quem locum tamen Stewechio equidem subscripserim, legenti *multijugos*. Et cum his versibus poëtæ nostri non pigebit commisisse alios ejusdem indolis ornatissimos, et egregiâ sermonis felicitate perfectos, ad ii. 413.

Ibid. *articulat, Exprimimus voces.* Arnobius, lib. vii. p. 217. "Sed rationales illi sunt, et *articulatas exprimunt voces*." Apuleius, in florid. xii.—"quo eis (i. e. psittacis) lingua latior quam cæteris avibus, eo facilius *verba* hominum *articulantur*—." Ammianus Marcellinus, xxx. 1. "Cumque apponerentur exquisitæ cuppediæ, et ædes amplæ nervorum et *articulato* flatilique *sonitu* resultarent—." Glossarium vetustum: "*Articulo*: ἀπαρθρῶ."

Ibid. *verborum dædala.* Ita Plato, in Phædro, p. 266. ed. Serrani:—τόν γε βέλτιστον ΛΟΓΟΔΑΙΔΑΛΟΝ, Βυζάντιον ἄνδρα.

Ver. 554. *Formaturaque*: V. ed. *Formatur aquæ*; M. *Formatur atque*.—*figurat*: Π. *laborat*.

Ibid. *Formatura.* Voce usus est Arnobius, lib. ii. p. 59.—"bovis ritu, aut asini,—conspiciet hæc quidem, *formaturas* varias respectans, sed, quæ sint singula, nesciens—."

Ibid. *figurat voces.* Auctor rhetoric. ad Herenn. iii. 11. "Dividitur igitur pronunciatio in *vocis figuram*, et corporis motum. *Figura vocis* est, quæ suum quendam possidet habitum, ratione et industriâ comparatum." Tertullianus pulchram hinc oppositionem cogitavit, Scorp. xii. "Cui potius *figuram vocis* suæ declarasset, quam cui effigiem gloriæ suæ revelavit—?" Horatius, epist. ii. 1. 126. venustissime:

> *Os* tenerum pueri, balbumque, poëta *figurat*.

Ver. 556. *lævor*: P. *levis*; non male, ut *vox* subaudiatur; V. ed. L. M. Δ. Ω. *levo*; O. *læto*. Nimirum, rarius vocabulum tot peccata scripturæ peperit, ut superius, ad ver. 154. hujusce libri.—*lævore*: V. ed. B. *leture*; L. M. O. Σ. Ω. *letiore*; Δ. *vox leta*.

Ver. 557. *Hoc*: editores audacissimi de suo, *Atque*; contra libros universos consentientes: redeas ad ver. 361. et consulas Valckenaëri notam in Eurip. Phœn. 157.—*est* non reperitur in Δ.

Ibid. *illa*, omnes libri. Lego:

> ———— unde *una* profecta
> Perveniat vox quæque——:

i. e. unaquæque vox.—Bentleius. Quam conjecturam admittendam esse ex-

At, si interpositum spatium sit longius æquo,
Aëra per multum confundi verba necesse est,
Et conturbari vocem, dum transvolat auras.
Ergo fit, sonitum ut possis sentire, neque illam
Internoscere, verborum sententia quæ sit;
Usque adeo confusa venit vox, inque pedita.
  Præterea, verbum sæpe unum perciet aureis

istimavi, tam quod non aliter scriptum offenderim in codice Π. quam quod voces *una*, *ima*, *ulla*, *illa*, soleant librariis commisceri. Obstare tamen aliquatenus huic divinationi ver. 564. videtur.

Ver. 558. *vox quæque:* V. ed. *voxque.*—Hic autem versus cum sequente sunt erasi in Vind.

Ibid. Color locorum mihi persuasit Virgilium huc oculos intentos habuisse, ad Æn. ix. 395.

Nec *longum* in medio tempus, quum *clamor* ad auris
Pervenit; ac videt Euryalum—.

Ver. 559. *exaudiri verba.* Maro, Æn. iv. 460.

Hinc *exaudiri voces* et *verba* vocantis
Visa viri—.

Ver. 560. *formaturam figuramque:* per hendyadem hoc debet accipi, pro *formaturam figuræ,* vel *formaturam,* per quam *figurata* est, ac discreta: redi ad ver. 554.—Et pro *enim,* B. *tamen:* i. e. pro *ñ*, *tñ;* adhærescente finali vocis præeuntis elemento.

Ver. 561. *sit:* P. V. ed. B. *fit.*

Ver. 563. *dum transvolat:* ἔπεα nempe πτερόεντα.

Ver. 564. *sentire:* M. *servare;* Δ. Π. Σ. *audire.* Forte, *haurire.* Virgilius, Æn. iv. 359. elegantissime, ut solet:

——— *vocem*que his auribus *hausi:*

ut rursus, ibid. vi. 559.—*illam:* P. *illa;* quod correctoris est, non percipientis constructionem: "neque internoscere illam "*sententiam,* quæ sit:" substantivo, quod sæpiuscule fit, in priore clausulâ subintellecto; de quâ figurâ sermonis amplisvimus ad i. 16. quo lector relegandus est, et ad Hygin. fab. xxxiv. pro altero exemplo, et multis aliis in not. 7. quæ viri docti congessere. Editores cum temeritate vere suâ reposuerunt ex arbitrio, *hilum;* libris universis, quâ manu scriptis, quâ impressis, medium unguem ostendentibus. Nos profecto grassationem tam facinorosam atque licentiosam omnibus modis reprimendam et coarguendam censuimus.

Ibid. *sonitum sentire.* Similiter idem Mincianus, geo. iv. 333.

At mater *sonitum* thalamo sub fluminis alti
Sensit—.

Et lautus animadvertat lector, quam scite summus poëta decorum conservaverit, et maternos affectus commendaverit; qui *matrem* præ cæteris nymphis auritam fecerit.

Ver. 567. *verbum:* sic L. M. codices, longe veterrimi emendatissimique; et lectionem stabilit ver. 569. ubi *vox una* repetitur, ut vicissim respondens *uni verbo,* quod præcesserat: Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. et nonnulli codices Pii, *peditum:* unde τὸ Pii *edictum* in contextu, quod in omnes editiones propagatum est; viri cujusdam docti valde ingeniosa, sed minime vera, emendatio. Nobis saltem non licet, non libet, membranarum auctoritatem spernere.—*perciet:* P. *prociet;* V. ed. B. *porciet;* Ω. *pertinet.*

Ver. 568. *missum:* Vind. *emissum;* prout editi plures: sed hæc varietas procul dubio collatoris incuriæ debetur.—Horatius, art. poët. 390. autem accedat:

Omnibus in populo, missum præconis ab ore.
In multas igitur voces vox una repente
Diffugit, in privas quoniam se dividit aureis,
Obsignans formam verbis, clarumque sonorem.
At, quæ pars vocum non aureis incidit ipsas,
Præterlata perit frustra, diffusa per auras:

———— Nescit *vox missa* reverti.

—*præconis:* in nonnullis codicibus Pii, *pedonis;* i. e. si diis placet, *αποπερδοντες·* ut *το peditum* quorundum exemplorum in versu præeunte Pius ille pro *περδην*, et *ore* (ne decorum scilicet, qualiter inceperit, non ad imum conservetur) pro foramine consentaneo, quod Plauto est inferior guttur, accepit. Certe minime *λιβανωτον ὀζει* talis interpretatio; nec male facient lectores, qui talibus interpretibus oppedant.—Mox M. *multis* habet, pro *multas.*

Ver. 570. *privas:* O. Δ. *primas.*—*quoniam:* V. ed. B. *dum;* quod peccatum typographi puto pro *qum*, uti in V. ed. pro *quoniam* sæpe aberrari vidimus; Δ. *quando;* Π. *cum.*—*se dividit:* V. ed. *secli vidit:* cujus corruptelæ rationes attendas velim. Primum, syllabæ recte dispertiantur, hoc pacto; *se clividit:* deinde coalescant *cl* in *d;* et jam exorta est genuina lectio: videas me ad ii. 1035. 1075. 1105.—Π. *diviserit.*

Ibid. *se dividit.* Nihil desiderabis aptius illustrando D. Lucæ, in actt. apostt. ii. 3.—*και ωφθησαν αυτοις* ΔΙΑΜΕΡΙΖΟΜΕΝΑΙ (nos: *Dispensing themselves*) *γλωσσαι, ὡς ει πυρος*— Heinsii notas perlege, ad Ovid. met. iii. 381. hanc phrasim Lucretii illustrantes.

Ver. 571. *Obsignans:* i. e. discriminatam figuram imprimens, quâ dignoscantur;—formam propriam effigians, ac peculiarem. Pulchre, et maxime ad rem, Plutarchus, plac. phil. iv. 20. *ἡ δε φωνη ποιει και δρᾳ· ακουομεν γαρ αυτης, και αισθανομεθα προσπιπτουσης τῃ ακοῃ, και* ΕΚΤΥΠΟΥΣΗΣ, *καθα περ δακτυλιον εις κηρον.*

Ver. 572. *At quæ:* P. *Atqui;* V. ed. *Atque;* Σ. *Atque ea.*—*incidit:* Σ. *accidit;* quam vocem Lambinus inculcavit, libris omnibus renuentibus: quasi recepta dictio requireret dandi casum. Sed non res est aleæ magis periculosæ, quam tali de caussâ scriptores immutare, qui nullis hujusce modi legibus in universum teneri solent: id, quod harum annotationum decursu sæpiuscule experti sumus. Certe Virgilius hæc jura sibi nata pernegat; qui ad Æn. ix. 721. hoc carmen cecinit:

Bellatorque *animos* deus incidit——.

Ibi consulas Heinsium, Burmannumque. Aliter *accidit aures* probum foret; sicuti multis incorruptorum scriptorum locis ad liquidum perducitur: consule doctos viros ad Val. Flacc. ii. 452. iv. 580. et præsertim Arntzenium, ad Aurel. Vict. epit. ii. 6. et quos laudat vir eruditissimus, cum Oudendorpio, ad Apul. met. v. p. 326.

Ver. 573. *diffusa per auras.* Hæc phrasis per metathesin verborum, poëtis deamatam et pulchre convenientem, haud illepide variata legitur in Culice Virgiliano, ver. 382.

Et mea *diffusas* rapiantur *dicta per auras.*

Ver. 574. *solidis:* P. *solis.*—*lapis.* Opere mihi summo gratulor ob persanatum ulcus, jam obductum cute, et maximam sanitatis speciem ostentans. Sic autem rescribendum esse sponte conjectaveram ex librorum vitiis; et sic disertissime positum postmodum offendi in codd. Vind. Π. et Σ. In P. B. O. Δ. legitur *locis;* ex emendatione cujusdam, sequentium ad verr. 577. 579. 580. 582. recordantis, et comparantis: V. ed. *lapsis;* L. M. *lapis;* Ω. *lopis.* Jam vero, si Lucretius ab origine dedis-

Pars, solidis adlisa, lapis rejecta, sonorem
Reddit; et interdum frustratur imagine verbi.
Quæ, bone! quom videas, rationem reddere possis
Tute tibi, atque aliis, quo pacto, per loca sola,
Saxa pareis formas verborum ex ordine reddant,
Palanteis comites quom, monteis inter opacos,

set *locis*, quis vocem pervagatam, nec sensui inhabilem, ivisset unquam permutatum? Multa autem sunt exquisitioris usûs, in receptâ nobis lectione, quæ non poterant librariis inscitis non displicere, et injicere offensionem. In primis hæsitarent ad omissionem particulæ cujuspiam, similitudini præludentis: hoc autem non poëtis inusitatum esse, probe novimus, et res in his commentariis alibi tractata est: adi nos, in iii. 493. et vide porro similem elegantiam, ad ver. 926. recuperatam. Deinde, *lapis* in feminino genere novum indoctis videretur; nescientibus scilicet, *το lapis* nomen fuisse non crescens Latinorum vetustissimis, uti docemur Prisciano, lib. vi. p. 708. qui laudat *lapi* ex Ennio; et Nonium Marcellum, xi. 52. ex eodem poëtâ *dura lapis* protulisse; uti vere statuerunt corrigendum esse viri docti. Idem grammaticus, iii. 123. luculentissime: "*Lapides* et "feminino genere dici possunt; ut apud "Ennium: Tanto *sublatæ* sunt agmine" (l. *augmine*, ut plus semel in Lucretio) "tunc *lapides:* ad Homeri similitudi-"nem; qui" (forte respexit Od. Ψ. 36.) "genere feminino lapides posuit." Hæc erant nimirum, quæ librarios ad scripturam sinceram membranarum immutandam videntur impulsura.

Jam vero, poëtam nostrum similitudine longe aptissimâ usum esse, fatebuntur omnes, quibus sapor poëticus contigerit, et venustatum, quas sermo suaviter concinnatus suppeditat, vel levior gustatus. Plautus non incommodus accesserit, Aul. ii. 1. 3. ubi videas Longolium:

——— Quia mihi misero cerebrum excutiunt
Tua dicta, soror: *lapides loqueris.*

Nec minus apposite vocis *resilientis* modus, quam *sonoris* ratio, depingitur hac imagine.—Denique, mihi videor haud intempestive moniturus, orientalium in primis consuetudinem esse, non apponere particulam venientis comparationis; uti vir longe eruditissimus Bryanus Walton docuit, in tractatu de idiotism. ling. Heb. p. 45. Bibliis polyglottis præfixo; quem consulas. Horatius denique, epist. i. 10. 5.

Annuimus pariter vetuli notique *columbi.*

Ibid. *solidis adlisa.* Sic solent sine adjuncto nomine primi censûs scriptores. Exemplo sufficiat Virgilius, Æn. xi. 427.

——— et in *solido* rursus Fortuna locavit.

Confer Horat. ii. 1. 78. Flor. i. 2. 9. et alios. Tacitus, ann. i. 70.—"neque dis-"cerni poterant incerta ab *solidis*, brevia "a profundis."

Enimvero, Plutarchus et hunc Lucretii locum, sic ut nos concinnavimus, et mox venientes verr. 581. 582. egregie illustrabit, plac. phil. iv. 20. *Επει παν το κινουμενον, σωμα εστι· κινειται δε ἡ φωνη, και εμπιπτει εις τους λειους τοπους, και αντανακλαται, καθαπερ επι της ΣΦΑΙΡΑΣ της βαλλομενης εις τοιχον· εν γουν ταις κατ' Αιγυπτον πυραμισιν ενδον φωνη μια ρηγνυμενη τετταρας, η και πεντε, ηχους απεργαζεται.*

Ver. 575. *Reddit:* B. *Redit:* vide sis quæ supra, ad ver. 535. notaverim.

Ibid. *imagine verbi.* Uti Virgilius, geo. iv. 50.

——— *voci*sque obfensa resultat *imago:*

et omnes Latini, post magistros Græcos. Ita Archias in epigrammate:

Quærimus, et magnâ disparsos voce ciemus.
Sex etiam, aut septem, loca vidi reddere voces,
Unam quom jaceres: ita colles collibus ipsei
Verba repulsantes iterabant dicta referri.

Ηχω πετρηεσσαν ὁρᾳς, φιλε, Πανος ἑταιρην,
Αντιτυπον φθογγων ἱμπαλιν φθεγομενην,
Παντοιων στοματων λαλον ΕΙΚΟΝΑ——.

Ver. 576. *bone:* sic P. V. ed. B. et impense placet lectio, utpote tenori versuum summe congrua. Similiter ad iii. 207.

Quæ tibi cognita res in multis, o! *bone*, rebus
Utilis invenietur, et obportuna cluebit.

Horatius, sat. ii. 6. 95.

———— Quo, *bone!* circa,
Dum licet, in rebus jocundis vive beatus:

atque idem rursus, epist. ii. 2. 37.

I, *bone!* quo virtus tua te vocat——.

Reliqua exempla, *bene;* præter M. qui *vene*. Sed multo proclivius abiret rarior vox *bone* in usitatius *bene*, per scribarum manus, quam vicissim.—*rationem:* B. *ratione*.—*possis* abest V. ed.

Ver. 579. *monteis opacos*. Maro, Æn. iii. 508.

Sol ruit interea, et *montes* umbrantur *opaci*.

Ubi non frustra loquitur de *montibus;* utpote in quibus lux diutius repercussa cernitur: significat igitur profundam noctem.—Porro, in nostris, Π. habet *nam*, pro *quom:* et mox M. *magnus dispersus;* sed superscriptâ verâ lectione.

Ver. 580. *et magnâ voce ciemus*. Hinc hausit idem Virgilius, ad Æn. iii. 68.

———— animamque sepulcro
Condimus, *et magnâ* supremum *voce ciemus*.

Porro, phrasin *vocem jacere* dedimus operam illustrare ad Eurip. Herc. fur. 146. Alcest. 691. Ion. 977. Valerius Maximus, i. 5. 9.—"fortuitum *jactum vocis* "leto suo confirmavit."

His autem, quæ Lucretius de *rure* prædicat, innixus Apuleius, in met. v. p. 354. pulchre dicit: "—*ruris* hujus *vocalis so-* "*litudo*—."

Ver. 581. *vidi reddere:* L. M. *videre odore;* unde nihil eruo: et ad hunc modum Δ. versum exhibet:

Sex etiam aut septem *voces loca odôre loca:*

Ver. 582. *colles:* B. *colles et*.—*collibus:* Vind. *callibus*.—*ipsei:* P. Vind. V. ed. B. *ipsis*.

Ver. 583. *repulsantes:* P. V. ed. B. *propulsantes;* quod mihi vero simile videtur, sciolum aliquem primitus mutavisse, ne numeri peccarent, ut ipse male suspicabatur: vide ver. 195. hoc libro.—*referri:* Vind. *referre*, ut plures editi; collatore, sat scio, iterum dormiente. Ordo est: "Ita colles, repulsantes dicta "verba, iterabant referri" (i. e. αὖτι referri, ita ut referrentur) "collibus." Interea, me persuasum habeo, versus a Lucretii manu sic scriptos provenisse:

———— ita colles collibus ipsei,
Verba repulsantes, *curabant* dicta referri.

Consulas mihi notata modo, ad ver. 246. et mecum facies: nam durior est constructio vulgatorum præ Lucretiani sermonis facilitate, et nimia consimilium vocabulorum congeries: quæ tamen nescio an vituperanda sit in tot sonorum repetitione declarandâ.

Ibid. *repulsantes colles*. Non multo aliter Virgilius, Æn. viii. 305.

Consonat omne nemus strepitu, *colles*que *resultant*.

Ibid. *dicta*. Lego, aut *ipsi*, aut *ipsa:* vide ver. 558. Imo, "collibus *icta* ver- "ba." Pedo Albinovanus:

Te clamore vocant iterumque iterumque supremo:
At vox, adversis collibus *icta*, redit.

Virgilius etiam, ecl. vi. 84.

Hæc loca capripedes Satyros, Nymphasque, tenere
Finitumei fingunt; et Faunos esse loquuntur,
Quorum noctivago strepitu, ludoque jocanti,
Adfirmant volgo taciturna silentia rumpi;

———— *pulsæ referunt* ad sidera valles.
BENTLEIUS.

At enim illud *icta* cum *repulsantes*, vir magne! quis, vel auctore te, probaverit?

Ver. 584. *Satyros:* O. *Satyri.*—*tenere:* V. ed. *teneque.*

Ibid. *capripedes Satyros:* sic in Anthol. Græc. habemus ὁ τραγοπους, et αιγοποδης, Σατυρος: et in Meleag. epig. 27. αιγιβατη Πανι; quam vocem cum aliis sponte restitueram Theocrito, in epig. 5. pro scripturâ librorum vitiosâ αιγιβοταν· sed forte an verum fuerit:

Πανα τον ΑΙΓΙΠΟΔΑΝ ορφανισωμες ὑπνυ.

Homerus, hymn. in Pan. 2.

ΑΙΓΟΠΟΔΗΝ, δικερωτα, φιλοκροτον—.

Te capripedum Satyrorum Flacci puerulis notum. Mendam abluamus interea ex nitidissimis carminibus Theocriti, idyll. iv. 63.

———— το τοι γενος η Σατυρισκοις
Εγγυθεν, η Πανεσσι ΤΡΑΓΟΚΝΑΜΟΙΣΙΝ ερισδει.

Editi ineptissime, κακοκναμοισιν. Agathias, epig. 28. similiter *Pana* vocitat αιγικναμον.

Ver. 585. *Finitumei:* Π. *Finitum;* vel servans veteris orthographiæ vestigia, vel το *um*, pro *imi*, eisdem sane ductibus, male oculatus scriba posuit. Vulgo, *Finitimi;* ut in libris omnibus, contra morem seculi, et in primis poëtæ, priorum temporum venerabilem orthographiam sectantis.—*Faunos:* Vind. *faunes.* Cæterum, hæc numina recenset numero Prudentius, perist. x. 241. hinc optime explicandus:

Quid rusticorum monstra detester deûm?
Faunos, Priapos, fistularum præsides,
Nymphas natantes, incolasque aquatiles:

sylvarum profecto deos, *hortorum*, *montium*que, vel *Panas* utique: qui tamen, ut ex nullâ parte recensionis justæ cesset, ita rescribendus est:

Nymphas, *Napæas*, incolasque aquatiles:

tam *Dryadas*, quam *Nereïdas*, sic amplexus scilicet. Egregiam vero phantasiam, hinc exortam, nobis extudit præclara Valerii Flacci inventio, i. 103. quæ jucundissima obveniet lectoribus:

At, quibus arvorum studiumque insontis aratri,
Hos stimulant, magnâque ratem, per lustra viasque
Visi, laude canunt manifesto in lumine Fauni,
Sylvarumque Deæ, atque elatis cornibus Amnes.

Dum vero in hoc sumus, operæ pretium fuerit resarcire et emendare Senecam, Hippol. 784.

Et somnis facient insidias tuis
Lascivæ nemorum *frondiferûm* Deæ;
Panesque, et Dryades *montivagæ*, *petent.*

Hæc vero videntur nobis similia. Locum adeas, et perpendas ibidem varietatem lectionis.

Cæterum, in sequentibus voces *strepitu ludoque* potissimum respiciunt *Satyros Nymphasque* lascivo lusu discurrentes, et *sonos querelasque tibiæ* pertinent ad Faunos, musicos deos ac facundos vates: vide Virg. Æn. vii. 81. Hor. art. poët. 244. Calpurn. ecl. i. 91. Isidor. origg. viii. 11.

Ibid. *Nymphas et Faunos.* Inscriptiones Gruteri, p. 376. insc. 2.

Plaudebant nemoris Fauni, Nymphæque sonabant:
Lætitiam divûm sensit et ipse locus.

Ita rescribendum existimo: in libris corrupte legitur, "*Parebat nemo* Fauni."

Ver. 586. *noctivago strepitu:* nempe *noctu* ferias amatorias exercebant, ne mortalium oculis contingerentur. In hanc rem cultissimi quidam mollissimique versus Martialis, ix. 62. 11. lectoribus venustis aures demulcebunt:

Chordarumque sonus fieri, dulceisque querelas,
Tibia quas fundit, digitis pulsata canentum:

Sæpe sub hac madidi luserunt arbore *Fauni*,
Terruit et tacitam *fistula sera* domum:
Dumque fugit solos *nocturnum Pana* per agros,
Sæpe sub hac latuit rustica fronde Dryas.

Solinus Polyhist. de monte Atlante, cap. xxiv.—"lucet *nocturnis* ignibus: *choris* "*Ægipanum* undique personatur: audi- "untur et *cantus tibiarum* et tinnitus "cymbalorum per oram maritimam." Confer Plin. nat. hist. lib. v. init. Hinc Horatius pendet, od. i. 4. 5.

Jam Cytherea *choros* ducit Venus, *inminente Lunâ*.

Hinc etiam idem ibid. 17. 10. uti Turnebus bene monuit, et enarratores veteres viderunt; nam ad *Faunum* carmen scribitur:

Utcumque dulci, Tyndari, *fistulâ*
Valles et Usticæ cubantis
Lævia personuere saxa.

Lævia autem *saxa* non temere, quum sint repulsandis sonis aptissima: vide Plutarchi locum, sub ver. 574. Alia sunt ad manum loca, quibus admovendis melius existimo supersedere, in argumento pervagato satis, nec morosiores curas interpretis postulante.

Ibid. *ludo jocanti:* i. e. petulante, *lascivo:* adi dicta in ver. 827. Non alienum est suave carmen Sidonii Apollinaris, i. 13.

Tunc Faunis Dryades, Satyrisque Mimallones, aptæ,
Fuderunt *lepidum*, rustica turba, *melos*.
Alta cicuticines liquerunt Mænala *Panes:*
Postque chelym placuit *fistula* rauca Jovi.

Quum vero singula non liceat circumvectari, cum his Lucretianis non alii melius contendant Martialis versibus modo positis; quibus Latium nullos novit suaviores.

Ver. 587. *volgo silentia rumpi.* Virgilius reminiscebatur hujusce loci, ad geo. i. 476. quem hinc accuratius interpunctum per transitum præstitero:

Vox quoque per lucos volgo exaudita silentis
Ingens, et simulacra modis, pallentia, miris
Visa, sub obscurum noctis.

Dictiones *sub obscurum noctis* non minus primum versum respiciunt, quam secundum; id, quod nemo videtur animadvertisse. Preigerus autem Ciceronem opportune excitavit, ad nat. deor. ii. 2. "Sæpe "Faunorum voces exauditæ, sæpe visæ "formæ deorum, quemvis non aut hebetem, aut inpium, deos præsentes esse "confiteri coëgerunt."

Ibid. *taciturna silentia.* Maro, Æn. ii. 255.

——— *tacitæ* per amica *silentia* Lunæ.

Adeo non insolitum est vel primi ordinis ingeniis sic vocabula persimilia, uti nobis saltem videntur, consociare. Ovidius, ad Liv. 185.

Jura *silent*, *mutæ*que *tacent* sine vindice leges.

Pro *tacent*, Heinsius et Francius, haud dubie tot paribus dictionibus impulsi, malebant *jacent:* quibus non adstipulor, neque necessariam emendationem puto. Arnobius, lib. iii. p. 115.—"læva illa, "quæ constituitis, numina *taciturnitatis* "*silentio* præteribimus." Sic alii sæpenumero.

Ibid. *silentia rumpi.* Virgilius, Æn. x. 63.

——— Quid me alta *silentia* cogis
Rumpere?

Ver. 588. *sonus:* sic M. optime; ad consuetudinem nimirum antiquissimorum. Nonius Marcellus, viii. 67. "Soni et so- "nus pro sonitus, et *sonu*. Pacuvius "Duloreste:

"Quidnam autem hoc soniti est, quod stridant "fores?—

"Sisenna, hist. lib. iii. Post quam in "*sonu* signorum prælium magno cum "clamore virorum commissum est." Sed enim consimilium nominum acervus videtur scribam turbavisse, atque in peccatum illexisse. Rescripserim, "*Soniti* pro so- "nitûs; et sonus sonu."

Et genus agricolûm late sentiscere, quom Pan,
Pinea semiferi capitis vallamina quassans,

Ibid. *dulceis querelas Tibia quas fundit.* Sicut Horatius, od. iii. 7. 80.

> ———————— neque in vias
> Sub cantu *querulæ* despice *tibiæ*.

Redeas ad notata nuper in ver. 550.

Ver. 589. *Tibia:* V. ed. B. *Tibi.*—*fundit:* V. ed. *findit;* B. *fingit;* Π. *fondit;* quam poëtæ genuinam scripturam arbitror.

Ibid. *digitis pulsata canentum:* i. e. accinentium; pulsantium scilicet et canentium eodem tempore. Virgilius hunc locum imitatus est, Æn. vi. 646. cujus versus pleniores adhibebo; quum videam nemini intellectos esse præter Jortinum nostratem, virum multis nominibus admirabilem; quamvis sint sensu longe longeque planissimo, neque controversiam admittente:

> Nec non Threïcius longâ cum veste sacerdos
> Obloquitur numeris septem discrimina vocum:
> Jamque eadem *digitis*, jam pectine *pulsat* eburno:

i. e. "e contrario respondet citharæ, et "reddit septem flexuras vocis suæ tot nu"meris septem chordarum." Nihil certius vel Ammon ipse. Qui vero loqui vult, alio loquente, plerumque ex inimico quodam affectu mentis hoc facit: inde est, quod verba cum *ob* composita in malam partem potissimum vertantur, præter naturalem præpositionis vim, indifferenter utrobique se gerentis. Vide, quæ dixerim ad Horat. epod. ii. 27. Sed trivialibus immorari nolim; et eruditos viros ad tam lævia hæsisse, satis mirari nequeo.

Ver. 590. *sentiscere:* Π. *sentire:* vide nos ad ii. 1045. superius.

Ibid. *Pan.* Lucius Ampelius, cap. 8. "—in monte *Nymphæo:* ibi ignis est, "et de terrâ exit (forte, *exsilit*) flamma: "in sylvâ *Panis symphonia* in oppidum "auditur."

Ver. 591. *semiferi:* M. *semifieri.*—*vallamina:* hoc Vossius effinxit ex scripturâ codicum L. M. *ullamina*, pro vulgato *velamina:* et idem placuit Heinsio, ad Valer. Flacc. iii. 50. Hanc emendationem tribus de causis admittendam arbitratus sum: Quod doctiorem efficiat et exquisitiorem lectionem; Quod Lucretius se passim ostendat varietate phraseos delectari, et vulgarem locutionem jam habuerit, ad i. 929. iv. 5. Quod, denique, voces *vallo* et *velo* sæpiuscule commutatæ sint librariis: adeas var. lectt. ad Ovid. ex Pont. i. 2. 23. iv. 14. 55. Claudian. prim. cons. Stil. ii. 189. sext. cons. Honor. 647. rapt. Pros. ii. 325. iii. 320. idyll. iv. 23. Certe fatendum est τὸ *vallare* sæpius adhiberi de capitum tegumentis terrorem incutientibus; ut, exempli gratiâ, in hoc loco Senecæ, ne alios cumulem, Herc. Œt. 1935. sic ἐν παρόδῳ emendandi:

> Non, Argolico rapta leoni,
> Fulvâ pellis contecta jubâ
> Lævos operit *dira* lacertos,
> *Vallant*que *feri tempora dentes.*

Vulgo, *dura;* nimis exiliter. Unde Heinsius verâ conjecturâ correxit Claudianum, in Rufin. ii. 465.

> ——— pronoque favos examine *vallant.*

Libri, *velant:* et ita egomet Marte proprio hoc peccatum profligaveram: confer alios locos ejusdem poëtæ modo laudatos, et ibidem Heinsium Burmannumque. Optime usurpatur etiam *vallo*, de tegumentis incommodum aliquod *propulsantibus.* Hinc certe mendâ liberandus Columella, de re rust. vii. 2. 1. "nam id "(ovillum pecus) præcipue nos contra "*frigoris violentiam* protegit, corporibus"que nostris liberaliora præbet *vallami*"*na.*" Editi, *velamina;* sed unus liber, *vellamina.* Mox ibid. 3. 10. "Molle "vero pecus etiam *velamen*, quo protegi"tur, amittit—." Idem liber, *vellamen:* sed ibi vulgatam vocem malim. Eadem medicina certissime Silio facienda est, ad

Unco sæpe labro calamos percurrit hianteis,
Fistula sylvestrem ne cesset fundere musam.
Cætera de genere hoc monstra ac portenta loquuntur,

Pun. iii. 276. quod totius loci color ex abundanti monstret scitis lectoribus:

> ———————— squalentia barbâ
> Ora viris; humerosque tegunt *vallamine* capri
> Sætigero: pandâ manus est *armata* cateiâ:

i. e. προβλήματι, *munimento;* ut in Herodoti loco, iv. 175. quem Drakenborchius adscripsit. Humilia sunt et tautologiæ affinia, quæ vulgari solent ex libris omnibus, *tegunt velamine:* conferas ejusdem iv. 561. v. 133. Haud alio modo Virgilius verissime restituendus, ad geo. iii. 383.

> Talis, Hyperboreo septem subjecta trioni,
> Gens effrena virûm Rhipæo *tunditur* Euro;
> Et pecudum fulvis *vallatur* corpora sætis:

i. e. "*munitur* contra *verbera* glacialium "ventorum:" vide Bentleium ad fragm. Callim. cxxiv. Quid congruentius? quid elegantius? Disputationi non obnoxia est hæc emendatio. Vulgo, *velatur*, vel *velantur;* sed exemplum singulare, *vellatur*. Adi doctos animadversores in Val. Flacc. iv. 298. quem locum non jam nunc attingam. Lucretius igitur ad pinum capitis ἡλιοσκέπη rectissime vocem *vallamina* videtur retulisse. Non aliunde plurima loca veterum proprietatem suam atque venustatem mutuantur. Exemplo sit Virgilianus ille, Æn. vi. 772.

> Atque *umbrata* gerunt civili tempora *quercu*.

Ita scilicet sub dio defensi contra solis spicula acutioris: committe nostrum nostraque superius, ad iii. 926. ne tritioribus nimium diu inhærescamus. Rei interea ipsius testem non obscurum prorsus se nobis exhibet Calpurnius, ecl. i. 10. sylvestres deos his coronis capita obtexisse, ut ardores diei nimios propulsarent:

> Hoc potius, frater Corydon, nemus ista petamus
> Antra patris *Fauni;* graciles ubi *pinea* densat
> *Sylva* comas, *rapido*que *caput levat* obvia *soli*.

Decore nimirum, et ingeniose, Statius administrat rem, ad Theb. vii. 262. qui sic *vallaverit* heroïs caput in prælii pericula:

> Proximus Eurymedon; cui pastoralia Fauni
> Arma patris, *pinus*que jubas imitatur equinas.

Non alienus advenerit Arnobius, lib. vi. p. 197.—"cum petaso gnatus Maiæ, tan-"quam vias aggredi præparet, et *solem* "pulveremque declinet." Sed Papiniano carmine nihil tempestivius, silv. v. 3. 143. ut nihil est profecto pulchrius et expolitius:

> Sit pronum vicisse domi. Quid Achæa mereri
> Præmia? nunc *ramis* Phœbi, nunc *germine* Lernæ,
> Nunc Athamantæâ *protectum tempora pinu*.

Nec alienior est Silius, Pun. xiii. 331. ipso de *Pane* versibus ornatissimis canens:

> Cingit acuta comas, et *opacat tempora, pinus:*

a vehementiore scilicet rapidì solis æstu; conferas ibid. ver. 341. statim venientem. Emendabo denique Juvencum, hist. ev. ii. 776.

> En! populi mentes *vallantur* ad omnia crassis
> *Obicibus*, sensu ne tangant munera vitæ:

i. e. *muniuntur*. Vulgo, *velantur*. Solus sufficit conjecturæ firmandæ Virgilius, Æn. viii. 227.

> ———— fultosque *emuniit obice* postes.

Ibid. *Pinea vallamina.* Sic Ovidius, met. xiv. 638. usitatâ cum elegantiâ:

> ———— *pinu præcincti* cornua *Panes:*

quemadmodum et alibi. Suidas: Πιτυοστεπτος, ὁ Παν·

> ΠΑΝΟΣ τ' ηχηεσσα ΠΙΤΥΣΤΕΠΤΟΙΟ καλη.

Quæ sunt Crinagoræ, epig. 7.

Ibid. *semiferi capitis:* ob cornua nimirum, a temporibus pullulantia, et *aures* in acumen tenuatas: de quibus poëtæ passim. Martianus Capella, lib. ix. 4. 70. ita, nisi fallor, emendandus est, p. 1448. edit. Maittair. quam solam habeo:

Ne loca, deserta ab divis quoque, forte putentur
Sola tenere; ideo jactant miracula dictis:
Aut aliquâ ratione aliâ ducuntur; ut omne

> Carmen Mænaliæ tulere pinus;
> Percussâque modis sonat Lycæis
> Solers Arcadiâ *nomos* cicutâ
> Pernix *semiferi* puella *Panos*.

Vulgo, *nemus:* ad quod vocabulum constructionem expedire non possum, et aliis expendendam trado. Consulas commentarios ad Sueton. vi. 20.

Ver. 592. *Unco:* ut v. 1406. Sed lego *Udo*, non *Unco*. Plato, in epigrammate:

> *Αυτος ισω συριγγι μελισδεται ευκελαδῳ Παν,*
> ʽΥΓΡΟΝ *ἱεις ζευκτων* ΧΕΙΛΟΣ *ὑπερ καλαμων.*

BENTLEIUS.

Tentamen hoc improspere cessisse magno viro nos olim diximus ad Virg. geo. iv. 123. neque incepti pœnitet. Nimirum, quæ sunt humida, multoties mollescunt inde, atque flexibilia evadunt: et aquæ humor ipse facillime, ut quæ tenuissimâ sit naturâ, in omnigenas flexuras ducitur. Hinc ὑγρος optime notionem mollitudinis ac volubilitatis tortuosæ parit. *Unco* igitur *labro* feliciter potest, "labro mobiliter flectente, et curvaturæ calamorum "se fluctuatim accommodante." Consulas quæ notavi, ad iii. 721. Porro, quoniam vix possit ambigi, quin Platonis versus animo Lucretii præsentes fuerint, Græcum ad Latini locutionem concinnare Ruhnkenius instituebat, in epist. crit. *Γυρον*, si rite meminerim, literis trajectis scribens: ingeniose profecto, sed infeliciter; et exquisitissimam vocem inornatâ mutans: *χαλκεα χρυσειων* scilicet. Sane phraseos *ὑγρον χειλος* luculentissimus accesserit interpres Hesiodus, scut. Herc. 278. versibus nectare tinctis et ambrosiâ:

> *Ται μεν ὑπο λιγυρων συριγγων ἱεσαν αυδην*
> Εξ ʽΑΠΑΛΩΝ ΣΤΟΜΑΤΩΝ· *περι δε σφισιν αγνυτο ηχω:*

i. e. "labris mobiliter flexilibus, et omni- "um sonorum varietates molli commuta- "tione, et expressâ proprietate, adtemperantibus." At sic legendum: non *ὑπαι*. Apage illam odiosam superstitionem de metro, sequente liquidâ! Eadem medicina centies Homero facienda est. Hippocrates etiam pulchre, p. 37. ed. Foës. —*το ξυμπαν σωμα* ʽΥΓΡΟΝ *κειμενον*. Philostratus junior, icon. xii.—*ἡ κεφαλη, σκελη και* ʽΥΓΡΟΥ *αυχενος εξεισα*. Hinc probe capias Martialem, iv. 495.

> Aut puero *liquidas* aptantem Dædalon *alas:*

i. e. molles, *ὑγρας*, flexiles: unde Horatius, art. poët. 163.

> *Cereus* in vitium *flecti*—.

Ineptiunt interpretes ad versiculum Martialis. Valerius Flaccus non aliunde explicandus, vi. 710.

> ——*liquido*que parens signaverat *auro:*

i. e. *ὑγρῳ*, quia in tenuissimas et mollissimas laminas perduxerat malleator: compares meam Silv. Crit. iii. p. 137. de hoc elegantiarum genere, et obstupesces deliramentis editorum. Valerius nimirum de solito Maronem suum æmulatus est, ad Æn. x. 138.

> ——fusos cervix cui lactea crines
> Excipit, et *molli* subnectens circulus *auro:*

i. e. "*a* capite, vel *post* caput, collum ca- "pit." Ita legendum, cum Cruquiano Flacci commentatore; non *Accipit*, cum membranis: vide nos ad Virg. geo. iv. 167. Editores Achillem Tatium non intellexerunt, ad ii. 37. *Γυναιξι μεν εν*, ʽΥΓΡΟΝ *μεν το* ΣΩΜΑ *εν ταις συμπλοκαις:* i. e. "mollibus cum membris circumfun- "ditur:" compares nostrum, i. 40. qualia membra Arnobius, lib. vi. p. 197. *mollia* nuncupat, et "*liquoris feminei laxitate.*" Egregius artifex harum nequitiarum P. Silentiarius, epig. 7.

> ʽΥΓΡΑ ΠΕΡΙΠΛΕΓΔΗΝ *ἁψεα δησαμενες.*

Finem faciet Lucianus, de salt. 73. ne

Humanum genus est avidum nimis auricularum.
Quod super est, non est mirandum, quâ ratione
Per loca, quâ nequeunt oculei res cernere apertas,

nimietatis in hoc negotio postulemur:—'ΥΓΡΟΤΗΤΑ των μελων επιτηδειων.

Ibid. *calamos hianteis.* Propertius, iii. 15. 34.

> Capripedes *calamo Panes hiante* canent.—
> BENTLEIUS.

Quem locum et ipse margini alleveram: et illo moneor, de versu Enniano, annal. i. qui, quamvis tot munitus auctoritatibus, nullus dubito, quin vitiatus circumferatur, et hoc modo denique castigandus:

> Versibus, quos olim Faunei, *Panes*que, canebant.

Evulgari solet, *vates*que: vide Lucan. iii. 402. et idem sodalitium in Auson. Mosell. 172. 177. Nemesianus etiam, ecl. ii. 73. quam apposite:

> *Pan doctus, Fauni vates*, et pulcher Adonis.

Mihi contextus Ciceronianus liquido suffragatur, de div. i. 51. "Eodem enim (l. "*etiam*) modo multa a *vaticinantibus* "sæpe prædicta sunt; neque, solum ver-"bis, sed etiam

> "Versibus, quos olim Fauni, *vates*que, cane-
> "bant."

Sentiscisne το *vates* cum *vaticinantibus* illepide caudam trahere, et speciale aliquid ad sensûs proprietatem desiderari?

Ibid. *percurrit*, celeri labrorum motu. Hinc pulchre Leonidas, epig. 1.

> Μηλω μεν Μυσαις Πιμπληΐσι τυς ΤΑΧΥΧΕΙΛΕΙΣ
> Αυλυς, και ταυτην πυξινον αυλοδοκην.

Hanc autem celeritatem motûs requirebat syringis structura, septem calamis compactæ, quibus per vices omnibus admovebantur labra. Rem ad vivum descripsit Achilles Tatius, viii. 6. quem proinde ex re fuerit apponi. 'Οσα δε ὁ της Αθηνας αυλος εντος λαλει, τοσαυτα και ὁ τυ Πανος εν τοις στομασιν αυλει· αλλ' εκει μεν οἱ δακτυλοι κυβερνωσι τα αυληματα, ενταυθα δε τυ τεχνιτυ το στομα μιμειται τυς δακτυλυς· κἀκει μεν κλεισας ὁ αὐλητης τας αλλας οπας, μιαν ανοιγει μονην, δι' ἧς το πνευμα καταῤῥει, ενταυθα δε τυς μεν αλλυς ελευθερυς αφηκε καλαμυς, μονῳ δε το χειλος επιτιθησιν, ὃν αν εθελῃ μη σιωπᾳν· ΜΕΤΑΠΗΔΑ τε αλλοτε επ' αλλον, ὅπυ ποτ' αν ειη τυ κρυματος ἡ ἁρμονια καλη· οὕτως αυτῳ περι τυς αυλυς ΧΟΡΕΥΕΙ το ΣΤΟΜΑ. Quæ locutionibus Lucretianis magnam lucem injiciunt.

Ibid. *hianteis:* i. e. apertos; adeoque vocales, et personantes. Quid velim, clarius faciet Sidonius Apollinaris, ii. 48.

> ———————— At tu, circumflua ponto,
> Europæ atque Asiæ commissam carpis utrinque
> Temperiem: nam Bistonios Aquilonis *hiatus*
> Proxima Chalcidici sensim tuba temperat Austri:

i. e. sonora flamina. Et in secundo versu censeo το *commissam* mutandum esse in *commistam*. Lector venustus judicet.

Ver. 593. *ne cesset:* cum potestate scilicet Græcæ formulæ, ἱνα μη παυηται· "adeo ut re verâ nunquam cessat;" vel Pane, vel Faunis, indesinenter sonores musicos exercentibus. Conjeceram tamen rescribendum esse:

> Fistula sylvestrem *nec cessat* fundere musam.

Et profecto illud *nec* postea inveni in Π. codice; qui *fondit* etiam ad archaïcam scripturam exhibet. Quum vero elementum *c* arreptum esse possit ex vocabulo sequente, et recepta phrasis doctior videatur et subtilior, adeoque poëtæ sublimi atque erudito minime incongruens, vulgatis stari velim.

Ibid. *sylvestrem musam.* Quas voces excepit pastor Mantuanus, ecl. i. 2.

> *Sylvestrem* tenui *musam* meditaris avenâ.

Et multum adornavit sane, illatâ dictione longe exquisitissimâ; *meditaris* dico.

Ver. 594. Versus consimilis phrasi repetitur in v. 843. alioquin sic, uti nos edidimus et evulgari solet, solus Pius exhibet cum O. Ω. nam pro *Cætera*, Vind.

Hæc loca per voces veniant, aureisque lacessant:
Conloquium clusis foribus quoque sæpe videmus.
Nimirum, quia vox per flexa foramina rerum

B. L. M. dant *Petere*; V. ed. *Potere*; unde ex conjecturâ sic reformaveram:

Præterea, *in* genere hoc monstra—:

et *τὸ Præterea* quidem postea incursavi in codicibus Δ. Σ. nam Π. habet *Fetere:* sed tutius esse nihil novare putem.—Porro, vice *ac*, V. ed. *hac*. Vind. *locuntur;* Ω. *loquntur*.

Ver. 595. *Ne:* Vind. V. ed. Σ. *Nec;* Π. *Hæc*.—*ab divis:* V. ed. *de divis:* B. *declivis;* lineamentis nempe literæ *d* male separatis.

Ver. 596. *miracula*. Rem liquidiorem dabit Valerii Maximi locus, i. 8. 5. "Cui "rei pro argumento *miraculum* adjicitur; "ingens repente vox e proximâ *sylvâ* "Arsiâ, quæ ore *Sylvani* in hunc pene "modum missa traditur—."

Ver. 597. *omne:* B. *omen;* literis transpositis.

Ver. 598. *nimis:* Π. *minus;* eisdem pene lineamentis literarum.—*auricularum:* V. ed. *amicula ramus;* B. *amicula ramis;* Π. *amicularem*.

Ibid. *auricularum*. An legendum?

——————— avidum nimis *miraclorum*.

Ennius apud Varronem, lib. v.

Jam dudum ab ludis animus atque *aures avent*,
Avide exspectantes nuncium—.

"Propter hanc *aurium aviditatem*" (Varronis verba sunt) "theatra replentur."
BENTLEIUS.

Huic conjecturæ varietas lectionis nonnihil favet. Sed interea, quis non videt phrasin *avidum auricularum* longe longeque elegantiorem esse, imo elegantissimis omnium accensendam? adeo ut Bentleiana cogitatio, receptæ comparata, et frigescat prorsus, et sordescat; iis saltem, qui non ignorant, quid æra lupinis distent. Sane repertor ipse statim videtur abjecisse.

Ibid. *avidum auricularum:* i. e. omnes homines portenta et miracula libenter narrant; eaque a multis audiri jucundissimum illis est. Faber. Imo, ea *omnibus* auditu jucundissima sunt; "non novâ, "sed ingenitâ quibusdam, mentiendi vo"luptate." BENTLEIUS.

Ibid. *avidum auricularum;* ad constructionem formularum scilicet *integer vitæ*, *notus animi*, ac similium; uti nimirum innuimus ad locum, neque adhuc pœnitet: possis tamen scribere, si placeat, *avidûm*, pro *avidarum;* quæ minus ambigua sane verborum structura fuerit.

Ver. 600. *Per loca quæ:* hoc modo scribitur in Vind. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. sed in P. V. ed. B. *Per loca quas*. Perperam. Evulgari solet:

Quæ loca *per* nequeunt:

perquam inficete, ob consimilem ordinem similium vocabulorum in sequente versu. Idem error est ad ver. 606.—*apertas:* Π. *opertas*.

Ver. 601. *aureis lacessant:* i. e. *laciant*, impellant, cum vi quadam adveniant:—unde Valerius Flaccus, iv. 207. perquam venuste:

——————— et enim fiducia, credo,
Huc tulit; auditas et sponte *lacessitis* oras.

Iterum noster, ver. 693. de *visibilibus:*

Quæ *feriunt* oculorum acies, visumque *lacessunt;*

et de *odorandis*, ver. 691.

Hicc' odor ipse igitur, nareis quiquomque *lacessit:*

i. e. *ferit*, icit; ut Suetonius, v. 38. pervenuste:—"*ictus* nidore prandii." Virgilius, geo. iii. 233.

——————— ventosque *lacessit*
Ictibus——:

i. e. "ut pugil in gymnasio, imaginari"um duellum proludit vero; vires aëre "*feriendo* tentans." Ad hoc exercitationis genus alludit D. Paulus, 1 Cor. ix. 26. —οὕτω πυκτεύω, ὡς οὐκ ἀέρα δέρων—: quâ

Incolomis transire potest, simulacra renutant;
Perscinduntur enim, nisi recta foramina tranant:
Qualia sunt vitri, species quæ transvolat omnis.
Præterea, parteis in cunctas dividitur vox,
Ex aliis aliæ quoniam gignuntur; ubei nam
Dissiluit semel, in multas, exorta quasi ignis

de re consulendi nosmet sumus, in Silv. Crit. sect. clxxxvii.

Ver. 602. *Conloquium:* Vind. *Conloquimini;* Pii quidam codices, *Cum loquimur;* ut est in editionum vulgo, quæ de suo plerumque habent *quod*, pro *quoque*. Nonnulli spurium esse versum censent: nos illis dissentimus, nihil dispicientes, quod reprehendi possit, aut indolem Lucretianam non resipiat. Scripturam primum boni corrumpunt, deinde damnant, et abjudicant poëtæ. "Conloquium nempe "*fieri*, vel *esse*, sæpe clausis foribus, vi- "demus:" in quâ structurâ nihil duri, atque inusitati, reperire valeo.

Ver. 603. *perflexa:* V. ed. O. exhibent *perflexa.*

Ver. 604. *renutant.* Hæc dictio verissime reposita videtur, ac sane ita corrigendum Pius præceperat. P. V. ed. B. Π. Σ. habent *remittant:* nimirum, postquam librarius pro *renutant* scripserat *remitant*, quod iisdem constat ductibus, alterum *t*, ut legitima vox exsurgeret, facile admissum est: Vind. *re—;* L. *renuntant;* M. *rerumtant;* Δ. *remutant.* Tantas turbas rarius vocabulum ciere potuit! O. Ω. vere, *renutant.* Prudentius, hamart. 774. de uxore Lothi:

——— alter se proripit, altera mussat:
Ille gradum celerat fugiens, contra illa *renutat.*

Non temere suspicatur Gifanius, Lucretianum *renutat* redonandum esse fragmento Afranii, pro *remittat*, apud Non. Marc. i. 70. quem vide.

Ver. 605. *tranant:* nempe per aëra *liquidum:* redeas ad ver. 178. et ibi notata.

Ver. 606. *vitri:* V. ed. B. Π. Σ. Ω. *vitrei;* Δ. *utri.*—*quæ:* V. ed. B. O. Δ. Π. Ω. *qua;* Σ. *quo.*—*transvolat:* ita B. M. et, quod idem est, Vind. L. O. Δ. Π. Σ. Ω. *travolat;* V. ed. *tranolat;* per errorem, ut putem, typographi; P. *traviat.*

Ver. 607. *cunctas:* Vind. V. ed. *cunctis;* B. *cuncta.*

Ver. 608. *ubei nam Dissiluit semel, in multas, exorta quasi ignis.* Libros plures sequor, editoribus desertos, orationis texturam parum callentibus; quam nos hoc pacto plenam exhibemus: "Nam, ubi *vox* "exorta dissiluit semel, in multas voces "*solet se spargere*, quasi scintilla ignis "sæpe solet se spargere in *multos* igneis." Ratio, quæ distulerit dominantes sententiæ dictiones *solet se spargere* in posteriorem clausulam, nec necessum habuit repetitas dare in priore, obscuritatem illam, quæ circa virorum doctorum animos caligavit, videtur peperisse. Sed enim dubitandi locus est, an versus melius processerint, hoc modo potius interpuncti:

Ex aliis aliæ quoniam gignuntur; ubei nam
Dissiluit semel, in multas exorta, quasi ignis
Sæpe solet scintilla suos se spargere in igneis.

Prior via de secundis cogitationibus planior nobis visa est. Editores ex emendatione Lambini solent scribere, *ubi una:* nostra lectio diserte comparet in Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. neque aliud habendum est scriptura codicum vetustissimorum L. M. *ubina;* i. e. *ubi nã:* P. *ubi jam.*

Ver. 609. *Dissiluit:* V. ed. *Dissolvit;* literulâ cum simplice diversâ: et ita P. in contextu, sed *Dissiluit* bis in notis: Ω. *Dissiliunt.*—*multas:* P. V. ed. B. *multis.*

Ibid. *exorta.* Vocabulum est exilius atque infirmius, quam pro sensûs indole. Rescribo:

Sæpe solet scintilla suos se spargere in igneis:
Ergo replentur loca vocibus, abdita retro
Omnia quæ circum fuerunt, sonituque cientur.
At simulacra viis de rectis omnia tendunt,
Ut sunt missa semel: quapropter cernere nemo
Sæpta supra potis est, at voces adcipere extra.

—————— *extrita* quasi ignis
Sæpe solet scintilla——.

Ipse Lucretius, v. 1097.

——— validis *extritus* viribus *ignis*.

Porro, quum verbum *Dissiluit* translatum videatur a scintillis undique se dispergentibus, animum meum subiit, Maronem esse ad hanc normam locutionis constituendum, Æn. xii. 102.

His agitur Furiis; totoque *ardentis* ab ore
Scintillæ *absiliunt*: oculis micat acribus *ignis*:

ubi vulgo legitur, *absistunt:* quam conjecturam sane postmodum intellexi tribus exemplaribus manu scriptis esse confirmatam. Sic de *lampade* Æschylus, Agam. 305.

'ΥΠΕΡΘΟΡΟΥΣΑ *πέδιον Ασωπου*———:

et alii sane permultis locis similiter locuti sunt, adeo ut exemplis cumulandis præstet supersedere, ac rem permittere judicio lectorum decernendam. Vide nos ad vi. 162.

Ver. 611. *abdita:* B. Ω. *addita.*

Ibid. *replentur loca vocibus.* Ita Virgilius, Æn. xi. 380.

——— sed non *replenda* est *curia verbis*,
Quæ tuto tibi magna *volant*:——

ut modo noster, ver. 563. *vox transvolat.*

Ver. 612. *fuerunt:* M. Σ. *fuerint;* ut communes editi, citra necessitatem.

Ver. 613. *viis de rectis:* i. e. *ad* vias rectas, *secundum* vias rectas: optime. Sic autem dividendam vocem existimavimus, quæ scribitur junctim *derectis* in L. M. Ω. at liquidissime *de rectis* in Δ. cæteri libri, *directis;* præter O. qui *dejectis.* Ita dicitur *de facili*, *de plano*, *de transverso*, et centum consimilia. Quam pronum vero scribis sciolis esset de suo rescribere tritissimam vocem *directis*, quivis sentit. Et forte an exquisitior hæc loquendi formula Lucanum corruperit ad Phars. iii. 207.

Quâ celer *e rectis* descendens Marsya ripis
Errantem Mæandron adit:

i. e. *secundum* ripas rectas. Evulgatum est, *et rectis;* vix concinne satis: et libri quidem *ereptis*, atque *erectis.* Lectores censeant.—Cæterum, M. *tendant.*

Ver. 615. *Sæpta.* Vulgo, *Se;* et ita sane P. et Vind. sed in hoc codice diligentiam collatoris multis de caussis suspectam habeo. Id, quod dederim, quamvis ex conjecturâ sit, nullus dubito, quin a poëtæ manu venerit; nam reliqua omnia exemplaria magno cum consensu dant *Sæpe*, vocem scopo loci non magis consentaneam, quam vulgata: conferas velim verr. 602. 616. 703. hujusce libri, cum i. 355. 490. vi. 227. 859. et pedibus ibis, nisi fallor, in meam emendationem. —*supra:* Π. *super.*—*at:* V. ed. B. Ω. *ac.* —*adcipere:* Δ. *excipere.*

Ver. 616. *clusa*, vel *clausa:* P. *claustra;* Π. *onusa.*—*viarum:* Σ. *per ædes;* abest Vind. V. ed. Δ. Π. vocabulum; et versus integer hoc ordine perturbato scribitur in Δ.

Et tamen ipsa quoque *dum hæc clausa transit.*

Ver. 617. *Vox obtunditur.* Cicero, de orat. ii. 70 "— cum *vocem* in dicendo "*obtudisset*, suadebat Granius, ut mul- "sum frigidum biberet."—Vide sis Pearcium ibidem.

Ibid. *Vox aureis confusa penetrat.* Elegantissime Mantuanus, Æn. xii. 618.

Et tamen ipsa quoque hæc, dum transit clusa viarum,
Vox obtunditur, atque aureis confusa penetrat;
Et sonitum potius, quam verba, audire videmur.
Hoc, qui sentimus sucum, lingua atque palatum
Plusculum habent in se rationis, plus operaï.
Principio, sucum sentimus in ore, cibum quom
Mandundo exprimimus: ceu plenam spongiam aquaï

——————— adrectasque *impulit auris*
Confusæ sonus urbis.

Arnobius, lib. vi. p. 192.—" referendi " beneficii quænam omnibus spes erit, si " non undique ad se *missam vocem* Deus " exaudiet, et erit ulla longinquitas, quo " *penetrare* non possit auxilium poscen- " tis *oratio?*"

Ver. 618. *videmur:* Δ. Σ. *videntur*, ut alibi sæpiuscule; ob similitudinem literarum *m* et *nt* in minusculis characteribus.

Ibid. *sonitum:* i. e. merum uniformem sonitum, non articulatum ac discretum; qualem μεροπες ανθρωποι solent emittere.

Ver. 619. *Hoc, qui sentimus:* i. e. " *Hæc res, quâ* sentimus;" per formulam sermonis utrumque nomen, *lingua* ac *palatum*, singulatim respicientem; ut sonus utique perquam inamœnus auribus evitaretur:

Hæc, queis sentimus:

quemadmodum tamen audacissimi editores non erubuerunt ex arbitrio scribere, contra omnium librorum fidem; voces genuinas scilicet non quiti probe expeditas reddere. Illud *qui* autem, vice *quo*, bonorum virorum offendiculum, Plautus frequentavit. Sic Capteiv. iv. 2. 48.

Qui homine adæque nemo vivit fortunatior:

ubi codex quidam *Quo;* librario rem, quam tractamus, non intelligente. Idem, Bacch. iv. 9. 15.

——— ille olim habuit ignem, *qui* signum
daret.

Neque aliter alibi plus semel. Nonnulli voluere, *Nec queis sentimus:* quod respuit vis occulta τυ *Plusculum;* sed calculo suo Bentleius tamen inconsulto comprobavit. —*sucum:* ita accurate V. ed. Δ. vulgo, *succum.*—*lingua:* P. *linguam;* vitio, ut putem, operarum,

Ver. 620. *operæque:* ita exhibent P. V. ed. B. O. Σ. sed Vind. L. M. Π. *operæ;* Ω. *operæ quod:* et bene est, nos habere rem cum varietate momenti perexigui; nam reperies nusquam, de quâ difficilius sit cum fiduciâ pronunciare: sicut enim in proclivi est existimare, τυ *que* omissum esse de solito, ob angustias chartæ, ad versiculi finem, sic contra *æ* et *aï* sæpenumero confunduntur scribis Lucretianis. Denique, re potenter in animo deliberatâ, quod dedimus, exquisitius visum est, atque elegantius. At Δ. *plus operarum:* editores quidam, *plusque operaï;* omnino arbitratu suo, invenuste, ac licenter.—*se* deest V. ed.

Ver. 621. *sucum:* nempe, *cibi;* unde cibus omnis, ad scriptores non infimi census, *irrigare* dicitur. Arnobius, lib. v. p. 163.—" illo tempore, quo in utero lapidis " fuit clausus, quibus *alimoniis irrigatus* " est, quibus *sucis?*" Lepide et argute. Florus, i. 23. fin.—" quod ejus operâ, " redactis in sanguinem, *cibis irrigaren-* " *tur.*" Hinc vir egregius, T. Tyrwhittus, graviter lapsus est ad Orpheum de lapidd. 362. nobis αμιαντον commendans, pro αδιαντον· qui locus, pessime vitiatus, ita persanandus est; nam Musgravii acumen pariter inibi ludificatum video:

Ἡματα μεν τρις εφ' ἑπτα ζωην Ἑλενοιο πεπυσμαι
Θηλυτερης τε λεχος φευγειν, και κοινα λοετρα,
Και ΜΙΜΝΕΙΝ ΑΔΙΑΝΤΟΝ ΕΔΩΔΗΣ ψυψυχαια.

Vulgo, Και σιμιτον αδιαντον. Hippocrates,

Si quis forte manu premere, ac siccare, coëpit.
Inde, quod exprimimus, per caulas omne palati
Diditur, et raræ per plexa foramina linguæ.
Hoc, ubi lævia sunt manantes corpora suci,
Suaviter adtingunt, et suaviter omnia tractant,
Humida linguaï circum sudantia templa:
At contra pungunt sensum, lacerantque, coorta,

de carn. p. 252. ΑΡΔΟΜΕΝΑ *γαρ ὑπο της* ΤΡΟΦΗΣ, *αυξειται ἑκαστα, το θερμὸν, και το ψυχρον—κτλ.* Unde Philo Judæus, de mund. incorrupt. p. 506. exquisitissimo et magnificentissimo genere dicendi scriptor:—*αλλα και της εξωθεν αρδομενης τροφης*—. Hinc percipere quiveris venustatem Jamblichi, vit. Pyth. sect. 66. de musicis Pythagoreorum exercitationibus verba facientis:—*αφ' ἡς* ΑΡΔΟΜΕΝΟΣ *ὡσπερ, και τον του νου λογον ευτακτουμενος*—. *irrigatus*, et enutritus, quasi.

Quæ diximus ad hunc locum de *ciborum irrigatione*, nec levia sane, nec protrita, illustrabit vulg. vers. bibl. ad Num. xi. 6. " Anima nostra *arida* est; nihil " aliud respiciunt oculi nostri nisi Man :" i. e. *anima* nostra non habet ad vescendum carnes, quarum *sucis* ea *irrigetur*.

Ver. 622. *aquaï:* Vind. Π. *aqua*.

Ver. 623. *ac siccare coëpit.* Ita mallem scribere ad inusitatam formam vocis, de quâ propter paucitatem reliquiarum, ab antiquitate traditarum, minus idonei sumus nunc dierum judices, quam fidissimorum testimonia susque deque habere codicum: ad hunc enim morem luculenter exaratum est in Vind. V. ed. B. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. omnibus denique præter P. qui edidit, *exsiccareque cœpit:* sed nemo mihi persuasionem eripiet hoc deberi correctoribus, quos editores secuti sunt libenter. Nobis visum est tutiorem viam ingredi, quamvis non adhuc in exemplum quidpiam rem propius, uti valde vellemus, attingens, inciderimus. Doctiores me forsan codicibus fidelissimis, consentientibusque in lectione positâ, subvenire poterunt; quorum patrocinio Lucretii caussam commendamus. Vossius, de art. gramm. i. 18. p. 75. simile aliquid tentabat in i. 72. legens *cuïret*, i. e. quiret, pro *cupiret;* sed curiose et inutiliter, contra libros etiam, nec sine multo sensûs ipsius detrimento. *Cupiret* nempe, " studio et " ambitione teneretur tam gloriosi facino- " ris perficiendi." Videas insuper ver. 1150. hujusce libri.

Cæterum, *siccare cœpit* usitatissima est utriusque linguæ scriptoribus redundantia, pro *siccavit* simplice. Satis sit post Hyginum, fab. clxiv. " At Neptunus ira- " tus in eam terram mare *cœpit* irrigare " *velle*—:" specimen singulare ex Virgilio adscripsisse, geo. 1. 5.

Hinc *canere incipiam*—:

nam alibi, nisi fallimur, rem tetigimus.

Ver. 625. *Diditur:* Π. *Dividitur.*—*per plexa:* P. Vind. V. ed. O. *perplexa;* non male.—Modo B. *palatim*, pro *palati.*

Ver. 626. *Hoc:* P. Vind. V. ed. O. Π. Σ. dant *Hæc;* indocte: redeas ad ver. 557.—*manantes:* Vind. O. Δ. Σ. *manantis*, ut communes editi, minus exquisite: Π. *manentis.*—Hinc autem libet in transitu glossatorem veterem expurgare: " Hoc, " *τουτο, τουτο:*" lego, " Hoc, *τουτο*, ΤΟΥ- " ΤΩ." Vide Hom. Il. ι. 100.

Ver. 627. *tractant:* i. e. tangunt, atque quasi *μεταχειριζονται*. Elegantissime Juvencus, evang. hist. i. 321.

Corporeisque *oculis* lumen *tractare* serenum
Omnibus indulget Genitor, dominusque salutis.

Contingere Catullus dixit, lxiv. 409.

Ver. 628. *Humida linguaï:* Vind. Π. *Humidaï lingua;* V. ed. B. O. Δ. *Humidaï linguæ;* portentosos plane per errores.

Quanto quæque magis sunt asperitate repleta.
Deinde, voluptas est e suco, fine palati;
Quom vero deorsum per fauces præcipitavit,
Nulla voluptas est, dum diditur omnis in artus.
Nec refert quidquam, quo victu corpus alatur,

Ibid. *linguæ templa:* sic vocitata scilicet ob rotundiorem palati cavitatem, et quasi *concamerationem:* uti Græcis ουρανον nomen mos est usurpare. Tempestiva aderit Hesychii glossa, ad quam eruditissimus editor consulendus est: Περσαι δε τας βασιλειας σκηνας, και αυλας, ὧν τα καλυμματα κυκλοτερη, ουρανους λεγουσιν. Ita suppleas ex Phavorino. Versus proferam impendio laudabiles Alcimi Aviti, atque ad locutionem Lucretianam illustrandam unice comparatos, poëm. i. 87.

Flexilis artatur *recavo* sic lingua *palato*,
Pressus ut in *camerâ* pulsantis verbere plectri
Percusso resonet modulatus in aëre sermo.

Similiter *cameram palati* Sidonius Apollinaris habet, lib. ix. epist. 7. Lucretius autem *Humida* et *sudantia* eo insuper apposuit, quod gustui jucunda, ac sapida, salivam moveant. Sed huic Lucretianæ phrasi luce perfundendæ non felicius comparatam novi Ennianâ alterâ, quam Cicero conservavit ad nat. deor. ii. 18. fin. quæ vicissim luce perfundetur: et doctissimæ Davisii animadversiones dignissimæ sunt, quæ consulantur; qui tamen de Lucretio nihil cogitabat: "Sed, dum palato quid "sit optimum judicat (Epicurus), *cœli* "*palatum*, ut ait Ennius, non suspexit." Sed animadvertat lector, suâ translatione quam noster orationem nobilitaverit; et quam suâ rursus Ennius dehonestarit. *Templum* scilicet de *ore* dictum sublimis est locutio; de *cœlo* autem *palatum*, humilis et indecora. Addam Isidorum, origg. xi. 1. "*Palatum* nostrum, sicut "*cœlum*, sursum est positum; et inde pa- "latum a polo, per derivationem: sed et "Græci similiter palatum ουρανον appel- "lant, eo quod pro sui *concavitate* cœli "similitudinem habeat." Nos autem videas ad ii. 28. quo loco dictis versus Varronis valde conspirat, Nonio memoratus, ad viii. 13. qui ideo adscribetur:

Tua *templa* ad alta *fani* properans, citus itere:

i. e. camerarias fani contignationes.

Ver. 629. *pungunt:* P. V. ed. O. *pingunt.*—*coorta:* P. *coarcta;* et sane vox *coorta* videtur in mendâ cubare; neque valeo equidem discernere potestatem ejus, nisi interpreteris per "ea semina cibi, "vel suci, quæ inter mandendum oriun- "tur," et exprimuntur. Interpretes et editores, ubi ubi sit usus, natio calidissima, dictionem siccis pedibus transiliunt. Committas autem velim iii. 823. vi. 1011. —Mox Π. *sint*, pro *sunt*.

Ver. 630. *asperitate repleta:* audacius et nove dictum, pro "asperis particulis "instructa."

Ver. 631. *suco:* Δ. *sicco.*—*fine:* V. ed. B. *sine;* Vind. Δ. Π. *in fine:* et omnia inter *est* et *dum*, ver. 633. desunt Π. oculo librarii in *voluptas est* inferius conjecto.

Ibid. *fine palati.* Sic legendum; non, ut vulgo, *in fine:* i. e. palato tenus, et non ultra, sapores gustamus: Bentleius, in Horat. od. ii. 18. 30. qui debet ibidem perlegi, quum rariorem phrasin suo more, i. e. doctissime et sagacissime, pluribus illustret.

Ver. 632. *vero:* P. Vind. V. ed. B. Ω. *vere;* nec male, si quid video, respectu ad voces *fine palati* habito: i. e. "non "modo ad finem palati sucus venerit, sed "re verâ deorsum per fauces descende- "rit." Sed, antiquissimis membranis vulgatam lectionem retinentibus, nihil muto.

Ver. 633. *diditur:* O. Δ. Σ. Ω. *deditur.*

Ver. 634. *quidquam:* V. ed. *quiquam:*

Dum modo, quod capias, concoctum didere possis
Artubus, et stomachi humectum servare tenorem.
Nunc aliis alius quî sit cibus, ut videamus,
Expediam; quâ reve, aliis quod triste et amarum est,
Hoc tamen esse aliis possit perdulce videri:

unde pulchre rescribere possemus, atque sensui meo sane suavius:

Nec refert *quoiquam*, quo victu corpus alatur.

Ibid. *victu alatur.* Hinc Virgilius melius fortasse constituatur ad exemplar Montalbanum, Æn. viii. 318.

Sed rami, atque, asper *victus*, venatus alebat:

per appositionem, pro vulgato *victu;* cujus dubia est, nec elegans, constructio; sive *το victu* ad *asper*, sive rursus ad *alatur*, malis remittere.

Ver. 635. *capias:* Δ. *copias.*—*concoctum:* Σ. *concretum.*—*possis:* Vind. B. L. M. *posses;* sed ne tanti quidem auctores efficient, opinor, ut non sit mendosissima hæc lectio.

Ver. 636. *Artubus:* Π. *Artibus.*—*humectum:* ita solus P. Exempla autem dictionis tibi suppeditabunt lexicographi ex Apuleio et Macrobio. Rei rusticæ scriptores quinquies adhibuerunt. Sic Arnobius etiam, lib. vi. p. 212. sermonis Lucretiani, si quis alius veterum, locupletissimus defensor, et exemplar: "—viscera, adhuc suda de sanguine, et prioribus *humecta* de sucis." Addam Tertullianum, antiquitatis purioris in dicendi genere diligentissimum sectatorem, de baptism. sect. 3. "De terrâ materia convenit; non tamen habilis, nisi *humecta* et sucida—." Si spectes igitur nudam dictionem, nihil videas, quod in eâ desideretur: casta est, exquisita, loco commoda, et venerandâ rubigine vetustatis efflorescit. Nasutos tamen lectores non potest non remorari in exemplaribus emendatissimis varietas notabilis scripturarum. Vind. O. Δ. Σ. Ω. dant *humidum;* V. ed. quod eodem redit, *umidum:* et hæc sane lectio glossatorem recipit: B. L. M. Π. *vividum;* eisdem profecto ductibus elementorum *τους* vocis *umidum.* Cogitabam itaque, ob excellentem horum librorum castitatem, et antiquam fidem, an ita scripserit Lucretius:

——et stomachi *uvidulum* servare tenorem.

Videas Catull. lxvi. 63. ac, si libuerit, caussâ tamen prius expensâ meritis, vel verso pollice mea divinatio accipiatur.

Ver. 637. *quî:* i. e. quo modo: vide ad iii. 738. Sic omnia exempla, et scripta et impressa typis. Editores autem ex arbitratu dederunt *cur:* inutiliter magis, an impudenter? Et inutiliter, et impudenter; neque Lucretium reveriti, neque castos Lucretii lectores.

Ver. 638. *reve:* O. Δ. Π. Σ. *rene;* lineamentis consimilibus literarum non discretis: Ω. *re ut.*

Ibid. *triste et amarum.* Hæ voces non raro indifferenter usurpantur, ut plus semel etiam in Lucretio; hac de caussâ, quod amaritudo gustatæ rei tristitiam vultûs pariat: adi Virgilium, geo. ii. 247. atque adeo, effectu locum caussæ adimplente, quod *triste* est, id sensu secundario *το amarum* valet. In hoc autem argumentum Theophrastus, de caus. plant. vi. 2. *ουδεν γαρ κωλυει τον ἡμιν γλυκυν, ἑτεροις τισι των ζωων ειναι πικρον.*

Ver. 639. *perdulce:* proprio de penu protulerunt editores, *prædulce*, libris universis reclamantibus. Quidnam autem hoc est, si non est id inscitiæ, contumeliæ, temeritatis denique, et audaciæ, quo

——non est, ut copia major
A Jove donari possit.

"Sed facillime ac sæpissime commutantur, ob scriptionis compendium, *præ* et *per.*" Equidem audio hactenus; sed

Tantaque in hiis rebus distantia differitasque est,
Ut, quod aliis cibus est, aliis fuat acre venenum.
Est itaque, ut serpens, hominis quæ tacta salivis,
Disperit, ac sese mandundo conficit ipsa.
Præterea, nobis veratrum est acre venenum;
At capris adipes, et coturnicibus, auget.

non ulterius auscultem, ut antiquissimum poëtam, contra librorum præcellentium unanime testimonium, in hoc naufragio veterum literarum, et desuetæ linguæ tenebris, ex arbitratu meo interpolem. "At "exemplo caret membranarum lectio." Obtundis: analogia non repugnat, et magna seges est hujuscemodi vocabulorum λεγομενων ἁπαξ in Lucretio. Aliud regeris? Ες κορακας.

Ver. 640. *in:* abest V. ed. B. Π. Σ.—*rebus:* Δ. *cibus.*—*differitas:* V. ed. *differentas.*—*que* deest Π. Nihil variat Nonius Marcellus, ii. 207.

Ibid. *differitas.* Hinc Arnobius, vii. p. 228. "Quidquid autem potis est caussam "calamitatis inferre,—ab Dei nomine "longissimâ debet *differitate* seponi." Et sic alibi plus semel.

Ver. 641. *Ut:* Ω. *Et.*—*fuat:* Vind. M. Δ. Σ. *fiat;* O. *fuit.*

Ibid. *fuat.* Virgilius, Æn. x. 108.

Tros, Rutulusve, *fuat*, nullo discrimine habebo.

Sic Plautus sæpissime, et alii antiquiores: vide Nonium, ii. 330. Arnobius insuper hos Lucretii versus in animo habuit ad lib. vii. p. 234. "Nonne fieri potis est, "ut, quæ vobis afferunt voluptatem, con- "tra illis aspera *videantur* et *tristia?*— "An non quotidie *cernimus*, et inter ani- "mantia terris orta, esse *aliis* eadem vel "*amara* vel *dulcia; mortifera his esse,* "quæ illis nata in perniciem non sunt?" et seqq. Appositus est etiam Alcimus Avitus, in gen. i. 116. de *marinis aquis* loquens:

Edidit, et qui horum conservat corpora, nostris
Corporibus nocet *iste* liquor, genitalis *alumnis*
Piscibus; ipsa etiam terræ qui germina nutrit.

Sic legendum: vulgo, *ipse* et *alumnus.*

Ver. 642. Nihil esse potest faciliore intellectu, atque explicatu, quam sunt hujusce versûs sensus et constructio: "Est itaque, ut (ubi, vel quando) serpens, "quæ tacta *est* salivis hominis, disperit." Contempleris igitur novum atque ingens facinus editorum recentiorum, sic corrumpentium:

Est *utique*, ut serpens hominis *contacta* salivis——.

Sane illud *utique* est in Vind. Δ. et *contacta* in Vind. Π. sed in Vindobonensis codicis collatione hic, ut sæpe alias, diligentiam editoris non dubitem coarguere; et membranas meas esse vetustiores nimis vellem. Cicero, Philip. viii. 9. fin.— "*est* enim jam annus, *ut* repulsam tulit."

Ibid. De hac re Plinius, nat. hist. vii. 2. quem locum Lambinus etiam excitavit: "Et tamen omnibus hominibus contra "serpentes inest venenum: feruntque, "ictas salivâ, ut ferventis aquæ contac- "tum, fugere." Quem locum viri docti frustra solicitant. Plura volentibus Harduinum commendamus. Nicandri versiculum, quem attulit ibidem, interea sic rescribendum putem: Πολλακι και ζοιτων σιαλων ὑπεστρεσαν ΌΡΜΗΝ: i. e. *vim* et efficaciam: vulgo, οδμην. Exstat in Theriac. 86. Glossator vetus: "Ὁρμη, "*impetus:*" ut multoties Homerus. Interea, non injuriâ suspicionem movere potest numerus multitudinis in *salivis* de uno homine, præter consuetudinem scriptorum hanc rem tractantium; adeo ut recepta lectio fortasse sit compendiariæ scriptionis corruptela:

——— ut serpens, hominis quæ tacta *salivast:*

pro *salivâ est;* unde *salivas*, et, legitimo

Id quibus ut fiat rebus cognoscere possis,
Principio meminisse decet, quæ diximus ante,
Semina multimodis in rebus mixta teneri.
Porro, omnes, quæquomque cibum capiunt, animantes,
Ut sunt dissimiles extrinsecus, et generatim
Extima membrorum circumcæsura coërcet;

mox casu restituto, *salivis*. Plures hoc genere depravationes jam deprehendimus in Lucretio. Lectores autem suo judicio fruantur.—In sequente, V. ed. habet, *Desperit*.

Ibid. *serpens, hominis quæ tacta salivis, Disperit*. De hac re Ælianus, hist. ann. ii. 24.

Ver. 644. *veratrum:* V. ed. B. *veretrum*.—Et Arnobius, lib. i. p. 8. cujus etiam Lambinus recordatus est, hunc expressit locum: "*Veratrum venenum est homini*-"*bus:* numquid ob hanc caussam non "debuit nasci?" Addas Diogenem Laërtium, ix. 80. *Και το κωνειον ορτυγι μεν τροφιμον, ανθρωπῳ δε θανασιμον.*

Ver. 645. *At capris:* V. ed. *Ac cai capris.*—*coturnicibus:* B. *conturnicibus;* L. *cocturnicibus;* M. *quod turnicibus.*

Ibid. *adipes coturnicibus auget.* Plinius, nat. hist. x. 23. "Coturnicibus ve-"ratri semen gratissimus cibus." Lambinus.

Ver. 646. Hoc modo verba posita sunt hujusce versûs in editis:

Ut, quibus *id* fiat rebus, cognoscere possis.

Nobis non id licitum esse existimavimus, ut delicatiorem gustum omnibus vetustis exemplaribus præponamus: aliter alius ordo verborum nobismet quoque placuisset.

Ver. 648. *teneri:* V. ed. ac B. exhibent, *tenere.*

Ver. 651. *circumcæsura:* P. *circum textura;* quod vel glossatoris est, vel scioli emendatoris: Vind. O. Δ. Π. Σ. *circumcessura:* redeas autem velim ad iii. 220. et ibidem notas.

Ver. 652. *constant:* i. e. "eadem est "ratio constitutionis in seminibus, ac in "extimis figuris animantium:" dissimilitudo scilicet. Nihil rectius et sincerius hac lectione, nobismetipsis saltem judicibus: editores autem *distant* in Lucretium importavere; quæ vox profecto, quantum intelligere valeamus, in Vind. et M. comparet: sed librorum reliquorum consensus summus me jubet *επεχειν*· et nemo mihi eripiet, vel si sinceros egerint istorum exemplarium collatores, ut non credam vulgatam dictionem, quæ valde plebeium gustum sapit, hodierni cujuspiam correctoris fetum.—Aliter insuper hoc pacto declarari potest verborum constructio: "Proinde (ad eundem modum) con-"stant etiam seminibus" (dissimilibus scilicet): i. e. ea est seminum constitutio, quæ externæ speciei; quatenus in utroque nimirum discrepant.
Cæterum, L. *figuris;* Π. *figuram;* etiam bene: sed verum equidem puto *figuras.* Nihil tanti est.

Ver. 654. *viasque:* Δ. *vias.*—*perhibemus:* Π. *perhibendum;* quæ forma, quamvis alibi Lucretio frequentata sit, hujusce loci structuræ adaptari nequit. Mox idem codex nobis exhibet *uti*, pro *in.*

Ver. 656. *majoraque:* V. ed. *maioque;* Π. *minoraque.*

Ver. 657. *triquetra:* Vind. V. ed. B. Π. Σ. *triquatria;* O. Ω. *triquatra;* Δ. *triquetria.*—*aliis* semel tantum scribitur in Δ. Π. Σ. de quo genere erroris sæpiuscule monuimus superius; et videas Valckenaërum, ad Eur. Phœn. 302. 1043.

Ibid. Ad hunc locum patefaciendum apprime facit Theophrastus, de caus. plant. vi. 2. Creechio citatus ad ver. 619. hoc libro. Verba philosophi suspicor mendo-

Proinde et seminibus constant, variantque figurâ.
Semina quom porro distent, differre necesse est
Intervalla, viasque, foramina quæ perhibemus,
Omnibus in membris, et in ore, ipsoque palato.
Esse minora igitur quædam, majoraque, debent;
Esse triquetra aliis, aliis quadrata, necesse est:
Multa rotunda, modis multis multangula quædam.
Namque, figurarum ratio ut motusque reposcunt,
Proinde foraminibus debent differre figuræ,
Et variare viæ, proinde ac textura coërcet.

sis lectionibus deturpari, sed nullas periclitor conjecturas, editionibus antiquis destitutus, et solam possidens Heinsianam, nullius pretii, et carentem notis: *Δημοκριτος δε, σχημα περιτιθεις ἑκαστῳ, γλυκυν μεν (χυμον) τον στρογγυλον και ευμεγεθη* (*mediocri magnitudine*) *ποιει, στρυφνον δε, τον μεγαλοσχημον· τραχυν δε, τον πολυγωνιον και απεριφερη· οξυν δε, κατα τοὔνομα τον οξυν τῳ ογκῳ, και γωνοειδη, και καμπυλον, και λεπτον, και απεριφερη· δριμυν δε, τον περιφερη, και λεπτον, και γωνοειδη, και καμπυλον· ἁλμυρον δε, τον γωνοειδη* —*κτλ.* nam ohe! jam satis est.

Ver. 659. *ratïo ut:* P. *ut ratio;* quem sequi solent editores. Nos membranis et reliquis exemplaribus obsequimur.

Ibid. *reposcunt:* pro simplice vocabulo *poscunt;* cujus usûs exempla multa suppeditantur lexicographis: videas dicta nobis superius, ad ii. 369.

Ver. 661. *viæ:* P. O. Ω. *vias;* perperam.—*ac textura:* V. ed. *attextura;* B. *a textura.*

Ibid. *proinde ac textura coërcet:* i. e. "secundum limites coërcentes;" quibus textura utique circum claudit, vel continet, ac complectitur, viam unamquamque. Vocem *coërcet* interpres non attigit, nec vim videtur percepisse: vide tantum supra, ad ver. 651. Haud alia est potestas ejus in Virgilio, Æn. ix. 27.

Messapus primas acies, postrema *coërcent*
Tyrrhidæ juvenes:

i. e. finiunt, claudunt, *continent;* quæ Servii est verior interpretatio ad locum.

Ver. 662. *Hoc:* redi ad verr. 557. 626. nam editores eo audaciæ processere, atque id inscitiæ in sese admiserunt, ut in contextu posuerint *Ergo*, pro scripturâ omnium omni genere proborum exemplarium, quam nos poëtæ indignabundo lubentissimi restituimus. Hinc autem, quamvis aliter Servius statuerit, et nihil suspicati sint de hac re viri docti, in hoc officio versati, nullus dubito, quin exquisitior ratio constructionis ineunda sit ad Virgilii geo. ii. 311. quum non sit via certior consummatissimi poëtæ aggrediendi, quam si per orationis Lucretianæ structuram cum judicio develiaris. Sic itaque locus, meâ saltem ex sententiâ, distingui debet:

Hoc, ubi non a stirpe valent, cæsæque reverti
Possunt, atque imâ similes revirescere terrâ,
Infelix superat foliis oleaster amaris:

i. e. "Hac de caussâ, ubi radicitus perire, sine reviviscendi spe, solus oleaster superabit." Ita Pindarus, Nem. vi. 47.

'ῼΤ', απο τοξυ ιεις,
Ευθυν' επι τουτον, αγε—.

Hesychius: *'ῼ· αντι του, δι' ὁ.* Vide sis tu Eur. Phœn. 158.

Ver. 663. *Illi, quoi,* vel *cui:* sic omnes libri MSS. et impressi formis, venustissimam gratissimamque per varietatem: e-

Hoc, ubi quod suave est aliis, aliis fit amarum,
Illi, quoi suave est, lævissima corpore debent
Contractabiliter caulas intrare palati:
At contra, quibus est eadem res intus acerba,
Aspera nimirum penetrant, hamataque, fauces.
  Nunc facile est ex hiis rebus cognoscere quæque.
Quippe, ubi quoi febris, bili superante coorta est,
Aut aliâ ratione aliquâ est vis excita morbi;
Perturbatur ibei jam totum corpus, et omnes
Conmutantur ibei positurae principiorum:

ditorum nihilo minus profligatissima temeritas, critices sobriæ sincereque leges sibi natas negans, arbitrariam infersit scriptionem, sic versum exhibens:

Illis, queis suave est, lævissima *corpora* debent—.

P. profecto dat *qui;* quod erratum dicam pro *quoi:* O. Ω. *Illi cū;* Vind. et Π. *corpora;* sed tu nolis auscultare: nam multo est elegantior codicum reliquorum, et plurium et castiorum, lectio. Pudet formulam usitatissimam exemplis roborare; non invidebimus tamen lectoribus lepidissimos Maronis versus, ad Æn. xi. 641.

——————— Catillus Iolan,
Ingentemque animis, *ingentem corpore*, et armis,
Dejicit *Herminium*——.

Ibid. *lævissima:* i. e. "lævigata foraminum rotunditate, per quæ transeunt:" adeo ut aspera suo ingenio semina, propter læves meatus, non conservent asperitatem; nam, quum cibus idem sit, necesse est differitas in palati solius texturâ reperiatur: in caulis ejus, qui gustat; non autem in seminibus gustatæ rei.

Ver. 664. *Contractabiliter:* Π. *Contabiliter;* boni editores, *Contrectabiliter;* archaïsmum inconsultissimo exemplo sine libris exterentes. Quædam exemplaria Lactantii, ii. 9. priscam orthographiam exhibent:—"solido et *contractabili* corpore—." Saltem Caro color vetustatis non erat abolendus.—*caulas:* L. M. *caudas;* sed correctum erat in M.—*intrare:* V. ed. *nitrare.*

Ibid. *Contractabiliter:* i. e. "mollem per tractationem;" *ψηλαφώμενα* quasi, atque *ὑποψαλάσσοντα.* Vox autem *contrecto* hinc sæpiuscule valet *nequiter tractare*, et manu parcente leniter solicitare: adeoque prætextatis verbis, de quibus silere præstiterit, annumeranda est.

Ver. 665. *res intus:* V. ed. *re natus:* Δ. *renutus;* Π. autem *re tintus.*

Ver. 666. *Aspera nimirum:* Vind. V. ed. L. M. Π. Σ. *Asper animorum;* Δ. *Aspera minorum.* Nempe, pravâ vocum juncturâ semel per incuriam librarii exortâ, *Asper animirum* scilicet; statim migraret illud *animirum* in legitimam saltem dictionem,—*penetrant:* Δ. *penetratur;* Π. *penetranat;* Σ. *penetras.*—*hamataque:* Π. *hamatque.*

Ver. 667. *facile est ex hiis:* ita voces ordinantur in P. Vind. V. ed. B. L. Σ. Ω. vulgo, *facile ex his est;* ne uno quidem libro suffragante: *est* non comparet in Π. et *τὸ facilis* in M. nihil est, nisi contractio *τοῦ facile est*, nempe *facilest*, depravata.

Ver. 668. *ubi:* B. *cui.*—*bili:* Π. *bile.* Forte an Lucretius vocem ipsi frequentatam hic etiam posuerit:

——— quoi febris, *bile exsuperante*, coorta est.

Ver. 669. *aliquâ est:* P. V. ed. *aliquâ;* nec displicet: Π. *aliquatius;* confusis

Fit, prius ad sensum quæ corpora conveniebant,
Nunc non conveniant, et cætera sint magis apta,
Quæ penetrata queunt sensum progignere acerbum.
Utraque enim sunt in mellis conmixta sapore;
Id, quod jam superâ tibi sæpe obstendimus ante.
Nunc age, quo pacto nareis adjectus odoris

nimirum dictionibus, et *s* literâ de *aliquastvis* extritâ; Σ. *aliquâ si.*

Ver. 670. *Perturbatur:* Π. *Perturbat.*—*ibei:* B. *ubi.*—*jam totum:* editores, omnium mortalium levissimi et insulsissimi, Lucretio saltem tenus, *totum jam;* contra universa exemplaria.

Ver. 671. *Conmutantur:* V. ed. B. *Commutentur;* his ergo libris sponsoribus, rescribendum foret ad hunc modum, non inepte:

> Perturbatur ibei jam totum corpus, *ut* omnes
> *Conmutentur* ibei positurae principiorum:

sed levibus de caussis novare infructuosum esset, atque, obstante majore codicum numero, etiam temerarium.

Ver. 672. *quæ:* P. Vind. O. Ω. *ut quæ;* minus eleganter: videas me ad i. 30. hanc autem viam deteriorem patienter editores iniverunt: B. *quo.*

Ver. 673. *non:* B. *vero.*—*sint:* Vind. *sit.*

Ver. 674. *queunt:* Π. *nequeunt.*—*progignere:* P. *propingere;* quam vocem de vitio suspectam non habebat Pius, et frustrabilem dedit operam explicare: V. ed. *propignere.*

Ibid. *penetrata:* i. e. *se penetrantia,* ut mox etiam ad ver. 1239. *penetratum,* cum *se penetraverit;* in reflexo verbi sensu: quod diligenter notandum. Similiter Gellius, v. 14.—"specum quamdam nactus remotam latebrosamque, in eam *me* "*penetro,* et recondo:" qui Plautum sequitur, in Amphit. i. 1. 94. et alibi:

> Perduelles *penetrant se* in fugam——.

Adi nostram disputationem de hac re in ver. 318. Passivæ potestatis exemplum Silius dedit, Pun. xiii. 180. et alii. Jam vero, ob hanc virtutem mediæ vocis ignoratam in Latinis, mirum est, qualibus in tenebris, exempli gratiâ, versentur et editores et interpretes, ad Horatii od. i. 16. 14.

> Fertur Prometheus addere rincipi
> Limo, *coactus* particulam undique
> Desectam, et insani leonis
> Vim stomacho adposuisse nostro.

Ordo est: "Prometheus, *coactus* (i. e. "συλλεγόμενος, post quam *sibi coëgisset,* "vel in suos usus collegisset) particulam "desectam undique, addere dicitur vim "insani leonis limo principi, et nostro "stomacho apposuisse."

Ver. 675. *Utraque:* B. *Veraque.*—*sunt* abest Ω.

Ibid. *Utraque:* adeo ut lævia mellis elementa, ob commutatas posituras principiorum, ad sensum jam non penetrent, asperis interea penetrantibus.

Ver. 676. *jam:* V. ed. *non.*—*supera tibi:* V. ed. Δ. *superat ibi;* O. *superest tibi;* Π. *superat ubi;* Ω. *supra tibi.*

Ibid. *superâ:* i. e. viâ. Super hac formâ dictionis, de quâ sane mihi liquido nondum constat, malim te ad Fabri lexicon remittere, quam de lanâ caprinâ disputationem ventilare: fuerit etiam fructuosum lectiones varias expendere ad locos Lucretii, quos index demonstrabit.

Ibid. *sæpe ante:* nempe, plus semel noster docuit, semina diversa in iisdem corporibus inveniri, adeoque consequenter in *melle* quoque: non innuens profecto, se speciatim de *melle* disputasse inter hoc argumentum disquirendum; quod nusquam factum memini. Confer i. 815.

Tangat, agam. Primum, res multas esse necesse est,
Unde fluens volvat varius se fluctus odorum;
Et fluere, et mitti volgo, spargique, putandum est.
Verum aliis alius magis est animantibus aptus,
Dissimileis propter formas; ideoque per auras
Mellis apes, quam vis longe, ducuntur odore;

894. ii. 585. iv. 648. Porro, ad hunc versum interpretes prudentissimi conticescunt; puto, ne lectoribus tædium pariant ac fastidium, si res manifestissimas eant explicatum scilicet! Vellem, se ad mensuram nostram breviorum homunculorum benigne demisissent. Davi sumus, non Œdipi.

Ver. 677. *odoris:* P. V. ed. B. *odore;* quod ferri poterat; sed longe melius est, atque explicatius, vulgatum: vide i. 690. Ω. *odores;* mendose prorsus. Cæterum, Ω. *nares* quoque.

Porro, quæ Epicuri sunt huc pertinentia, Diogenes Laërtius conservavit, ad x. 53. nec Creechio præteritus: Και μην και την οσμην νομιστεον, ὡς περ και την ακοην, ȣκ αν ποτε παθος ȣθεν εργασασθαι, ει μη ογκοι τινες ησαν απο τȣ πραγματος αποφερομενοι, συμμετροι προς το τȣτο το αισθητηριον κινειν.

Ver. 678. *Tangat:* i. e. *feriat, lacessat;* ut mox, ver. 691. et perlegas modo notata, ad ver. 218. Erycius, epig. 7.

Ὁ τραγος ὁ Κλησωνος ὁλαν δια παννυχον ορφναν
Αιγας ακοιματυς θηκε φριμασσομενος·
ΟΔΜΑ γαρ μιν ΕΤΥΨΕ λυκȣ χιμαροσφακτηρος.

Ignotus de lavacro, Anthol. Lat. iii. 50. 9.

Tangit odore levi, et grato spiramine, *nares.*

Arnobius etiam accedat, Lucretii, ut semper, memor, lib. vii. p. 234.—"*odor* autem *corpus* est, *tactis* sicut *naribus* indicatur." Quæ purum putum Epicurum sapiunt. Virgilius, quâ solet, elegantiâ, rem exornavit, ad Æn. vii. 480.

Heic subitam canibus rabiem Cocytia virgo
Objicit, et noto *naris contingit odore.*

Ver. 679. *volvat:* M. in margine, *solvat,* i. e. explicet; pervenuste: et, quum locus multitudine consimilium dictionum videatur redundare, libenter accepissem, si vel unus liber favisset, nec Virgilius obstaret aliquantulum, ad Æn. xii. 591.

Volvitur acer *odor* tectis——:

uti nos alibi certissime emendavimus in hisce commentariis.—*odorum:* Π. *odorem.*

Ibid. *fluens:* i. e. *abundans;* ut ver. 146.

Ibid. *fluctus odorum.* Consanguineam locutionem apud Senecam lucubrationes deprehenderunt meæ, ad Œdip. 313. sed locus integer coram sistendus est, ut ei medicina critica faciatur:

Utrumne clarus ignis, et *rigidus* stetit,
Rectusque purum verticem cœlo tulit,
Et summam in auras fusus *explicuit* comam;
An latera circa serpit, incertus viæ,
Et *fluctuante* turbidus *fumo* labat?

Pro *rigidus,* vulgati libri typis excusi dant *nitidus,* codex unus *viridis:* sed voces *clarus* et *rigidus* priore versu repræsentantur luculentius *τοις rectus* ac *purum* statim venientibus.

Ver. 680. *Et:* editores de suo *Nam,* contra libros universos; structurâ sermonis non poscente, et modestiâ graviter interminante. Hoc dicit Lucretius: "Necesse est, inveniantur multæ res, unde odores fluant; et facile est existimare, vulgo quoque eos ab rebus mitti: non *multis* utique, sed omnibus."—*spargi:* V. ed. ac B. *spergi.*

Ibid. *mitti spargique.* Simili de colore locutionis Maro, geo. ii. 132.

Et, si non alium late *jactaret odorem,*
Laurus erat.

Volturiique cadaveribus: tum, fissa ferarum
Ungula quo tulerit gressum, permissa canum vis
Ducit; et humanum longe præsentit odorem,
Romulidarum arcis servator, candidus anser.
Sic aliis alius nidor datus ad sua quemque
Pabula ducit, et a tetro resilire veneno
Cogit; eoque modo servantur secla ferarum.

Ver. 681. *magis est:* V. ed. Σ. *et magis est;* M. *est magis et;* Π. *ex magis est.*

Ver. 684. *Volturii:* V. ed. L. Π. Σ. Ω. *Volturi;* O. *Volturius.—tum:* Π. *tamen;* i. e. *tm.—fissa:* Δ. *fisca;* Π. *fixa.* Alibi notavimus *s* duplicis cum literâ *x* mutationem; unde manifestior fit, et probabilior, migratio veræ lectionis, ut putem, *subnixa* in vulgarem *submissa*, ad i. 93.—De hac autem formâ vocis, *Vulturii* dico, consulas Oudendorpium, et quos laudat, ad Apul. met. iv. p. 245.

Ver. 685. *Ungula:* Σ. *Umgula.—permissa:* sic M. Reliqui, præter Π. qui *provisa*, dant *promissa.* Jam vero, utra sit genuina lectio, patebit liquidissime, si veras rationes dictionum teneas, paucissimis eruditorum, quantum intelligere valeam, vel leviter, ne dum accurate, cognitas. Qui *permittitur*, "de uno loco usque ad alterum permeat;" qui rursus *promittitur*, "quodam tenus solummodo mittitur:" majus ergo est *permitti*, quam *promitti.* Vides autem, canum vim in Lucretio usque ad feras *pervenire*, omni intervallo peragrato: non *sequitur* solum, sed *consequitur.* Vera igitur lectio est *permissa;* nec *promissa* quidem mentem poëtæ adimpleverit: redeas autem ad notata nuper, in ver. 542. Crasse Nonius, ii. 710. uti solet grammaticorum vulgus: "*Permittere*, promittere, incitare—." Sisenna, hist. lib. iii. "Et inde equum concitatum ad hostium *permittit* aciem." Falso mehercle: imo potius, "Ita equum concitat, ut hostium aciem pertingat, et equitem hostibus immisceat." Idem, ad iv. 348. "*Promittere* significat *ad magnitudinem nutrire.*" Et exemplum ponit in phrasi usitatissimâ, *comas promittere.* Nihil vidi minus defæcatum, aut scito atque erudito homine indignius. *Promittere barbam*, et similia, potest *sinere porro crescere*, ad certam scilicet distantiam demittere. Quid manifestius, et facilius dijudicatu? Vel quivis puerulus agnoscit. Bene glossator vetus: "*Promitto*, προβαλλω, προτειμαω.—*Permittere*, διατειμαω." Diana jam virguncula, apud Callimachum, hymn. Dian. 26. (quem locum viri docti, non intelligentes, partim male interpretati sunt, partim infelicissimis conjecturis vexavere; vide sis enim me ad ii. 198.)

> Ὡς ἡ παις ειπουσα γενειαδος ηθελε πατρος
> Αψασθαι· πολλας δε ματην ετανυσσατο χειρας
> Μεχρις, ινα ψαυσειε·

ad patris mentum *promittebat* manum, *permittere* non quibat. In multâ caligine super his vocabulis versabatur Heinsius ad Silium, Pun. iii. 534. ubi eadem librorum est confusio:

> ——————— atque una pruinæ
> Canentis, quacumque datur *permittere* visus,
> Ingeritur facies.

Liber unus, *promittere;* neque absurde in hoc loco: sed vulgata lectio efficacior est. Idem Heinsius ibidem male corrigebat Columellam, vii. 8. 6. et Hirtium, de bell. Gall. viii. 9. 4. ubi receptam vocem multo potentiorem esse pulchre intellexit Oudendorpius; qui cum Grotio probe administravit rem ad Lucan. vi. 651. quos non pigebit consuluisse. In P. Melâ, i. 3. fin. et 19. sub fin. sincerissime legitur *permissa* et *permittitur;* quæ vox debet

Hicc' odor ipse igitur, nareis quiquomque lacessit,
Est alio ut possit permitti longius alter:
Sed tamen haud quisquam tam longe fertur eorum,
Quam sonitus, quam vox; mitto jam dicere, quam res,
Quæ feriunt oculorum acies, visumque lacessunt:
Errabundus enim tarde venit, ac perit ante
Paullatim, facileis distractus in aëris auras.

τὸ *promittitur* loco deturbare ibid. ii. 5. init. Eleganter Alcimus Avitus, iv. 237.

> Finis erit rerum, *permissis* undique lymphis;
> Atque relaxatâ vastabitur orbis abysso.

Quibus versibus illustratur Lucretius, i. 1100. ad nostram mentem constitutus. Ampla superest in his dictionibus criticæ falci seges: in quam tamen demetendam nobis non vacat. *Permissa* igitur *canum vis* est *se permittens*, ad mediæ vocis potestatem.—Denique, pro *canum vis* scribitur in Π. *caminus:* qui ductu singulari discrepat a *canū vis.*

Ver. 687. *candidus anser:* ut Virgilius, tractans idem argumentum, ad Æn. viii. 655.

> ——— volitans *argenteus anser.*

Ver. 688. *datus:* V. ed. B. *natus.*

Ibid. *nidor datus.* Æque commodum est per se, et colori sermonis poëtici magis consentaneum, accipere *nidorem* in hoc loco, pro rei odoriferæ profluentiâ, atque pro narium odorantium facultate; vide ver. 681. effectu scilicet, uti multoties, pro caussâ adhibito, ac vocem gubernante. Appositus est huic notioni illustrandæ Mantuanus, Æn. xii. 301. usus Lucretianâ phrasi:

> ——— olli ingens barba reluxit,
> *Nidorem*que ambusta *dedit.*

Ver. 689. *resilire:* V. ed. *silire.* Mox Π. *servaturus,* pro *servantur.*

Ver. 691. *odor:* Π. *calor.*—*nareis:* Ω. *variis.*

Ibid. *lacessit:* i. e. ferit, impellit; quemadmodum Statius, Theb. iv. 241.

> Curribus innumeris late putria arva *lacessunt.*

Ver. 692. *permitti.* Diximus ad ver. 685. nuperrime. Non pœnitebit tamen admonuisse in transitu, nihil esse clarius, quam Q. Curtium, ad iv. 9. 10. codice Florentino sincerissime scriptum exhiberi, hoc modo: "Ne stirpes quidem et brevia "virgulta operiunt solum; liberque pro-"spectus oculorum etiam *ad ea,* quæ pro-"cul recessere, *permittitur.*" Quæ sunt impendio elegantia. *Permittitur* autem, "se projicit, ita ut remotissima pertingat "complectaturque." Voces *ad ea* vulgo omittuntur: sed codici dicto suffragatur alius codex MS. membranaceus in quarto, bibl. Colbertinæ, num. 4099. cujus collationes Bentleianæ penes me sunt. Interea, nec vetus enarrator, neque editores, venustatem vocabuli, quod illustramus, in Statio degustarunt, nostris lectoribus interpretis haud egente, Achill. i. 72.

> ——— si quis adhuc undis honor, obrue puppes;
> Aut *permitte* fretum.

Malim tamen, "*Et* permitte—:" i. e. "Obrue puppes freto emisso, atque illas "corripiente:" ut simile sit isti Virgiliano, Æn. ii. 353.

> ——— Moriamur, et in media arma ruamus.

Aliter: "Obrue tridenti, vel permisso "mari."

Ver. 693. *quisquam:* P. B. *quicquam;* V. ed. *quiquam.*—*tam* deest Ω. Mox, pro *feriunt,* V. ed. O. Ω. *ferunt;* Π. *fuerunt.*

Ver. 697. Interpretes et editores male, et perquam invenuste, ceperunt τὸ *facilis* librorum pro casu recto numeri singularis; quum tantum non certissimum est, poëtam de quarto casu cogitasse. Jam

Ex alto primum quia vix emittitur ex re:
Nam penitus fluere atque recedere rebus odores
Significat, quod fracta magis redolere videntur
Omnia, quod contrita, quod igni conlabefacta.
Deinde, videre licet majoribus esse creatum
Principiis, quam vox; quoniam per saxea sæpta
Non penetrat, quâ vox volgo sonitusque feruntur.
Quâ re etiam quod olet, non tam facile esse videbis
Investigare, in quâ sit regione locatum:

vero, quid loco congruentius desiderari potest, quam *faciles auras*, vel ob tenuitatem facile cedentes odoribus; inde nimirum undique dispersis, ac disperditis? Poëtæ scopus hunc sensum flagitat, neque patienter tolerabit alium. Martialis, spectac. xxvi. 2.

Et vario *faciles* ordine pinxit *aquas:*

i. e. molles, leviter impressæ vi cedentes: redeas autem velim ad i. 282. 375. ii. 375. Quanto demum mollior est *aër?* Non alienus videtur Ovidius, epist. xviii. 45.

Parce, precor; *facilem*que move moderatius *auram:*

i. e. levem, tenuem; ut, ob vocem *moderatius*, ibi pro perpetuo epitheto capiatur. Denique, ad vulgarem constructionem Lucretiani carminis, viderint docti, an vel ipsa Latinitatis ratio probe constet: nos in medio rem relinquimus.

Ver. 698. *re:* P. V. ed. B. *se.* Non probo.

Ver. 699. *atque recedere:* P. O. Δ: *ac præcedere;* V. ed. B. L. Σ. *atque præcedere;* Ω. *ac procedere.* Te recipias ad ii. 1127.—*recedere* autem omnino deest Π.

Ver. 700. *Significat quod:* Δ. *Significant qua.*—*videntur:* V. ed. *violentur;* distractis nempe partibus literæ *d*, quæ conficitur ex *o* et *l* conjunctis elementis. Cæterum, de *fractis* et *contritis*, quemadmodum *magis redoleant*, nos egimus uberius in Silv. Crit. sectt. lvii. et ccvii. init. Illa autem, ac Lucretiana coram posita, sibi vicissim mutuam operam navabunt. Josephum Iscanum nostratem, de bell. Troj. iii. 19. hac occasione emendabo:

——— Veneri quod dulce, propinat
Ductor, Aristæos latices, Meliboea fluenta,
Icarios haustus, *fractos* Phoenicis odores.

Libri dant, *fracti.* Et per *Melibœa fluenta* intelligam sane *pastorales latices*, sive lac. Ovidius non aliunde admittere probam interpretationem videtur, de cujus lectione multum Heinsius ambigebat, met. xv. 399.

——————— casias, et nardi lenis aristas,
*Quassa*que cum fulvâ substravit *cinnama* myrrhâ.

Ver. 701. *conlabefacta:* P. *non labefacta;* qui ex pluribus priscis exemplaribus corrigendum jubet *concalefacta.* Recepta lectio multo venustior est, et exquisitior: confer i. 493. gemellum locum. Virgilius hinc fortasse nonnihil mutuatus est, ad Æn. viii. 390.

————————————— Ille repente
Adcepit solitam *flammam;* notusque medullas
Intravit *calor*, et *labefacta* per *ossa* cucurrit.

Ubi nonnulli codices similiter habent *calefacta;* quod nullo modo ferendum. Hunc locum Lambinus etiam admoverat.

Ibid. *quod contrita.* Hinc ratio præscripti cernitur ad ejusdem poëtæ geo. iv. 63.

————— Huc tu jussos adsperge sapores,
Trita melisphylla—:

Refrigescit enim contando plaga per auras;
Nec calida ad sensum decurrunt, nuntia rerum.
Errant sæpe canes itaque, et vestigia quærunt.
Nec tamen hoc solis in odoribus, atque saporum
In genere, est: sed item species rerum, atque colores,
Non ita conveniunt ad sensus omnibus omnes,
Ut non sint aliis quædam magis acria visis.
Quur etiam gallum, noctem explodentibus alis,
Auroram clarâ consuetum voce vocare,

ut odores scilicet hinc ad apes longius permittantur, et eas ad stationem vocent.

Ver. 702. *esse* deest V. ed.—*creatum:* P. Vind. V. ed. O. L. M. Π. Σ. Ω. *creatam;* ut referatur forte ad *vim*, vel *facultatem*, odorandi: nam nihil præcessit præter *odor* in genere masculino; et alio fuisse subinde genere, non quivi reperire, passim frustra disquirens.

Ver. 703. *quam vox:* B. *quam nox;* editiones communes, *voci;* ex audacissimâ Lambini interpolatione, patienter editoribus receptâ, et certatim collaudatâ, per inscitiam atque supinitatem plane incredibilem.—*quoniam:* P. V. ed. *quanquam;* non omnino male, quum major vis videri possit majoribus particulis contingere: sed melius receptæ voci, tot libris commendatæ, adhærebimus: Π. *cum*, i. e. *qũm*.

Ver. 704. *quâ:* P. V. ed. B. *quo;* æque bene. Similis est varietas ad Ovid. met. viii. 334. et alibi profecto.

Ibid. *vox sonitusque feruntur.* Similiter Mantuanus, Æn. iii. 40.

———— et *vox* reddita *fertur* ad auris.

Ubi *reddita* pro *data*, observante Servio: sicuti multoties Lucretius. Mox Π. *locatam*.

Ver. 707. *contando:* sic Π. et Ω. *conctando;* reliqui, *cunctando:* redeas ad iii. 67. 193.

Ver. 708. *calida:* Π. *calidi.*—*sensum:* P. V. ed. B. *sensus.*—*decurrunt:* M. *decurr* truncate.

Ibid. *calida decurrunt:* per eandem scilicet variationem, quâ Græci delectantur, et animus lectoris jucunde reficitur atque excitatur; nostro superius adhibitam, in i. 87. Hinc pro inscitissimis non dubitem habere, qui MSS. lectionem sollicitent ad Horatium, od. i. 34. 13.

———— Valet *ima* summis
Mutare; et *insignem* adtenuat deus,
Obscura promens—.

Odiosissimum vero est jactabundi Cunninghami tentamen, *insignia;* quod dolet Janum suffragio suo donavisse.

Ver. 710. *saporum:* Vind. *soporum;* B. *saporis:* et inferius, ver. 713. idem B. *sit.*

Ver. 714. *Quur:* omnes libri *Quin*, excepto M. qui habet *Qur;* unde nos magnam vim et elegantiam loco comparavimus: vide ad ver. 812. "Quidnam est "caussæ, ob quam vel rapidi leones non "valent *etiam gallum* contra stare? Ni"mirum quia—." Sentis, opinor, lectionis nostræ venustatem majorem et acumen. —*noctem:* P. *nocte;* V. ed. *nodem;* literis c et t coalitis.—*explodentibus:* V. ed. Π. *explandentibus;* M. *explendentibus;* Ω. *expandentibus;* reliqui, *explaudentibus*, ad orthographiam recentiorum: sed vera scriptura in margine posita erat membranarum Δ. Diomedes, de orat. lib. i. p. 378. "*Plaudo* frequens est apud veteres *plodo.* "Cicero de gloriâ—:" cujus fragmentum depravatum est. Glossator vetus: "*Plo*"*do*, κροτῶ. *Complodo*, συγκροτῶ. *Ex-*

Nenu queunt rapidei contra constare leones,
Inque tueri? ita continuo meminere fugaï.
Nimirum, quia sunt gallorum in corpore quædam
Semina, quæ, quom sunt oculos inmissa leonum,
Pupillas interfodiunt, acremque dolorem
Præbent, ut nequeant contra durare feroces;
Quom tamen hæc nostras acies nihil lædere possint:
Aut quia non penetrant, aut quod penetrantibus illis

" *plodo*, συρρήσσω. *Displodo*, διακροτέω. *Ad-* " *plodo*, προσκρούω."

Ibid. *noctem explodentibus.* Virgilius, geo. iv. 514. de *philomelâ:*

——————————— at illa
Flet noctem.

BENTLEIUS.

Falleris omnino, et aliud procul dubio agebas, vir sagacissime! Longe ποιητικώτερον aliud et audacius volebat noster; quasi nimirum galli alarum plausu *noctem exturbarent sede*, et exterrerent. Quin imo Miltonus nostras nonnihil videtur ex hac Lucretii locutione sublegisse: quid enim Lucretianis magis speres consimilia, quam ea, longe pulcherrima, quæ in *l'Allegro* suo vates sublimis imaginatus est? rem ipsissimam ab alarum plausu tantummodo ad vocis strepitum transferentia:

While the *cock* with lively *din*
Scatters the rear of *darkness* thin.

Juvencus, evang. hist. iv. 585.

Hanc vocem, *plausum quatiens* sub culmine tecti,
Ales prosequitur cantu; mentemque Simonis
Circumstant tristem *veri* præsagia Christi.

Sic legendum puto: libri, *verbis.* Presbyter autem cum aliis insulsissimam et impendio puerilem interpretationem loci secutus est, de quâ nos in Silv. Crit. v. pp. 45. 46. ex professo disputavimus. Cæterum, eandem fabulam de gallis et leonibus garrit Plinius, nat. hist. viii. 19. et alii, quos ibi memorat Harduinus.

Ver. 715. *voce vocare:* ut Virgilius, Æn. iv. 680. *voce vocavi;* et alibi. Porro, B. *clare.*

Ver. 716. *Nenu queunt:* P. *Quem nequeunt;* B. M. *Nœnu queunt;* Ω. *Nocnu querunt;* et supra, *Non nequeunt;* Vind. *queunt;* vacuo spatio ante vocem relicto; V. ed. B. Σ. *Nec nequeunt;* O. *Hoc nequeunt;* Δ. *Hos nequeunt;* Π. *Non queunt*, ex glossâ. Vides, opinor, quam certa sit depravationis rara vox et exquisita. Nonius Marcellus, ii. 580. " *Nenum*, pro " *non:*" deinde adscribit exempla τὸ *Nenu* ex Lucilio et Varrone. Scaliger vocem obtrudere vult Terentio, in notis ad Varr. de re rust. ii. 4. 13. sed frustra.

Ibid. *rapidei.* Mallem, *rabidei;* ut pulchrior sit oppositio: vide me ad v. 890. Plinius, ubi supra, de *leone:* " Atque hoc " tale, tam *sævum*, animal—*gallinaceorum* " cristæ *cantus*que—terrent." Hoc autem tempore non omnino necesse est, ut librorum omnium consensum despectui habeamus. Sint igitur *rapidi leones* pro *rapacissimi;* omnia involantes ac celerrime devorantes. Adi quæ notavimus haud ita pridem ad Eurip. Herc. fur. 382. Alcest. 505. Virgilius, Æn. i. 117. voces convenientissimas sociavit:

——————— *rapidus vorat* æquore vortex.

Juvencus, evang. hist. ii. 788.

Hicc' agro est similis, duro qui germina calle
Exponit *rapidis avibus* sine fruge rapinam.

Arnobius, lib. vi. p. 191. " Incursionem " pati periclitantur hostilem, ferarum aut " *rabidos* appetitus—?" Forte, *rapidos.* Euripidis autem loci Pindarum explanabunt, in Nem. i. 63. de *draconibus* infantulum Herculem invadentibus:

Exitus ex oculis liber datur, in remorando
Lædere ne possint ex ullâ lumina parte.
Nunc age, quæ moveant animum res, adcipe; et unde,
Quæ veniunt, veniant in mentem, percipe paucis.
Principio hoc dico, rerum simulacra vagari
Multa, modis multis, in cunctas undique parteis,
Tenuia; quæ facile inter se junguntur in auris,
Obvia quom veniunt; ut aranea, bracteaque auri.

Ες θαλαμων μυχον ωριν ελθειν τεκ-
-νοισιν ΩΚΕΙΑΣ ΓΝΑΘΟΥΣ
Αμφιλιξασθαι μεμαωτας—.

Hinc interpreteris Pindaricam phrasin, cæcutientibus scholiastâ et editoribus, *λαιψηροι πολεμοι*, Ol. xii. 5. quos Homerus nuncupat *πολεμους φθισηνορας* utique, Il. B. 833. *pugnæ celeriter humanum genus consumentes:* quod apprime verum esse nostra ætas, si alia demum quævis, experientiâ lugubri compertum habet.

'Ως ΕΡΙΣ *εκ τε θεων, εκ τ' ανθρωπων, απολοιτο!*

At enim suspicionem meam de *rabidi* videtur adjuvare *τῳ feroces,* ver. 721. et Horatius se nobis ingerit, art. poët. 393.

Dictus ob hoc lenire tigres, *rabidos*que *leones.*

Sed rem in medio relinquere statutum est.

Ibid. *constare:* i. e. constantiam suam, atque animi firmitatem, retinere.

Ver. 717. *Inque tueri:* nempe ruborem cristarum; vide Plinii locum superius. Mox Π. *corpora.*

Ibid. *meminere fugaï.* Virgilius, ad ecl. viii. 88. similiter de *buculâ:*

——— nec seræ *meminit* decedere nocti.

Eundem conferas ad geo. i. 400. iii. 216. Prior, ille fons leporum, ad Il. M. 203. de *serpente:*

——— *και* ΟΥ *τι* ΛΗΘΕΤΟ *χαρμης*;

Ver. 720. *acrem dolorem.* Sicut idem Maro, Æn. vii. 291.

——— stetit *acri* fixa *dolore.*

Ver. 722. *nihil:* sic Vind. V. ed. Σ.—*possint:* B. *possunt.*

Ver. 723. *quod:* Δ. *qua.*—*illis:* L. Ω. *ilus.*

Ver. 724. *in remorando;* nam ex secundâ hypothesi penetrant oculos: sed, cum penetraverint, non diu manent. Sic autem scriptum est in Vind. L. M. O. Δ. Π. Σ. Ω. reliqui libri, ut evulgari solet, *in remeando;* etiam bene.

Ibid. *Exitus liber datur.* Pariter Virgilius locutus est, ad Æn. vi. 895.

——— quâ veris *facilis datur exitus* umbris.

Ver. 725. *ne:* M. Δ. Π. *non;* quibus auctoribus permotus, versus ad hanc normam constitui debere suspicor:

Exitus ex oculis liber datur, *ut* remorando
Lædere *non* possint ex ullâ lumina parte.

Nempe, voculas *in* atque *ut* librarii subinde commutavere: vide Drakenborchium, ad Liv. iii. 5. 14. et multoties confusa sunt *ut* ac *vi;* quorum posterius easdem habet formæ lineas *τῳ in:* adi varias lectiones ad Calpurn. ecl. iii. 73. et Liv. iv. 51, 6.—*ullâ:* L. M. *villa;* ex nimiâ similium ductuum repetitione.

Ver. 726. *quæ moveant animum.* Cicero, epist. ad famil. xv. 16. "Fit enim "nescio quid, ut quasi coram adesse vide-"are, cum scribo aliquid ad te: neque id "*κατ' ειδωλων φαντασιας,* ut dicunt tui "amici novi; qui putant etiam *διανοητικας* "*φαντασιας* spectris Catianis excitari." Lambinus.

Ver. 727. *veniant:* Π. *veniantque.*—*percipe:* Δ. Π. *accipe;* quod ex præcedente versu venerit.

Ver. 730. *junguntur:* V. ed. *vigunt*ᵘʳ

Quippe et enim multo magis hæc sunt tenuia textu,
Quam quæ percipiunt oculos, visumque lacessunt;
Corporis hæc quoniam penetrant per rara, cientque
Tenuem animi naturam intus, sensumque lacessunt.
Centauros itaque, et Scyllarum membra, videmus,
Cerbereasque canum fauces; simulacraque eorum,
Quorum, morte obitâ, tellus amplectitur ossa:

quod nihil est nisi *iüguntur:* i. e. *junguntur;* et error ejus, qui procuravit editionem, neque codicis scripturam tenuit. Mox Δ. Ω. *bratea:* et aliorum scriptorum codices hanc orthographiam adgnoscunt; nec minus glossator vetus: " *Brattea,* πιταλον." Sic scribe. Exemplar enim meum πιταζον habet.

Ver. 731. *ut:* nempe, " ut aranea et " auri bractea, facile implicantur, et re- " bus obviis adhærescunt:" quod monendum habui, ne particulam similitudinis ad *tenuitatem* simulacrorum, non ad *perplexabilem naturam* referas. Nam, si simulacra, quæ moveant animum, subtiliora sunt illis, quæ lacessant oculos: quanto magis araneis, et auri bracteis?

Ver. 732. *magis* abest M.—*hæc:* B. *hac.*

Ver. 733. *oculos:* P. *oculi;* quod correctori cuipiam temerario et indocto reddendum est, Lucretianum usum verbi *percipiunt* non callenti: V. ed. B. *oculis.*

Ibid. *percipiunt:* i. e. percellunt, penetrant et impellunt: committas notata ad iii. 29. Leniorem et minus exquisitam formam phraseos Virgilius maluit, ad Æn. vii. 356. qui locus tamen vim Lucretianæ locutionis pulchre declarat:

——— prima lues, udo sublabsa veneno,
Pertentat sensus, atque ossibus inplicat ignem;
Nec dum animus toto *percepit* pectore flammam.

Ver. 734. *per rara:* Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. *per aëra:* nimirum το r ad finem prioris vocabuli eliserat similem literam sequentis, et relictum erat *per ara;* sicut plane scriptum est in L. unde, ne in grammaticas leges peccaretur, illud *aëra*, vocabulum utique scribarum Lucretianorum aures semper circumsonans, mox exortum est.

Ver. 735. *Tenuem:* Ω. *Tenui.*—*sensum:* B. *sensu.*

Ver. 736. *Scyllarum:* Π. *silvarum;* uti solent scribæ in propriis nominibus peccare.

Ibid. *Scyllarum membra.* Cicero, nat. deor. i. 38. " Quid, quod earum rerum " (imagines incurrunt in animum), quæ " numquam omnino fuerunt, neque esse " potuerunt, ut *Scyllæ*, ut Chimæræ?"

Ver. 737. *fauces:* ita B. verissime, et sic in aliis codicibus scriptum esse dicit Pius: neque aliter in editione Juntinâ, anni 1512. offendi positum; reliqua exemplaria dant *facies;* multo minus ad rem: quum ob *latratum trifaucem* Cerberus passim poëtis celebretur; et exempla diversa rariorum animalium Lucretius haud dubie præbere vellet: tam illorum, quæ *commixtis artubus* inclaruerant, quam quæ *congerie similium.* Ovidius, met. xiv. 65.

Et corpus quærens femorum, crurumque, pedumque,
Cerbereos rictus pro partibus invenit illis.

Sed quid verbis opus est? Quoties de *Cerbero* veteres mentionem faciunt, toties propemodum de *faucibus* quoque Cerberi *oribus*que *tribus.* Cæterum, editores Lucretiani tertium solem casum pluralem scribere *fauceis;* perperam, tam analogiâ, quam emendatioribus libris aliter edicentibus: in quâ re sum egomet incogitantiæ arguendus ad iii. 608.—*simulacraque:* Ω. *simulacra.*

Ibid. *Cerbereas canum fauces.* Hæc est

Omne genus, quoniam passim simulacra feruntur;
Partim sponte suâ quæ fiunt aëre in ipso,
Partim quæ variis ab rebus quomque recedunt;
Et quæ confaciunt ex horum facta figuris.
Nam certe ex vivo Centauri non fit imago;
Nulla fuit quoniam talis natura animaï:
Verum, ubi equi atque hominis casu convenit imago,

de locutionibus Lucretianis pro "fauci-"bus canum Cerbereorum," vel canum eo genere quo Cerberus: redeas ad i. 120. 475. ut alios locos prætermittam, in quibus hanc formulam satis ventilavimus. Elegans specimen habemus in Statio, Achill. i. 223. sed hoc perinde fuerit, ac puncta disponantur. Splendidissimi sunt versus, et digni, qui lectoribus meis obversentur:

Elicit inde fretis, et murice frenat acuto,
Delphinos bijuges; quos illi maxima Tethys
Gurgite Atlanteo pelagi, sub valle sonorâ,
Nutrierat.

Jam vero subdistinguas ad *Atlanteo*, et perit nobis specimen locutionis: viam tamen longe deteriorem, nobis saltem judicibus, iniveris. Miror interea quospiam hærere potuisse ad phrasin *valle sonorâ*, quæ Virgilii de thesauris adscitum est Papinio, geo. iv. 364.

Speluncisque lacus clausos, *lucosque sonantis*.

Ver. 738. *obitâ* deest Π.—Conferas autem cum coram positis, quæ venerint ad i. 135. 136.

Ver. 739. *Omne genus:* P. Vind. V. ed. B. O. Σ. Ω. *Omnigenum;* L. M. Δ. *Omnigenus*. Nempe, exquisitior formula has turbas excitavit, quamvis eadem prorsus, *quod genus* dico, jam sæpenumero occurrerit in præcedentibus: me videas ad i. 164. 1025. Suetonius, Tit. 7. "Quin-"que millia, *omne genus*, ferarum—." Et Domit. 4.—"dieque proximo, *omne* "*genus*, missilia sparsit." Catullus, cxi. 3. haud aliter:

Aucupia, *omne genus*, pisceis, prata, arva, ferasque.

A. Gellius, xix. 4. "Libri—lepidissimi, "et elegantiarum, *omne genus*, referti." Ausonius, Mosell. 310.

——— magico cui noctua perlita fuco
Allicit, *omne genus*, volucres——.

Solinus, cap. xv. "*Hoc genus*, canes cres-"cunt ad formam amplissimam—." Cato, de re rust. viii. "Sub urbe hortum, "*omne genus;* coronamenta, *omne ge-*"*nus*—." Varro, de re rust. i. 14. 3. "*Hoc genus*, sæpes fieri secundum vias "publicas solent—." Hinc recte constituam Apuleium, in apol. p. 10. edit. Pricæi, purioris ope distinctionis:—"ut ta-"ceam scripta Diogenis Cynici, et Ze-"nonis, Stoïcæ sectæ conditoris, *id genus*. "Pluria recitem denuo, etc." Mireris adeo hanc formulam Virgilio, Lucretiana omnia arripienti, nusquam positam; nisi fortasse versiculus, ad Æn. iv. 622. ita sit legendus:

Tum vos, o Tyrii! stirpem, *genus omne*, *futuram*
Exercete odiis:

quod putem sane. Ibi vulgari solet hoc pacto:

——— stirpem *et* genus omne *futurum:*

sed illud *et* uni libro deest. Hoc autem in medio relinquimus, admonito tamen lectore, ut recordetur, quam librarii elegantiorem quamlibet locutionem passim, summâ quasi cum industriâ, temeraverint.

Ver. 740. *fiunt:* Vind. V. ed. M. O. Δ. Σ. Ω. *fluunt*. Nimirum, illud mihi videor habere in clarissime cognitis, quid scripserit Lucretius; nec ausus tamen sum ex arbitrio in contextum importare. Si

Hærescit facile ex templo, quod diximus ante,
Propter subtilem naturam, et tenuia texta.
Cætera de genere hoc eâdem ratione creantur:
Quæ quom mobiliter summâ levitate feruntur,
Ut prius obstendi, facile uno conmovet ictu
Quæ libet una animum nobis subtilis imago:
Tenuis enim mens est, et mire mobilis, ipsa.
Hæc fieri, ut memoro, facile hinc cognoscere possis;

digamma scilicet interponas, veram præstiteris poëtæ manum:

Partim sponte suâ quæ *fluvunt* aëre in ipso.

Vides dictionem, quam librariorum stupor et importunitas et inscitia certissimis aberrationibus aliquo demum modo vitiare pergerent. Sic noster *fluvidus* pro *fluidus*, ii. 463. 465. Vide Vossium, de art. gramm. ii. 13. fin.

Ver. 742. *quæ:* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. *quo.—confiunt:* P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. *conficiunt;* vulgo, *consistunt;* audacissime, contra omnes libros. Verum enim vero, re diligentiùs cogitatâ, cæterorum exemplarium auctoritatem codicum L. M. voci *confiunt*, præponendam existimavimus; quum, ob compendia scriptionis, genuina lectio *conficiunt* facilius migraret in *confiunt*, quam vicissim. Ordo est, ac constructio: "Et quas imagines "simulacra, ex horum duorum figuris "facta, confingunt."

Ver. 744. *quoniam:* V. ed. B. *enim;* Δ. *cūm.—animaï:* sic P. V. ed. O. Δ. Π. Σ. vere: nam *talis animaï* valet *talis vitæ;* qualis nempe *vivus* Centaurus: Vind. *animal;* quidam codices Pii, *animantum;* L. M. *anima;* uti persæpe videmus *aï* in *a* simplicem abire. Vulgo, *animalis*. Hi duo versus, ob ὁμοιοτέλευτον, exciderant ab Ω.

Ver. 746. *Hærescit:* Vind. Δ. *Acrescit;* i. e. *Accrescit*, ut est in O. non male; sed vulgatum teneo: vide ver. 730. V. ed. *Hacrescit;* Σ. *Hoc crescit.* His autem varietatibus similitudo literarum *c* et *e* originem præbuit: redi ad ver. 297. hoc libro. Mox V. ed. *Cæteri.* De *obstendi* vide dicta ad ver. 954. et ii. 93. 607. et utinam hanc orthographiam passim restituissem his vocibus.

Ver. 751. In hanc rem Varro:

Levius *mens numquam* somnorinas *imagines*
Adfatur; non umbrantur somno pupulæ.

Ita corrigo; vulgo, *mensum cum*—. BENTLEIUS.

Locus exstat in Nonio, ii. 790.

Ver. 752. *mire:* V. ed. *mite:* ut modo *imagis.*

Ibid. Hanc *miram* mentis *mobilitatem* tangit Mæonides, Od. H. 36.

Τῶν νέες ΩΚΕΙΑΙ, ὡς εἰ πτερὸν, ἠὲ ΝΟΗΜΑ:

ubi fructuose consulas Clarkii notas. Et Horatius, epist. i. 12. 13.

— dum peregre est *animus* sine corpore *velox.*

Manilius etiam, ii. 106. accedat:

——— linguamque, capaxque
Ingenium, *volucremque animum.*

Cum his conferantur dicta ad ii. 1046.—Cæterum, Homeri versiculum transtulit non illepide Gratius, cyneg. 204.

Ocyor affectu mentis, pinnâque, cucurrit.

De *pinnâ,* videas quæ commentati nos sumus ad Eurip. Herc. fur. 509. Hesiodus, scut. Herc. 220. de Perseo:

——— ὁ δ' ὥς τε νόημ' ἐποτᾶτο·

i. e. *levissime ac celerrime:* ubi laudat opportune Clericus Hom. hymn. Apoll. 186.

Ver. 753. *hinc:* O. *hic;* abest Π.

Ver. 754. *Quâ tenus:* P. V. ed. Σ. Ω. *Quatinus.—est* non legitur in B.—*illi:* Σ.

3

Quâ tenus hoc simile est illi, quod mente videmus,
Atque oculis, simili fieri ratione necesse est.
Nunc igitur, docui quoniam me forte leonum
Cernere per simulacra, oculos quæquomque lacessunt;
Scire licet, mentem simili ratione moveri,
Per simulacra leonum, cætera, quæ videt æque,
Nec minus, atque oculei; nisi quod mage tenuia cernit.
Nec ratione aliâ, quom somnus membra profudit,

oculis; ad audacissimam Lambini contra libros interpolationem, quam obstupescenda sane supinitas editorum, constructionem loci vel non considerantium vel non intelligentium, haud erubuit per impressa exemplaria perpetim continuare. Ordo verborum sic se habet: "Quatenus hoc "simile est illi," (nempe imago in mente imagini, quæ lacessit oculos) "necesse "est *id*, quod mente videmus, atque *id* "*quod* oculis *videmus*, simili fieri ratione "*utrobique*:" vel, si mavis:—"necesse "est *id*, quod mente videmus, simili fieri "ratione, atque *id quod* oculis *videmus*." Eodem redit, utram libet viam ineas: et nihil optes clarius atque expeditius. Nimium dolet nobilissimum poëtam sic misere dilaniatum usque in hunc diem circumferri, ac neminem criticorum laboranti subvenisse.

Ver. 756. *quoniam:* V. ed. *cum:* i. e. *qm̄:* unde error, ut alibi sæpiuscule.—*leonum:* P. *leones*, et Vind. si collatori fides: quæ lectio male placuit editoribus contra tantam vim librorum. Ordo est:—"quoniam docui me per simulacra le- "onum forte, quæ lacessunt oculos, cer- "nere *leones*." Iidem editores, solitâ cum temeritate atque inscitiâ, transposuerunt voces *docui quoniam*, libris omnibus, omne genus, reclamantibus.

Ibid. *forte.* Adjecit adverbium *forte*, quia leones posuit potius quam aliud animal. Quasi ita dicat: "Finge me ali- "quo casu leones videre." Lambinus.

Ver. 758. *simili:* M. *simul.*

Ver. 759. *cætera:* P. *et cætera:* non opus. Sed enim loci scopum nemo vel per nebulam perspexit. Sic velim accipias: "Leo, quem mens concipit, idem est "prorsus leoni, quem oculi cernunt: ne "dubites igitur, utramque imaginem per "simulacra incidentia generari. Sequi- "tur ergo *per simulacra leonum*," (i. e. ex his leonum simulacris, pro exemplo adhibitis) "quæ tam oculos, quam men- "tem, feriunt consimili quodam modo, "cætera etiam omnia, quæ mens cernit, "æque atque oculi, non alio pacto cerni, "quam quo leones cernuntur." Si tollas hyperbaton, quo passim utuntur vel summe dilucidi scriptores, omnis difficultas simul amovebitur.

Ver. 760. *atque oculei:* transponunt L. M. mendose.—*mage* abest V. ed. B.

Ver. 761. *membra profudit:* i. e. explicuit et prostravit, porro extendit membra. Consimili modo loquendi Virgilius, Æn. xi. 665.

——— quot humi morientia corpora *fundis?*

Idem vates, geo. iv. 432.

Sternunt se somno, diversæ, in litore phocæ.

Ita castissime scribitur, non *diverso.* Venustatem vero locutionis, juxta cum Heynio atque aliis editoribus, lector! ignorabis, nisi in subsidium accersas mediæ vocis efficaciam, nobis multoties declaratam declarandamque. "Phocæ se somno ster- "nunt in litore, *aliæ alio*, *se vertentes* in "omnem partem." Hæc autem de verbo *profudit* non necesse habuissemus admonere, nisi in eo declarando quidam lexicographi tam misere erravissent, nec edito-

Mens animi vigilat, nisi quâ simulacra lacessunt
Hæc eadem nostros animos, quæ, quom vigilamus:
Usque adeo, certe ut videamur cernere eum, quem,
Redditâ vitâ, jam mors, et terra, potita est.
Hocc' ideo fieri cogit natura, quod omnes
Corporis obfectei sensus per membra quiescunt,
Nec possunt falsum veris convincere rebus.

res vim veram arripuissent. Demiror autem hanc mediæ vocis proprietatem non editoribus suboluisse ad Phædri fab. iv. 5. 3.

> Quum victi mures mustelarum exercitu—
> Fugerent, et artos circum trepidarent cavos,
> Ægre *recepti*, tamen evaserunt necem:

i. e. *se recipientes*, intrantes.

Ver. 762. *quâ:* sic Δ. elegantius: V. ed. *que;* haud dubie eodem spectans: nam facillimi sunt errores in his compendiis scripturarum. Vulgo, *quod.* Glossator vetus: "*Quâ,* ἐπι:" quæ potestas voculæ satis profecto pervagata est, nec fidejussores flagitat; exquisitior autem est hic usus, si spectes alteram dictionem: unde exorsa est scribarum vitiositas.

Ver. 763. *quæ quom:* P. B. *tum cum.*

Ver. 764. *eum quem:* Vind. Σ. *cumque;* V. ed. *tumque;* Δ. Π. *quumque.*

Ver. 765. *vitaï* dant P. O. Ω. reliqui omnes, *vita:* sed *i* literam vel sequens vox absorpserit, vel id habemus peccatum, quod scribæ Lucretiani centies peccavere, *aï* cum *a* mutantes: vide nostros indices. Jam vero, si colorem sermonis, quo Lucretius distinguitur, imbiberis, non offendes ad nostram interpretationem loci, quam magnâ ex parte Pio se suggessisse video. Nempe, *reddere* in his carminibus sæpissime pro *dare* simplice adhibetur; et *mors* pro *interitu* debet accipi. Tum hic exsurgit verborum sensus: "Ut "videamur cernere eum, quem mors vi- "tæ, *jam* data, vel *illata*, et terra, potita "est." *Potior* tertium casum regit ad ii. 652. iii. 1051. et locutioni *mors vitæ* geminissima sunt illa in hoc ultimo libro, ver. 882.

> Mortalem *vitam mors* cui inmortalis *ademit.*

Accedat etiam Plinius, nat. hist. xiv. 28. —"rerum omnium oblivio, *morsque me-* "*moriæ.*" Interea, variis conjecturis locum viri docti tentaverunt. Faber cum *vitaï* legit *pausa,* pro *mors;* cui divinationi, vocabulis librorum tam dissimili, difficile est accedere. Gronovius, ad Senec. Œd. 271. retinet etiam *vitaï,* et scribit *sors,* pro *mors;* satis per se probabiliter, nisi quod tum, constructione id exposcente, reponeret insuper *eos queis,* cum poterat minori molimine, *eum quoi.* Sed emendatio, quæ tot alias necessarias facit, se statim fere perimit. Hanc igitur missam faciamus. Denique, nihil renovatum ex ingenio volentes, atque tot optimæ fidei exemplaria reveriti, ad archaïsmum cum Salmasio atque Havercampo tandem confugimus, ut τῷ *Redditâ* scilicet quartæ sit conjugationis, atque adeo producatur in penultimâ: quamvis enim sonus auribus injucundior hinc obstrepere videatur, hoc non tantum valet in Lucretio, ut codices spernamus, et emendationibus arbitrariis indulgeamus; quemadmodum nobis plus vice simplici contigit in præcedentibus admonere. Cæterum, verbum *reddire* videas apud Nonium, vii. 75. et in fragmentis etiam Plautinis. "Nihil igitur, ut "puto, peccavimus" (Havercampi verbis utor) "ex fide MSS. Lucretio antiquita- "tis genium restituentes."

Ver. 766. *fieri* abest V. ed. libro.

Ver. 767. *obfectei:* P. Π. *effeti;* V. ed. B. Σ. *effecti;* sed lectionis *offecti* et Pius

Præterea, meminisse jacet, languetque sopore;
Nec dissentit, eum mortis letique potitum
Jam pridem, quem mens vivum se cernere credit.
Quod super est, non est mirum, simulacra moveri,
Brachiaque in numerum jactare, et cætera membra:
Nam fit, ut in somnis facere hoc videatur imago.
Hoc, ubi prima periit, alioque est altera nata

meminit, et habet etiam Juntina; quamvis illis defensoribus non egeat, meliores nacta, reliquos nempe libros universos. *Obfecti* autem valet *impediti:* conferas i. 338. ii. 783. et ver. 919. hujusce libri: βεβλαμμενοι, πεπεδημενοι. Homerus, Il. Z. 39.

——— ἱππω γαρ οἱ, ατυζομενω πεδιοιο
Οζῳ ενι ΒΛΑΦΘΕΝΤΕ μυρικινῳ, αγκυλον ἁρμα
Αξαντ' εν πρωτῳ ῥυμῳ———.

Ver. 768. *possunt:* P. V. ed. B. *possint.*

Ver. 769. *meminisse:* P. *mens ipsa;* qui nullam facit diversæ lectionis mentionem: hinc autem fides ejus multum elevatur, et credibile fit, eum ingenio sæpe esse silenter obsecutum, membranis licet reclamantibus. Similiter etiam in Juntinâ scriptum est.—*sopore:* V. ed. *sapore.*

Ibid. *meminisse:* i. e. memoria: cujus formæ quum passim obversentur specimina in utriusque linguæ scriptoribus, adeo ut de facili foret vel αμαξαν πετραικυκλον onerare, ne pervagatis inhærendo bonum otium disperdamus, sufficiat lectorem meum demandasse ad animadversiones Davisianis in Minucium Felicem, sect. xxxiv.

Ver. 770. *dissentit:* Δ. *discernit,* uti Creechius conjecerat, minus eleganter; Σ. *discendit.*—*eum:* V. ed. Π. *cum.*

Ibid. *leti potitum:* nam εν μεσοις est verbum *potior.* Ita Plautus, Capt. i. 1. 24.

——— post quam meus rex est *potitus hostium.*

Qui locus Lambinum non effugit. Similiter Terentius, Phorm. iii. 1. 5.

Ne quid, propter tuam fidem decepta, *potiretur*
mali.

Græcos nimirum magistros in his secuti sunt. Sic pater poëtarum, Il. A. 410.

——— ἱνα παντες ΕΠΑΥΡΩΝΤΑΙ βασιληος.

'Ιν' ΑΠΟΛΑΥΣΩΣΙ παντες της αβουλιας τε βασιλεως· non minus apposite scholiasta.

Ver. 771. *vivum:* V. ed. *virum.*—*se cernere:* Δ. autem junctim, *secernere.*

Ver. 772. *movere:* i. e. κινεισθαι, *se movere;* de reflexâ vocis mediæ virtute. In proximo, *et* deest V. ed. B. libris.

Ver. 773. *Brachia jactare:* conferas verr. 790. 791. Propertius, ii. 18. 5.

Sive aliquis *molli* deducit candida *gestu*
Brachia, seu varios incinit ore modos,

Lege, *diducit.* BENTLEIUS. Verissima est illa emendatio, quæ jam dudum et aliis arrisit: ut quondam Statio, versum repetenti ad silv. iii. 5. 66. ubi vide Marklandum.

Ibid. *Brachia in numerum jactare:* i. e. ευρυθμως χειρονομουντες· ita ut unusquisque suas vices servet, neque *extra numerum* moveatur. Suetonius, viii. 20. "Valetudine prosperrimâ usus est; quamvis ad tuendam eam nihil amplius, quam fauces cæteraque membra sibimet *ad numerum* in sphæristerio defricaret:" i. e. dinumeratis frictionibus, et definitis. Lucretii locum ad Cyclopas plus semel transtulit Maro, ut geo. iv. 174.

Illi inter sese magnâ vi *brachia* tollunt
In numerum.

In ordinem, Servius. Redi ad ii. 636. Pelignus vates non minus eleganter, amor. ii. 4. 29.

Illa placet gestu, *numerosaque brachia ducit;*
Et tenerum molli torquet ab arte latus.

Inde statu, prior heic gestum mutasse videtur.
Scilicet id fieri celeri ratione putandum est:
Tanta est mobilitas, et rerum copia tanta,
Tantaque sensibili quo vis est tempore in uno
Copia particularum, ut possit subpeditare.
Multaque in hiis rebus quæruntur, multaque nobis
Clarandum est, plane si res exponere avemus.

Ibi liber unus, *jactat;* sed *ducit* facili magis convenit et culto motui, *jactat* contra violentiori et incompto.

Ver. 774. *Nam:* V. ed. B. *Jam;* vide ver. 608. Porro, *hæc* non reformidavissemus hac occasione saltem reponere ex conjecturâ, exemplaribus nullis addicentibus; atque, nisi fallimur, rationibus gravissimis adducti, eisque sane, quæ lectorem liberalem et eruditum in nostram sententiam procul dubio coëgissent concedere. Nam vix credibile est ita poëtam posuisse, quum de motu totius corporis, et de numerosâ brachiorum cæterorumque jactatione membrorum, plus unâ re scilicet, loquatur: deinde, vox eadem statim sequitur; et librarii scriptores, denique, voculas *hæc* atque *hoc* plurifariam solent commutare: de quâ re videas Drakenborchium, ad Liv. v. 34. 1. et var. lectt. ad Ovid. met. xiii. 203. Hac autem leni castigatione periodus multo expolitior, et concinnior, evasisset; sed ambiguum verebamur.

Ver. 775. *Hoc:* ita codices Δ. Π. optime, atque, ut ita dicam, Lucretianissime quidem: redeas ad ver. 626. Undenam vero hic lepor librariis? et quis nasutior sibi eripi patietur persuasionem, τὸ *Quippe* reliquorum exemplarium nihil aliud esse, quam glossam e margine importatam? Nunquam de ullâ lectione majorem fiduciam habuimus, aut libentius ad elegantium hominum judicia provocavimus.—*periit:* V. ed. B. exemplaria *parit.*

Ver. 776. *Inde:* i. e. postea, ἔνθα· ut passim: editores tamen, nullâ coacti vel necessitate, vel utilitate saltem, quod flagitium! Lambini conjecturam, *Endo* scilicet, intruserunt.—*statu:* Δ. *statum.*—*heic*, vel *hic;* i. e. ἐνθάδε, ἐνταῦθα, ὧδε· uti probe glossator antiquus; et sic optime respondent, ut alibi sæpissime, *heic* et *inde:* editores tamen, contemptâ librorum omnium veritate, de suo dederunt *hæc:* nam, licet de codice B. sileatur, is negligenter est excussus, et haud cunctanter sociis ejus accensendus est.

Ibid. *Inde statu.* Heic et alibi non deterritæ sunt aures Lucretii hac scabritie numerorum: quod ætati magis, nondum ad has delicatiores rei musicæ perceptiones excultæ, quam homini, (bello, Jupiter! et venusto) putamus imputandum. Consulas annotata nobis ad ver. 77. superius.

Ver. 777. Tres, qui sequuntur, versus immerito communibus editionibus exsulant, quum codicibus universis et vetustissimis impressis agnoscantur. Nos omnino admittendos esse censuimus; sed ex serie numerorum exclusimus, ne fieret indicis sine idoneo fructu longe incommodissima perturbatio. Horumce profecto versuum sermo castus est, et sensus omnino consentaneus, atque expeditus. Absunt quidem Vindobonensi: sed istius codicis collatori, vel diligenti parum, vel diversitates minoris, quam par erat, facienti, non per omnia temere credendum esse, expertus novi.

In secundo rejiculorum versuum, longe malim *quoivis;* "rei scilicet unicuique, "sensus ferienti;" sed contra libros non necessariam puto illam emendationem. Jam vero in superioribus verbum *suppeditare*, neutram potestatem retinens, offendimus, ad i. 1039. et alibi: dictioque

Quæritur in primis, quâ re, quod quoique lubido
Venerit, ex templo mens cogitet ejus id ipsum.
Anne voluntatem nostram simulacra tuentur;
Et, simul ac volumus, nobis obcurrit imago?
Si mare, si terram, cordi est, si denique cœlum,
Conventus hominum, pompam, convivia, pugnas;
Omnia sub verbone creat Natura, paratque?

sensibilis occurrit in Senecâ, Vitruvio, Solino, Apuleio, et glossatore vetere. Denique, de sinceritate tristichi totius, in quo nativam Lucretii nos perspicimus *αφελειαν* et candidum nitorem orationis, cum solitâ numerorum facilitate, ne dubitatio quidem levissima nobismetipsis insidit.

Ver. 778. *quæruntur:* P. *quærendum;* ex correctione cujusdam importuni, proportionem clausularum cupientis.

Ver. 779. *plane:* Δ. *nobis.*—*avemus:* Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. *habemus;* L. *abemus;* ita passim in voce *aveo* peccatur; ob aspiratam literam male præpositam, *haveo*, atque elementorum *b* et *v* commutationem.

Ver. 780. *lubido:* vulgo scribitur, *libido;* et sic, ut videtur, omnes libri: sed nos volumus nobismetipsis, quâ fieri possit, constare; et hoc pacto veterrimos scripsisse, ignorat nemo: vide Velium Longum, de diff. vocc. p. 2216.

Ver. 781. *id:* V. ed. B. *in.*—Et ordo verborum hic est: "Quâ re mens cogitet "id ipsum, *secundum*, vel *κατα*, *quod* li-"bido cuique venerit." Locus etiam Ciceronis, nat. deor. i. quem Lambinus apposuit, Lucretiano est consimillimus: "Hæc quæstio, *Quâ re, quod cuique li-* "*buerit, id cogitet,* cum cogitatio simu-"lacris excitetur, pendet ex superiore; "Quam ob rem simulacra moveri vide-"antur?"

Ver. 783. *obcurrit imago.* Similiter planissime Virgilius, Æn. vi. 695.

——— Tua me, genitor! tua tristis, *imago*
Sæpius *obcurrens*, hæc limina tendere adegit.

Ver. 784. *cordi est:* B. *cordis est;* nempe, postea quam scriptura brevior, quæ compareret in P. V. ed. L. M. *cordist* dico, abierat in *cordis*, detruso *t*, *το est* irrepsit.

Ver. 785. *pompam, pugnas.* Dictiones vicissim transpositæ inveniuntur in Π.

Ver. 786. *verbone creat:* Δ. *verbo recreat.*

Ver. 787. *in* deest Ω.—Mox B. *cogitat.*

Ver. 788. *omneis:* ita capio solennem scripturam membranarum, *omnis;* quum multo convenientius loco sit *το omneis res*, quam *omnis animus.* Erasum est *omnis* codice Vindobonensi.

Ver. 789. *in numerum procedere et movere.* Hinc vera lectio Virgilii roboratur, et lux constructioni, ad ecl. vi. 28. advenerit:

Tum vero *in numerum* Faunosque, ferasque, videres
Ludere, tum rigidas *motare* cacumina quercus.

Nempe, *motare in numerum*, non minus quam *ludere in numerum*, quum voces *in numerum* utramque clausulam æque respiciant: et ita Servius. Hinc etiam malim *motare* cum Burmanno, præ *nutare* Nonii et aliorum.

Ver. 790. *mollia membra:* i. e. *ὑγρα*, flexibilia. Virgilius, de generosi equi pullo, geo. iii. 76.

Altius ingreditur, et *mollia crura* reponit:

post Ennium, monente Servio; Græcos secutum. Ita Xenophon, de re equestri, x. 4. *Και τα μεν* ΣΚΕΛΗ ʽΥΓΡΑ *μετεωριζει (ὁ ἱππος), την δε ουραν ανω ανατεινει.*

Quom præsertim aliis eâdem in regione, locoque,
Longe dissimileis animus res cogitet omneis?
Quid porro, in numerum procedere quom simulacra
Cernimus in somnis, et mollia membra movere;
Mollia mobiliter quom alternis brachia mittunt,
Et repetunt oculis gestum pede convenienti?
Scilicet arte madent simulacra, et docta vagantur,
Nocturno facere ut possint in tempore ludos?
An magis illud erit verum, quia tempore in uno,
Consentimus id, ut quom vox emittitur una,

Ver. 791. *alternis brachia mittunt.* Idem ille Mantuanus, Æn. viii. 452.

> Illi *inter sese* multâ vi *brachia* tollunt
> *In numerum.*

Ubi an illud *inter sese* ex glossâ sit, et Virgilius scripserit ad Lucretii morem *alternantes?* Confer geo. iii. 220. Æn. v. 376. Et Lucretianum *mittunt* venustius est atque efficacius, meo saltem sensui, Virgiliano *tollunt.*

Ver. 792. *repetunt gestum:* i. e. iterant, vicibus repetitis exhibent; non semel tantummodo, sed porro sæpius.

Ver. 793. *madent:* sic L. M. O. Δ. Ω. reliqui, *valent:* mendose. Ita Cicero, de finn. iii. 2. dixit *artibus infici;* quam lectionem codicum Davisius prudentissime tuetur. Idem sæpe *literis,* et *disciplinis, inbui;* ut alii bene multi. Sane Virgilius habet *arte vales,* Æn. xii. 890. sed ornatiorem Cari locutionem locus ille respuit. Apposite Martialis, i. 40. 3.

> Si quis Cecropiæ *madidus* Latiæque Minervæ
> *Artibus:*

quasi Musarum fontibus irrigatus, et *plenus;* vide animadversa in iii. 1064. unde etiam Horatius, epist. i. 3. 10.

> Pindarici fontis qui non expalluit *haustus:*

et in lyricis, iv. 12. 23.

> ———— non ego te meis
> Immunem meditor *tinguere* poculis:

hinc enim metaphora videtur accersenda; sin malis ex *arte tinctoriâ,* nos non pugnabimus. Idem Horatius, ibid. iii. 21. 9.

> ———— Socraticis *madet*
> *Sermonibus*——.

Addam Propertium, iv. 4. 74.

> Quum pagana *madent* fercula deliciis:

i. e. abundant, quasi penitus immersa. Elegantissime Prudentius, perist. x. 463.

> Auras, *madentes* Persicorum *aromatum.*

Ausonius, p. 97. ed. Delphini:

> An vegeto *madeant* condita obsonia *gustu:*

et idem denique, ad profess. xv. 2.

> Cui *felle* nullo, *melle* multo, *mens madens:*

Ovidii vestigiis inhærens. Heinsius quidem hoc pacto Lucretium corrigebat:

> Scilicet *artem eadem* simulacra *edocta* vagantur?

quæ infra vulgatorum elegantiam et doctrinam longissime jacent; neque audaculæ hujusce modi conjecturæ sunt in Lucretio tolerandæ, castissimis et antiquissimis scripturæ monimentis communito: vide Burmannum, ad Propert. iv. 7. 89.

Ver. 794. *facere ut:* Π. *ut facere.*— *possint:* V. ed. B. *possent.*

Ver. 795. *uno:* Pii codices antiqui, et spectatæ fidei, *illo:* male, ut videtur.

Ver. 796. *ut:* hoc necesse habui repo-

Tempora multa latent, ratio quæ conperit esse?
Propterea fit, utei quo vis in tempore quæque
Præsto sint simulacra, locos in quosque, parata:
Tanta est mobilitas, et rerum copia tanta:
Hoc, ubi prima periit, alioque est altera nata
Inde statu, prior heic gestum mutasse videtur.
Et, quia tenuia sunt, nisi quæ contendit, acute
Cernere non potis est animus; proinde omnia, quæ sunt
Præterea, pereunt, nisi quæ ex sese ipse paravit.
Ipse parat sese porro, speratque futuram,

here, pro reliquorum omnium librorum lectione, *est;* ex Aldinâ posteriore et Juntinâ: quum sensum constructionemque versuum aliter expedire machinâ nullâ quiverim. Poëtæ mentem sic concipio: "An ob hanc caussam varios motus si-"mulacrorum tuimur, quia temporum "diversorum motus unum tempus com-"plectitur? quemadmodum, quoties una "vox emittitur, quamvis uno tempore "dicatur mitti, pluria tempora gradatim "absolvuntur, unicuique scilicet literæ "gradatim exprimendæ impensa." Hoc si non voluerit Lucretius, sensum loci penetrare nullo modo possum; et sane propter difficultatem pro spurio multi habuerunt: sed, quoties summus sit exemplarium veterum consensus, dissolvere nodum præstat, si solvendo simus, quam violenter rumpere.

Ver. 799. *sint:* Vind. V. ed. B. L. Δ. Π. Σ. *in;* M. *sin:* sed nullum esse dubitandi locum de vulgatâ voce censeo.—*locos:* O. Σ. *locis,* ut editiones communes; vetustis exemplis universis contra stantibus, non auscultandæ.—*quosque:* sic P. Δ. Π. reliqui omnes, *quisque;* quæ vox quo pacto cum *locos* in unâ sede morari queat, non invenio. Quod edidi, prius ex conjecturâ scripseram, quam libros ullos noverim concordantes. *In locos* autem exquisitissime dictum est pro vulgari *in locis:* me videas ad i. 889. Hyginus, fab. xli. "Quem pater cum mitteret, "prædixit ei, ut, si victor reverteretur, "vela candida *in navem* haberet." Qui locus incontinentes correctorum manus expertus est, Munckero tamen merito defensus. Idem, fab. cxxxix. "Juno au-"tem Jovem *in Cretensi insulâ* detulit."

Ver. 800. *Tanta est mobilitas et:* P. *Tanta his mobilitas et;* Vind. V. ed. L. Δ. Π. Σ. *Tanta mobilitas stet;* M. *Tanta mobilitast et:* vide post ver. 777.—*rerum:* vulgares editi, *eorum;* verum tamen contra libros omnes.

Cæterum, duo versus, qui sequuntur, expelli solent editoribus; quamvis ne unus quidem vetustus liber illis careat. Nobis non libet ita temere rem administrare, nec licet modestis sane: sed, ut indicis numeri conserventur, non in ordinem seriei potuimus admittere. Porro, τὸ *statim* pro *statū*, vel *statum*, in recensione variarum lectionum Havercampianâ, operariorum mendam puto. At enim poteras hoc modo legere, ac distinguere:

—————— alioque est altera nata
Inde *statim*, prior *heic* gestum mutasse videtur:

sed vulgata nobis arrident. Et *hæc* Pii, vice *hic*, vel *heic*, emendatoris est cujusdam, proprietatem vocis non dispicientis.—*mutasse:* V. ed. *imitasse.*

Ver. 801. *quæ:* vulgo *se*, at contra libros; temeriter et indocte. Constructio plena est, "Nisi quæ contendit cernere:" i. e. enititur, et opere maximo conatur.

Ut videat, quod consequitur, rem quamque: fit ergo.
Nonne vides, oculos etiam, quom, tenuia quæ sunt,
Cernere cœperunt, contendere se, atque parare;
Nec sine eo fieri posse, ut cernamus acute?
Et tamen in rebus quoque apertis noscere possis,
Si non advortas animum, proinde esse, quasi omni

Sic Virgilius, in versibus exquisitissimâ venustate, Æn. i. 157.

> Defessi Æneadæ, quæ proxima, litora cursu
> *Contendunt petere;* et Libyæ vertuntur ad oras.

Vertuntur autem sensu reflexo, *se vertunt*. Conferas etiam Nonium, iv. 458.

Ibid. *acute Cernere.* Horatius, sat. i. 3. 26.

> Cur in amicorum vitiis tam *cernis acutum?*

Cæterum, omnia, quæ jacent inter *τo sunt* hujusce versûs, atque *τo nisi* ver. 803. desunt Δ. codici; librarii scilicet oculo in posterius *nisi* male, ut solet, conjecto.

Ver. 803. *sese:* sic P. O. Δ. cæteri, *se;* ex errore facili, tam per se, quam ob multas elisiones, caliginem scribis injicientes: sed versus mancis numeris non erat Havercampo relinquendus.

Ver. 804. *futuram:* L. Δ. Π. *futurum;* ut vulgares editi, formulâ doctiore nihil intellectâ; *τῳ quod* nempe *rem* respiciente: quam nos, pluribus libris suppeditatam, et scribarum inscitiæ valde obnoxiam, revocandam omnino existimavimus. Structura est:—"sperat rem quamque ita "futuram, ut *id* videat, quod consequi-"tur;" i. e. connexum habet. Plautus, Amphit. prol. 33.

> Justam *rem*, et facilem, esse *oratum* a vobis volo.

i. e. "volo *id* oratum." Sed enim error videtur huic versui insidere, sic tollendus:

> Justam rem, et facilem, *exoratum* a vobis volo.

Scriptum invenit quidam librarius, *essoratum;* quæ vox, quum tandem videretur nulla, divisa est in vulgarem lectionem: nam sane in duplex *s*, ut sæpenumero, *x* abierat: indicem criticum consulas. Cicero, in Verr. v. 65.—"sed, quocumque "venerint, hanc sibi *rem* præsidio spe-"rant *futurum*." Ubi multa consimilia a doctissimis animadversoribus afferuntur. Hæc autem exempla Pio debemus, qui ea prorsus *ἀπροσδιονύσως* adhibuerit superius, ad ver. 778.

Ver. 805. *rem* abest Δ.—*quamque:* Π. *quacumque.*—*fit:* Π. *sit.*

Ver. 806. *quom* deest Π. qui habet *sint*, ut editi: cæteris libris ad unum contra stantibus.—Deinde, in V. ed. B. L. M. O. Ω. repetitur ver. 803. sed indubitate præter poëtæ mentem.

Ver. 807. *oculos contendere se.* Incerti panegyricus in Const. Aug. sect. 5.—"et, "si qui propius mente adierunt, quod "*oculis* in solem *se contendentibus* evenit, "præstrictâ acie, videndi facultate caru-"erunt." Vide ad i. 67. Horatius, ep. i. 1. 28.

> Non possis *oculos* quantum *contendere* Lynceus.

Vulgo quidem editur, *oculo;* sed illud malim cum Lambini codice, Ascensio, Bentleioque; quem consulas: *ἀστειοκομψευμέναις* Baxteri næniis, qui de solito ineptissimum cavillatorem, nasutis et liberalibus quibusvis deridendum, se propinat. Mox, B. codex, *posse fieri.*

Ver. 811. *semotum fuerit remotum.* Sic omnia omne genus vetera exemplaria. Jam videas autem flagitium editorum, audacissimas depravationes Lambini, cum mirâ facilitate ingenii, hoc pacto repræsentantium:

> Tempore *semotæ fuerint*, longeque *remotæ.*

Tempore semotum fuerit, longeque remotum.
Quur igitur mirum est, animus si cætera perdit,
Præter quam quibus est in rebus deditus ipse?
Deinde, adopinamur de signis maxuma parvis,
Ac nos in fraudem induimus frustraminis ipsei.
Fit quoque, ut interdum non subpeditetur imago

Nimirum, nihil viderunt Lucretiani sermonis indolem, suavissimis variarum constructionum condimentis passim summo studio conspersi. *Id* nempe, vel *ea res*, "*semotum* fuerit, quod contemplamur." Gemellum structuræ specimen nuperrime confirmavimus, ad ver. 804. Rarissime sine maximo periculo peccati contra vetustissimos Cari codices novari potest; neque vel de minimis immutationibus prudenti critico cogitari debet, nisi sævâ quadam necessitate leges suas ei irrogante.

Ver. 812. *si:* M. *que si;* ac si vellet, *quasi:* quod tamen hic locum non habet. —Et, pro communi *Cur*, Π. *Qur;* antiquam orthographiam proxime attingens: Ω. *cum.*

Ver. 813. *Præter:* ita P. Vind. Π. Σ. cæteri, *Præterea;* metri conditionibus vehementer reclamantibus.

Ver. 814. *adopinamur:* O. *adopinantur;* librario literam *m* non difficiliter pro *nt* capiente: quod est ex multis argumentis, hunc librum, ut ut recentissimum, scripti cujusdam esse autographum ostendentibus.

Ibid. *induimus:* Δ. *indimur;* ex scioli cujusdam interpretatione: et hanc vocem sequenti postponit.—*frustraminis ipsei:* ita nos vere scripsisse vix potest dubitari; L. non aliter, *frustram inis ipsi,* nisi quod dictionem prave separet: Vind. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. *frustranimis ipsi;* iisdem literarum ductibus, et certissime eandem dictionem volentes: V. ed. *frustra minus ipsi;* ductu simplice supervacaneo: M. *frustraminipsis;* P. *frustramur et ipsi*, ut editi communes; quod correctoris recentioris importunitatem resipit. Nimirum, inauditam vocem boni viri concoquere nequierunt, et ejicere contextu voluerunt: at centum sunt nova ferme, et vix alibi, ut plurimum, reperta, paribus conditionibus expellenda, in carmine Lucretiano. De hoc loco non aliam sententiam dudum tulit Heinsius, in notis ejus ad Ovid. epist. xiii. 135. qui omnino consulendus est lectori meo. Cæterum, literæ *ni* pro *m*, ut supra, insident glossam Philoxeni, quam emendabo: Αμειβομαι· *Canibio.* Lege, *Cambio.*

Ver. 815. *nos in fraudem induimus:* i. e. inferimus, injicimus. Gellius, ii. 29. de Æsopo appositissime:—"festivos delectabilesque apologos commentus, res "salubriter ac prospicienter animadversas, *in mentes* animosque hominum, "cum audiendi quadam illecebrâ, *induit.*" Quæ Gronovius ibi de Senecâ, Tacito, et Apuleio nobis obmovit, prorsus aliena sunt, atque tempestivitatis indigentia. Translatio est ab avibus, vel feris, in casses incidentibus: unde Lambinus pulchre apposuit Plaut. Cas. i. 25. et Ciceronem, de div. ii. 17. "Cur igitur vos "*induitis in* eas *captiones*, quas num-"quam explicetis?" ad quem locum Manucium videas, et potissimum Davisium. Adde eundem Tullium, in Verr. v. 29. init. pro Muræn. 25. Acadd. ii. 6. et de verborum *induo* et *inbuo* commutatione, Arntzenium, ad Plin. paneg. lxxxi. 2. Cæterum, hinc legitimam accipit interpretationem Virgilius, ad Æn. x. 682. ubi Heynius et Servius in crassâ nimium caligine sint versati:

An sese *mucrone* ob tantum dedecus amens
Induat, et crudum per costas exigat ensem?

Ejusdem generis; sed femina, quæ fuit ante
In manibus, vir utei factus videatur adesse:
Aut alia ex aliâ facies, ætasque, sequatur:
Quod ne miremur, sopor atque oblivia curant.
Illud in hiis rebus vitium vehementer inesse
Ecfugere errorem, vitareque præmetuenter,
Lumina ne facias oculorum clara creata,

Vera scilicet, *cassibus induta*, non longo tempore *jaculo* quoque venatoris *induebatur*. Huic autem phrasi nobismetipsis videmur non minimam lucem intulisse, ad Silv. Crit. sect. cxlix. Pacatus, paneg. Theodos. Aug. sect. xxxiv. 3. "Jam, qui "ad muros properaverant,—obviis *sudi*"*bus induebantur*—." Statius, Theb. ix. 281.

Induit a tergo Mycalesia *cuspis Agyrten*.

Huc spectant, quæ leguntur in Anecd. Græc. Villoisoni, i. p. 28. de Ajace:— "*απολαυοντα ιδειν, και* ΠΕΡΙ ΤΩ ΞΙΦΕΙ "ΚΕΙΜΕΝΟΝ." Rem plene tenebis, si te recipias ad Silv. Crit. iv. p. 2}9. Confer Lactant. vi. 12. p. 466. lin. 7. Hinc denique sua venustas Ovidio, passim Virgilium imitanti, resuscitanda est, uno codice feliciter conservata, ex Pont. ii. 1. 65.

Induero Scythicas si non prius ipse *sagittas*.

Vulgo, *Inbuero*; multo minus docte et exquisite. Miror hæsitavisse Heinsium, et Burmannum tacuisse. Ad Maronis versum editio prima habet *Imbuat*. Adeas Ovid. amor. ii. 10. 31. et nos supra, ad ii. 733.

Ver. 816. *Ut* deest Π.—*non:* V. ed. B. L. M. Δ. *nos;* Ω. *in nos;* qui consensus optimorum librorum in errore gravissimo dolendus est.

Ver. 817. *sed:* Δ. *set:* ut rursus, ad ver. 859. Atque amovimus distinctionem ab *ante* ad *manibus;* nec plausores non habebimus universos, quibus arrisit Venus, et sexus amabilissimus. Hinc longe vividior fit sensus: nam qualis est demum *περιπετεια*, formosissimam in manibus puellam subito in hispidum barbigerum vanescere!

——— Dii! talem terris avertite pestem.

Ver. 818. *vir utei:* P. Vind. *vir tunc;* V. ed. *vir tun;* O. *uti nunc;* B. Δ. Π. Σ. *vir tum;* ut communes editi: nos L. M. Ω. secuti sumus.

Ver. 820. *ne:* V. ed. *ve;* Σ. *re.*—Et hic versus in Vind. V. ed. O. L. M. Δ. Π. Σ. Ω. venit post ver. 824. sed omnino male. Confer iii. 128. et supra, ver. 246.

Ver. 821. *Illud:* ita P. Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. vulgo, *Istud.*—*inesse:* sic omnes omni genere libri, præter P. qui *inesto*. Nihil erit difficultatis loco, dissimilitudinibus lectionum et male feriatorum criticorum licentiâ vexatissimo, si statuamus Lucretium *το inesse* pro *interesse*, vel *utile esse*, adhibuisse: quod melius putem, quam codices sincerissimos proculcare. De hoc modi infinitivi usu in præceptis enunciandis, nos affatim disputavimus ad Silv. Crit. iii. p. 37. iv. p. 136.

Ver. 822. Ad disertam codicis M. scripturam versum, uti prior Havercampus, nos exhibemus: nec multum discrepant reliqui meliorum.—*errorem:* Vind. V. ed. *errore.*—*vitare:* Vind. V. ed. B. L. Δ. Π. *multare;* O. Ω. *multas.*—*præmetuenter:* P. *præmeditemur;* Vind. V. ed. B. L. Δ. Π. Σ. *præmetuentur;* O. *præmerentur;* Ω. *præmeditenter*. Simeo Bosius ex conjecturâ, ut videtur, dudum restituit *præmetuentur;* i. e. præcaute, *προπεφυλαγμενως*· nec minus Faber, et Gronovius.

Prospicere ut possimus; et, ut proferre viaï
Proceros passus, ideo fastigia posse
Surarum ac feminum, pedibus fundata, plicari:
Brachia tum porro, validis ex apta lacertis,
Esse manusque datas, utrâque a parte ministras,
Ut facere ad vitam possemus quæ foret usus.
Cætera de genere hoc, inter quæquomque pretantur,

Ver. 823. *ne:* B. Π. *non;* ut editi quidam.

Ibid. *oculorum lumina.* Cornelius Nepos, xx. 4. 1. "Hic, quum ætate jam "provectus esset, sine ullo morbo *lumina* "*oculorum* amisit." A. Gellius, xiv. 4. de imagine Justitiæ:—"adspectu vehe"menti et formidabili, *luminibus oculo*"*rum* acribus—." Claudiani locum, poëtico splendore nobilem, emendatiorem dabo, rapt. Pros. iii. 87.

——— Squalebat, *fulvior* auro,
Cæsaries; et nox *oculorum* infeceerat ignes,
*Exustus*que gelu pallet rubor.

Vulgo, *pulchrior* et *exhaustus.* Posteriorem conjecturam, longe verissimam et venustissimam, Heinsius, nobis nesciis, occupaverat. Ejusdem vocis elegantia Nasoni redonanda restat, fast. iii. 237.

Arboribus redeunt, *exustæ* frigore, frondes.

Libri, *excussæ;* quidam, *detonsæ:* quod miror Burmannum, et Heinsium, locis omnino alienis defendisse. Si sit alicui rei ea variatio, error est pro *demorsæ:* vide Horat. sat. ii. 6. 45. et alios; sed priorem conjecturam veram puto: confer fast. iv. 918. trist. iii. 2. 8. v. 2. 66. Hæc autem trita sunt.

Ibid. Certe festivum est in festivissimis hoc Epicureorum dogma; partes nempe corporis ad suos usus non esse primitus institutas, sed his sensim ab experientiâ accommodatas. Hinc mehercule credibile est, homines principio conatos esse loqui, et rerum nomina proferre, non ex ore, prout nunc dierum, (dii meliora!) sed ex foramine postico: quùm vero res hac viâ non satis feliciter procederet, aliâ tandem cœperunt aggredi, ut *μέροπες* evaderent: unde factum est, scilicet, quamvis ratio deterior loquendi in desuetudinem quodammodo abierit, nos eam usque ad hunc diem haud prorsus dedidicisse:

——— adeo in teneris consuescere multum est!

Cæterum, omnem hanc doctrinam Epicureorum agitavit acerrime Lactantius in tractatu de opificio Dei, cap. vi. nec defricuit acerbo minus sale Prior nostras lepidissimus, in perdocto et ingenii subtilissimi poëmate, *Alma* dicto, cant. i. ver. 136. ad ver. 192.

Ver. 825. *fastigia:* sic Vind. L. M. uti a collatoribus horum exemplarium accepimus, cum Ω. Π. Σ. et priscis codd. Pii: P. V. ed. B. *vestigia;* O. Π. *suffragia;* quod unice verum puto, et vetustissimis adhibitum pro *suffragines,* et *suffrages,* antiqui glossatoris. *Suffragia* autem, quæ *subfranguntur,* vel *subflectuntur;* vide me ad ver. 439. i. e. accurate, *καμπὰς* Græcorum.

Ver. 826. *ac:* Ω. *et.*—*fundata:* Π. *mandata.*

Ibid. *feminum.* Ita Virgilius, Æn. x. 788.

——— ocyus ensem
Eripit a *femine.*

Eadem vox eidem poëtæ restituenda videtur, ibid. ver. 344.

——— magnique *femen* perstrinxit Achatæ.

Hoc certo colligitur ex commentariis Servii ad utrumque locum. Unde audiam egomet sane Neapolitanum exemplar ad Ovidii amor. ii. 4. 22.

Omnia pervorsâ præpostera sunt ratione:
Nihil ideo quoniam natum est in corpore, ut uti
Possemus; sed, quod natum est, id procreat usum.
Nec fuit ante videre oculorum lumina nata;
Nec dictis orare prius, quam lingua creata est:
Sed potius longe linguæ præcessit origo
Sermonem; multoque creatæ sunt prius aures,
Quam sonus est auditus; et omnia denique membra

> Culpantis cupiam sustinuisse *femen.*

Et hac dictione plurimi scriptores usi sunt: vide Sueton. in Tit. 4. fin. et ibi Oudendorpium; Hygin. et Q. Curt. multis in locis; Oros. hist. ii. 6. sub init. atque quos longum foret singillatim recensere. Accedat tamen vulg. vers. bibl. ad Levit. vi. 10. " Vestietur tunicâ sacerdos, " et *feminalibus* lineis—."

Ibid. *fundata:* ut v. 926. quem adeas. Minutius Felix, sect. xvii.—" alias (ani" mantes) armatas cornibus, alias dentibus " septas, aut *fundatas* ungulis, aut spica" tas aculeis, aut pedum celeritate liberas, " aut elatione pinnarum?"

Ver. 827. *tum:* eruderati codices Pii, *nec;* me probante: P. Vind. V. ed. B. O. Σ. Ω. *cum;* Δ. Π. *quum.*—*apta:* O. Δ. Π. Ω. *acta;* quam lectionem amplexus essem, si dicerentur vicissim *ex brachiis* lacertos *aptos;* quia credidissem locutionem ad Hesiodeam quandam conformari, Theog. 671.

> Των ἑκατον μεν χειρες απ' ωμων ΑΪΣΣΟΝΤΟ,
> Πασιν ὁμως.

Sed *apta* est *juncta.* S. Apollinaris, i. 13.

> Tunc Faunis Dryades, Satyrisque Mimallones, *aptæ*
> Fuderunt lepidum, rustica turba, melos:

quæ respiciunt Horatium, od. i. 4. 6.

> *Junctæ*que Nymphis Gratiæ decentes—.

Lepidum vero *melos* respondet *ludo jocanti* Lucretii, ver. 586. i. e. *lascivo,* his numinibus conveniente.

Ver. 828. *datas:* V. ed. *datasque.*—*a* deest omnibus præter P. et Vind. cujus collator non semper diligentem egit. Forte, *e parte.*

Ibid. *manus ministras.* Hinc Arnobius, lib. ii. p. 55.—" si *ministras manus* " illis etiam donare parens Natura voluis" set—." Idem, lib. iii. p. 107. cum elegantiâ minime vulgari: " —*manus,* " *ministras* operum, articulis, digitis, et " cubitorum mobilitate, tractabiles—." Adde Genesin Hilarii, ver. 135. quem pleniorem dabo, ut emendem satis venustos versus:

> Tunc alacres promptasque *manus,* vitæque *ministras;*
> Atque domum Divæ pectus rationis, et alti
> Sedem consilii; fundendæ *et* vocis honorem.
> Hæc soli concessa homini: nam cætera, *mutum*
> Ut pecus, obtinuit; ventrem, præcordia, nervos,
> Venarum rivos, et sparsum corpore sanguen.

Vulgo, deest *et* in ver. 3. et scribitur *motum* in ver. 4. Dictiones *motus* et *mutus* confusæ sunt librariis ad Ovid. art. am. iii. 702. ubi videas Heinsium, latius hoc persequentem, cum Burmanno. Bene autem ac sapienter Hilarius *manus* nominavit *ministras vitæ,* Lucretium secutus hac etiam tenus; quum manuum agilitati atque tractabilitati nos homines pene debemus universa, quæ ad vitæ cultum atque commoditatem pertinent. Hinc Angli, vulgariter loquentes, non male dicimus *manus,* pro ipsos *homines.* Naso, Ib. 261.

> Id, quod Amyntorides, videas; trepidusque *ministro*
> Prætentes *baculo,* luminis orbus, iter.

Quæ in notis ad hunc versum dedimus,

Ante fuere, ut opinor, eorum quam foret usus:
Haud igitur potuere utundi crescere caussâ.
At contra conferre manu certamina pugnæ,
Et lacerare artus, fœdareque membra cruore,
Ante fuit multo, quam lucida tela volarent:
Et volnus vitare prius natura coëgit,
Quam daret objectum parmaï læva per artem.
Scilicet et fessum corpus mandare quieti,

Nemesius confirmabit, cap. xxvii. Εισι δε αἱ μεν χειρες αντιληπτικον οργανον, και προς τας τεχνας επιτηδειοτατον· εαν γαρ τις αφελῃ τας χειρας, η μονους τους δακτυλους των χειρων, εις πασας σχεδον τας τεχνας αχρηστοτατον ποιει τον ανθρωπον· δι' ὁ και μονος ανθρωπος, επει δη λογικος εστι και τεχνων δεκτικος, χειρας εσχε παρα του Δημιουργου.

Ver. 829. *possemus:* P. Vind. *possimus;* sed de testimonio libri posterioris malim επεχειν· ita autem placuit editoribus, poëtæ scilicet dilectissimam ejus varietatem invidentibus.—*foret usus:* M. *forenses;* Π. *feret usus.*

Ver. 830. *pretantur:* P. V. ed. B. M. Δ. Π. *precantur;* solitâ confusione literarum *c* et *t;* O. *petantur.* Et similis tmeseos exemplum liceat ex Ennio proferre, apud Nonium, iii. 33. quam Hesselius inscitissime obliteravit:

Annibal audaci dum pectore *de* me *hortatur*—.

Adde Varronem, de re rust. iii. 4. 1.—"*excande* me *fecerunt* cupiditate—." Sed alibi hanc rem attigimus.

Ver. 831. *pervorsâ,* vel *perversâ:* Π. *pervisâ.*

Ver. 832. *Nihil ideo:* sic Vind. V. ed. B. M. vulgo, *Nil adeo;* P. O. Ω. *Nil ideo;* Σ. *Nihil adeo.*—*quoniam:* V. ed. B. Π. *cum;* Δ. *quando.*

Ver. 833. *procreat usum:* V. ed. *procreatum;* B. Δ. *procreatum sit;* Π. Σ. *sit procreatum:* et *id* abest a Δ. Π. Σ.

Ver. 834. *oculorum:* prisci Pii codices, *oculi quam;* quod prorsus improbandum puto.—Cæterum, *το videre,* ut *το meminisse* nuper, ad ver. 769. Tritum est.

Ver. 835. *dictis orare.* Maro, Æn. iv. 219.

Talibus *orantem dictis*—.

Ver. 840. Jam vero, quæ Lactantius, supra laudatus, eleganter contra disseruerit in libro de opif. Dei, cap. vi. lectoribus fortassis haud ingrata supervenient: "Dixit "enim (Epicurus) neque oculos ad vi- "dendum esse natos, neque aures ad au- "diendum, neque pedes ad ambulandum; "quoniam membra hæc prius nata sunt, "quam esset usus videndi, et audiendi, et "ambulandi; sed horum omnia officia ex "natis exstitisse.—Quid ais, Epicure? "Non sunt ad videndum oculi nati? Cur "igitur vident? Postea, inquit, usus eo- "rum apparuit. Videndi ergo caussâ "nati sunt, si quidem nihil possunt aliud, "quam videre. Item cætera membra "cujus rei caussâ nata sunt, usus osten- "dit; qui utique nullo modo posset ex- "sistere, nisi essent membra omnia tam "ordinate, tam providenter effecta, ut "usum possent habere."

Ver. 841. Scripsit Lucretius, aut ego vehementer falsus sum judicii, ad hunc morem:

——— conferre *manum certamine* pugnæ—.

Similiter enim Virgilius, Æn. ix. 44.

——— *conferre manum* pudor, iraque, monstrat.

Neque aliter in bene multis locis; at *conferre manu* nusquam. Idem, ibid. xi. 780.

——— unum ex omni *certamine pugnæ.*

Multo antiquius est, quam lecti mollia strata:
Et sedare sitim prius est, quam pocula, natum.
  Hæc igitur possunt utundi cognita caussâ
Credier, ex usu quæ sunt, vitâque, reperta:
Illa quidem seorsum, sunt omnia quæ prius ipsa
Nata, dedere suæ post notitiam utilitatis:
Quo genere in primis sensus, et membra, videmus.
Quâ re etiam atque etiam procul est, ut credere possis,
Utilitatis ob officium potuisse creari.
  Illud item non est mirandum, corporis ipsa
Quod natura cibum quærit quoiusque animantis.
Quippe et enim fluere, atque recedere, corpora rebus
Multa, modis multis, docui: sed plurima debent

Et conferas Æn. xii. 598. Contra vetustos tamen libros, qui nullas lectionum dissimilitudines produnt, nihil novo.

Ver. 843. *lucida tela*. Hoc etiam arripuit pro more Virgilius, ad Æn. v. 306. nam de altero loco, Æn. vii. 626. sententiam non pœnitendam interposuimus, ad ver. 250. hoc libro:

> Gnossia bina dabo, lævato *lucida* ferro,
> *Spicula*—.

Ver. 845. *daret:* V. ed. B. *dare.*—*parmaï læva:* Π. *penaï pena.*

Ibid. *objectum:* προβολην· ut vetus glossarium. Virgilius, Æn. xii. 377.

> —— *clypeo objecto* conversus in hostem—.

Ibid. *per artem*. Idem summus artifex hanc etiam phrasin adhibuit, geo. i. 122. et alibi:

> ———— primusque *per artem*
> Movit agros—.

Ver. 847. *antiquius:* V. ed. exhibet *antiquus.*

Ibid. *mollia strata*. Animadvertas velim aures poëtæ nostri duriores, non formidantes syllabam *-a* *mollia* postremam corripere sic positam. Cæterum, Maro phrasin de solito sibi mutuatus est, Æn. viii. 415.

> *Mollibus e stratis* opera ad fabrilia surgit.

Ver. 849. *Hæc:* B. *Nec.*—Et *possent* vulgo solet edi, contra libros.—Mox V. ed. *Credere.*

Ver. 851. *seorsum:* i. e. diverso tempore, quam quo nata sint, ad usus hominum perducta sunt.

Ver. 854. *Quâ:* V. ed. *Que;* B. O. *Quæ.*—*possis:* Π. *possit;* scribâ de *Credier* in ver. 850. cogitante.—Mox idem liber, *Utilitas.*

Ver. 856. *item:* Π. *idem.*—In his autem noster tacitæ objectioni occurrere videtur. "An non hac lege factum est corpus, ut "necessario statim cibum cuperet posce"retque? En! itaque finalem caussam; "nisi dicas, homines non se prius ad ci"bos contulisse, et edendi rationem in"venisse, quam in longum duravissent, "et ex usu magistro tandem artem cibi "sumendi didicissent." Huic argumento utcunque respondet Lucretius in sequentibus.—Mox P. *Quid.*

Ver. 858. *atque:* Π. *ac;* unde legendum forte:

> ——— fluere, *ac decedere*, corpora rebus.

Conferas velim i. 681.

Ex animalibus; hæc quia sunt exercita motu:
Multaque per sudorem ex alto pressa feruntur;
Multa per os exhalantur, quom languida anhelant.
Hiis igitur rebus rarescit corpus, et omnis
Subruitur natura: dolor quam consequitur rem.
Propterea, capitur cibus, ut subfulciat artus,
Et recreet vireis inter datus; atque, patentem
Per membra ac venas, ut amorem obturet edundi.
Humor item discedit in omnia, quæ loca quomque
Poscunt humorem: glomerataque multa vaporis
Corpora, quæ stomacho præbent incendia nostro,
Dissupat adveniens liquor, ac restinguit, ut ignem;
Urere ne possit calor amplius aridus artus.

Ver. 860. *hæc:* ita necessum habui ex ingenio rescribere; nam vox omnino deest Vind. V. ed. B. L. M. Π. Σ. Ω. ex quo versus laborat: P. *his;* O. Δ. *et:* unde utrobique constructio non procedit. Nostrum *quia* in universis libris comparet; ut ut ausi sint editores de suo *quæ* reponere: sed λογικον est *quia;* quum sæpius dixerat ex inanimatis rebus particulas indesinenter fluere.

Ver. 861. Omnia, quæ veniunt inter *Multa* hujusce versûs et *per* sequentis, librarius prætermisit in Π. exemplari: ad το *Multa* posterius oculo male transjecto.

Ver. 862. *os:* Vind. V. ed. B. Π. *eos.* —*exhalantur:* M. Ω. *exaltantur.*

Ver. 863. *rebus rarescit:* M. *rarescit rebus.*—Et statim V. ed. B. *sequitur.*

Ver. 865. *Propterea:* P. solito errore, *Præterea.*

Ibid. *cibus subfulciat artus.* Hanc translationem jam habuimus superius, ad ii. 1146.

Ver. 866. *inter datus:* Π. *in tardatus.* —*patentem:* V. ed. O. *parentem.*

Ibid. *patentem amorem edundi.* Hæc ad προσωποποιΐαν Famis referenda sunt; quod Creechius etiam intellexit. Seneca, Thyest. 5.

——— pejus inventum est Siti
Arente in undis aliquid, et pejus *Fame*
Hiante semper—.

Ver. 867. *obturet edundi:* P. V. ed. *ob divertendi;* O. L. a secundâ manu, Δ. Σ. Ω. *obduret edendi;* Π. *incitandum.*

Ibid. *amorem obturet edundi.* Locutionem Virgilius aliquantulum immutat, Æn. viii. 184.

Post quam exempta fames, et *amor compressus edendi.*

Ver. 868. *discedit:* O. *descendit;* Π. *descendat;* Ω. *dissedit.*—At enim nolim proprietas vocis *discedat* hoc in loco prætereat lectorem; ne, quasi scripserat noster *decedat,* fortassis incogitans intelligat *Humor decedit* foret, " humor ab ore in " omne corpus divertitur:" sed *humor discedit* potest, " humor dispartitus a se " per membra passim spargitur." Quæ diligenter sunt notanda.

Ver. 871. *restinguit:* V. ed. *restringat;* B. Π. *restringit;* Ω. denique, *restringuit.* —*ut:* M. Δ. *in.*

Ver. 872. *Urere:* Δ. *Vere.*—*ne:* Ω. *re.*—*artus:* Σ. *arctus.*

Ver. 873. *tibi:* Δ. *cibi;* male.

Ibid. *anhela sitis.* Gemello cum sermone poëtam agere studuit Justinus, ix.

Sic igitur tibi anhela sitis de corpore nostro
Abluitur; sic expletur jejuna cupido.
Nunc, quî fiat, utei passus proferre queamus,
Quom volumus, vareque datum sit membra movere;
Et, quæ res tantum hocc' oneris protrudere nostri
Corporis insuerit, dicam: tu percipe dicta.
Dico, animo nostro primum simulacra meandi
Adcidere, atque animum pulsare, ut diximus ante;
Inde voluntas fit: neque enim facere incipit ullam
Rem quisquam, quam mens providit, quid velit, ante:
Id, quod providet, illius rei constat imago.

l. 6. "Captis itaque centum septuaginta "navibus, mercibusque distractis, *anhelam inopiam* paululum recreavit."

Ver. 874. *sitis abluitur.* Venuste in primis: quocum bene committi potest conatus Virgilianus, ad Æn. i. 739.

——— pleno *se proluit* auro.

Arnobius autem, quasi memor ejusdem Maronis in bucolicis:

Et vos, O! Lauri, carpam, et te, proxima Myrte;
Sic positæ quoniam suavis miscetis odores;

utrumque poëtam commiscuit, lib. iii. p. 121.—"suppliciorum in nos genera, qui- "bus *sitim* soletis vestram nostri sangui- "nis appetitione *proluere*."

Ver. 875. *fiat:* V. ed. *flat.*—*queamus:* M. autem, *quiemus.*

Ver. 876. *vare:* sic Vind. L. M. Σ. Ω. certissime; et proportione loci flagitante. *Vare movere*, nempe *in obliquum;* ut modo *proferre* scilicet; i. e. *porro* ferre, vel in directum: reliqui plures, *varie.* Nimirum, *varus* et *varius*, ut erat sperandum, librariis confundi solent: et hinc ipsemet tentavi Statium, Theb. i. 156. ad Silv. Crit. iv. p. 59. Vide Heinsium, in Ovid. amor. i. 3. 24.—*vareque datum:* O. *nare quæ ratio;* Δ. *nam quæ ratio;* Π. *nam quæ datio.*

Ver. 877. *Et quæ:* V. ed. B. *Æque;* unde legendum fortassis, *Ac quæ.*—*tantum:* Π. *tamen.*—*protrudere:* P. V. ed. Ω. *protendere;* Δ. *pertrudo.* Sane *pertendere;* vel *protendere*, *gressum* non displicuisset; sed neutrum vocabulum probem equidem cum *onus* nomine. Mox, Π. *insuerint.*

Ver. 880. *Adcidere:* V. ed. B. L. a secundâ manu, O. Π. Σ. Ω. *Accedere;* per usitatissimam librariis aberrationem, ut alibi in nostro: vide ver. 237. Terentianus Maurus, de carmine miuro:

Auribus acciderit novitas inopina——:

ut Porphyrius, de abst. iii. 3.—*ἴσα κλαγγῇ γεράνων, ὁ τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις* ΗΧΟΣ ΠΡΟΣΠΙΠΤΕΙ. Redeas ver. 572. supra.

Ibid. *simulacra animum pulsare.* Locutionis formam immutavit Virgilius, figuram et pares dictiones conservavit, ad Æn. ix. 294.

Atque *animum* patriæ *strinxit* pietatis *imago:*

i. e. *percussit;* uti probe Nonius Marcellus, iv. 442. Nec locutionem non illustrabunt suavidici versus Ausonii in Mosellâ, ver. 18.

In speciem quum *me* patriæ cultumque nitentis
Burdigalæ blando *pepulerunt omnia visu.*

Neque gravabor Ciceronem advocasse, orat. 4.—"gnarum—quibus orationis mo- "dis quæque *animorum* partes *pelleren- "tur.*" Confer Virg. Æn. iv. 23.—Mox, V. ed. illam.

Ver. 882. *quam:* P. *nisi;* deest V. ed.

Ergo, animus quom sese ita conmovet, ut velit ire,
Inque gredi; ferit ex templo, quæ in corpore toto
Per membra, atque artus, animaï dissita vis est:
Et facile est factum, quoniam conjuncta tenetur.
Inde ea proporro corpus petit; atque ita tota
Paullatim moles protruditur, atque movetur.
  Præterea, tum rarescit quoque corpus; et aër
Scilicet, ut debet, qui semper mobilis exstat,
Per patefacta venit, penetratque foramina, largus;
Et dispargitur ad parteis ita quisque minutas
Corporis: heic igitur rebus fit utrimque duabus,

L. Π. vide supra, ad ver. 657.—*quid:* P. V. ed. *quod.*—Cæterum Δ. voces *quam mens* transpositas exhibet; prout mallem: sed plura obstant, quo minus a Lucretii manu sic provenisse censeam.

Ver. 883. *Id:* nempe *secundum*, κατα, *id;* more poëtæ nostro summe familiari: Δ. et Σ. *At;* uti communes editi: Σ. inserit *quoque* post *At*, et transponit vocabula *illius rei.*—*constat:* ita P. B. Σ. reliqui omnes, *constare;* procul dubio vitiose. Mox Π. *promovet*, pro *conmovet;* etiam male.

Ver. 886. *animaï:* Δ. *anima;* usitatissimo Lucretianis scribis errore.

Ibid. *membra atque artus:* redi ad ii. 282. Euripides, ad Hipp. 200. pressiore phrasi μελεων συνδεσμα vocitat.

Ibid. *animaï dissita vis:* Hinc fortassis auctor Culicis, ver. 186.

——— Tum prosiluit furibundus, et illum
Obtritum morti misit: cui *dissitus* omnis
Spiritus excessit sensus.

Ver. 887. *factum:* sic Vind. V. ed. B. L. O. Δ. Σ. reliqui, *factu;* magis vulgari genere dicendi: et proclivius abierit *factū* in *factu*, quam vicissim.—*quoniam:* V. ed. B. *quam;* volentes, opinor, *quum*, vel *cum*, uti in Π. scriptum est, et in Δ. *quando.*

Ver. 888. *petit:* sic, idoneis rationibus impulsus, ex conjecturâ rescribere non expallui. Codices antiquissimi sincerissimique, V. ed. L. M. Ω. neque aliter recentiores, Vind. B. Δ. Π. Σ. *perit;* omnia nimirum exemplaria præter P. qui habet *ferit:* hoc autem membranis deberi nullus arbitror, adeo libenter vel inscitior interpolare poterat ex præcedentibus. Hanc lectionem editores omnes arripuerunt: sed ille, qui animadverterit, quantâ cum industriâ Lucretius sermonem variare soleat in omnibus, divinationi meæ non ægre accessurus est. Jam vero, vix opus, ut admoneam, literas *r* ac *t* in Longobardicâ, quam dicunt, vel minore, scripturâ, nullo negotio commutari posse. Inspicias tamen, de hac re, criticum indicem.

Ver. 890. *tum:* P. B. *cum;* V. ed. *quum.*—*aër:* Ω. *uvor:* quæ notabilis est variatio; sed, unde traxerit originem, aut cui usui sit contra codd. reliquos, explorando non equidem sum.

Ibid. *rarescit corpus:* nempe, *motû* adhibito: redeas ad ver. 858—864.

Ver. 891. *mobilis:* i. e. *uvor mobilis*, ad lectionem membranarum Ω. vel *aër uvidus:* nam Virgilius quodammodo videtur huic scripturæ suffragari, ad geo. i. 417.

——— tempestas et cœli *mobilis humor*
Mutavere vias, et *Jupiter*, *uvidus* austris——:

quod non silentio prætereundum habui.—Mox, B. *largis.*

Ver. 893. *dispargitur:* ita P. V. ed. L.

Corpus ut, ac navis velis ventoque, feratur.
Nec tamen illud in hiis rebus mirabile constat,
Tantula quod tantum corpus corpuscula possunt
Contorquere, et onus totum convortere nostrum.
Quippe et enim ventus, subtili corpore tenuis,

M. O. Δ. Π. Σ. vulgo, *dispergitur.*—*quisque:* sic L. M. optime! venustissime! exquisitissime! ac longe longeque supra captum librariorum, qui statim ad hanc elegantiam offenderent, et in lectionem cæterorum exemplarium immutatum irent, *quasque* dico. Jam vero *quisque aër*, quasi *multi* fuerint *aëres*, multa foramina penetrantes. Nihil rectius. Omnem dubitationem, si quæ supersit, tibi tollet ver. 292. hujusce libri. Vitruvius, i. 1. "Disciplinam vero medicinæ novisse oportet, propter inclinationes coeli, quæ Græci κλίματα dicunt; et *aëres* locorum, qui sunt salubres, aut pestilentes—." Græci similiter: uti geop. scriptt. v. 17. 7. ix. 5. 7. et alii.

Ver. 894. *Corporis:* Π. *Corpus.*—*hoic:* P. ut editi, *hinc;* quod vulgarius, et in P. solo, ni fallor, invenitur.

Ver. 895. *Corpus:* sic P. B. reliqui omnes, *Corporis;* quod ferri possit, si accersas nomen *molem* a ver. 889. et *is* syllaba elidatur, ad veterrimorum consuetudinem: sed vulgata longe præstant, et Lucretii facilitatem multo magis resipere videntur. Porro, vice *ut ac*, evulgari solet *uti ut*, contra omnes libros, temeriter et insulsissime.—*ac* abest Ω.

Ibid. *velis ventoque.* Hæc per hendyaden dici debentur intelligi, pro *velis ventosis*, vel inflatis vento; i. e. feruntur pleno impetu: ad morem innumerabilium formularum similium, tam in soluti sermonis scriptoribus, quam ligati; vel pueris notissimarum: adeo ut correctoris inscitissime importuni sit versiculum divinationibus arbitrariis ideo vexare; quod fecit Gassendus, rescribens:

——— *remis* ventoque, feratur.

Si quis tamen putet in morbo cubare versum, emendationem longe probabiliorem dabo, et quæ veritati sit quam maxime affinis:

——— ac navis *undis*, ventoque, feratur.

Nam, conjunctis, vel quam proxime adductis, uti fit non raro, literis *e* et *l*, forma exsurgit a τῷ *ūdis* vix distinguenda. Qui codices vetustos oculis usurpaverint, tenebunt rem, et agnoscent. De hac autem confusione literarum, quas posui, te plura Drakenborchius docebit, ad Liv. ii. 16. 7. et 21. 1. ix. 43. 8. xl. 28. 2. Fautorem dabo conjecturæ, quæ multum mihi blanditur, et forte an vera sit, locupletissimum omnium testem, Virgilium dico, ad Æn. viii. 710.

Illam inter cædes, pallentem morte futurâ,
Fecerat Ignipotens *undis*, *et Iapyge*, *ferri*.

Jam vero lectoribus rem relinquo perpendendam, nihil interim in Lucretio novare hac occasione mecum statuens.

Ver. 897. *possunt:* M. Π. Σ. *possint.*

Ver. 899. *ventus tenuis:* Δ. voces transpositas habet, inscitiâ librarii, de versû timentis.

Ibid. *ventus tenuis.* Similiter Mantuanus ille, Æn. iii. 448.

——— verso *tenuis* quum cardine *ventus*
Impulit———

Ver. 900. *Trudit agens:* Π. *Trudita res.*—*molimine:* V. ed. B. *volumine.*—*navem:* Π. *navim;* sed nostrorum solus, et, opinor, omnium.

Ibid. *Trudit agens:* ut Virgilius, geo. iii. 412. *turbabis agens;* et Æn. i. 191. *miscet agens.*—Jam vero de verborum illâ duplicatione, *magnam magno*, diximus ali-

Trudit agens magnam magno molimine navem;
Et manus una regit quanto vis inpete euntem;
Atque gubernaclum contorquet, quo lubet, unum:
Multaque per trochleas, et tympana, pondere magno
Conmovet atque levi substollit machina nixu.

cubi in notis ad lib. i. et attigimus haud ita pridem, ad Bion. idyll. i. 8.

Ver. 901. *regit:* V. ed. B. *gerit;* solenni peccato librariorum.

Ver. 902. *gubernaclum:* V. ed. B. *gubernandum:* nec mirum, scribam indoctum sic erravisse; nam, *c* et *l* adhærentibus, hæ voces non discrepant, nisi lineâ transversâ superimpositâ: *gubernaclum, gubernādum:* Ω. *gubernaculum.*—*quo:* Π. *qua.* Hic autem opportunus obvenit memoriæ locus S. Jacobi, venustissimis merito annumerandus, cap. iv. com. 4. Ιδου, και τα πλοια, τηλικαυτα οντα, και ὑπο σκληρων ανεμων ελαυνομενα, μεταγεται ὑπο ελαχιστου πηδαλιου, ὁπου αν ἡ ὁρμη του ευθυνοντος βουληται.

Ver. 903. *trochleas:* Vind. *trudeas;* quod non distat, nisi literis *u* et *a*, secundum notata in versu præcedente: nam libri quidam scribunt, ut Ω. sine spiritu, *trocleas.*

Ver. 904. *subtollit* quidem clare Π. Vulgo, *sustollit;* sed unice verum arbitror *substollit:* pergas ad var. lect. in v. 459.—*nixu:* V. ed. O. *visu;* B. *nisi:* vulgari solet, *nisu;* sed nos antiquiorem orthographiam amplectimur. Diomedes grammaticus, lib. i. p. 371. "Nitor, niteris; perfecto, nisus sum: sed veteres immutantes *nixus* declinant," — etc. Vide sis etiam Priscian. lib. x. p. 904. sum.

Ver. 905. *quietem:* V. ed. *quieteē;* L. Π. Σ. *quiete:* facili errore, dixeris; et qui nasutum neminem morari debeat, utpote passim obversans. Sit sane: sed mihi valde probabile videtur, mores orationis Lucretianæ jam tandem non omnino ignoranti, haud aliter primitus poëtâ scriptum esse, quam ad lectionem paucorum codicum; ut constructio sit per tmesin, "Somnus perinriget membra quiete:" quâ formâ novimus illum delectari. Sic apud Tertull. Scorp. sect. 13. *perindigeamus* legitur; apud Varron. re rust. ii. 11. 7. *perinungunt;* et simile vocabulum in Alcimo Avito, i. 267. cujus pulchrum distichon, de *Nilo* flumine, lectori non invidebo:

——— tumido perrumpit flumine ripas
Alveus, et nigris campos *perinundat* arenis.

Sed absque mutatione textûs ut præterirem, potissimum Virgilii locus fecit, in Æn. i. 691. hinc adumbratus, vel, ut vere loquar, conformatus.

At *Venus* Ascanio placidam *per membra quietem*
Inrigat——.

Ibid. *Somnus quietem Inrigat:* Deus nempe, per προσωποποιΐαν, e cornu soporiferos liquores fundens: quod pulchre vidit Servius ad Virgilium, l. c. Elegantissime Statius, Theb. ii. 144.

——— Illos, post verbera fessos
Exceptamque hyemem, *cornu perfuderat omni*
Somnus——.

Cujus magnifici poëtæ versus ad v. 198. etiam, et vi. 27. ibid. lauti lectores cum voluptate perlegent. Hinc suavissimum Nasonem emendabo, ad epist. viii. 109.

Pro *somno*, lacrymis oculi *funduntur* obortis.

Vulgo, *funguntur.* Hinc etiam capias Ennium, fragm. p. 142. Hessel.

Quom *somno* sese *exsiccat* Romana juventus.

Hos secutus est Miltonus, Par. am. ix. 1044.

——— 'till *dewy sleep*
Oppress'd them.

Audacior est in hac re scriptor incertus epitomes Iliados, ver. 120.

Nunc, quibus ille modis Somnus per membra quietem
Inriget, atque animi curas e pectore solvat,
Suavidicis potius, quam multis, versibus edam;
Parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam
Clamor, in ætheriis dispersus nubibus austri.
Tu mihi da tenueis aureis, animumque sagacem:
Ne fieri negites, quæ dicam, posse; retroque
Vera repulsanti discedas pectore dicta:
Tutemet in culpâ quom sis, neque cernere possis.

———————— ille *sopore*
Corpus *inundatum* leni prostratus habebat.

Accedat his Valerius, Argon. iv. 16. ubi plura Burmannus contulit:

Quem penes alta quies, *liquidi*que potentia *somni*.

Libet etiam in transitu corrigere Corippum, i. 74. qui Maronis Æn. ii. 269. imitari voluit:

———— Quis nam temerarius hicc' est,
Qui placidos audet dominorum rumpere somnos,
Tempore quo dulcem nox intempesta quietem
Inrigat, et membro sopor est gratissimus omni.

Libri, *Ingerit:* et error videtur originem sumpsisse a literarum trajectione, τῷ *Ingirat* abeunte in corruptam vocem, quam sustulimus. Conferas porro Sil. It. x. 356.

Ver. 906. *atque* deest V. ed.—*curas:* V. ed. Π. *curaï se; Ω. cura se:* unde, quum, *aï*, *æ*, et *a*, sæpenumero confusa sint Lucretii librariis, non ineptæ conjecturæ locus est:

——— atque animi *curæ se* pectore *solvant*.

Ibid. *animi curas pectore.* Nam pectus est animi domicilium: unde pendet etiam Virgilianus versus, geo. iv. 83.

Ingentis *animos* angusto *in pectore* versant.

Tres sequentes versus supra leguntur, ver. 181.

Ver. 910. *tenueis aureis.* Figurata est locutio; quum, quoties arrigantur aures et *ὀρθιαι* fiant, eâdem operâ *tenues* evadant, vel acuminatæ, quodammodo. Hæc maxime vivida est et poëtica interpretatio. Hanc autem naturalis effectûs proprietatem, haud dubium est, quin voluerit atque innuerit Horatius, od. ii. 19. 4.

Nymphasque discentes, et *aures*
Capripedum Satyrorum *acutas*.

" *Acutas* et ad *audiendum*, et ad ipsarum " aurium figuram:" optime Acron. Neque aliter enarrator Cruquianus, " *Acutas*, " inquit, *erectas* ad audiendum." Plurimi sunt poëtarum loci in hanc rem spectantes; sed, ne longius evagemur, trivialia pueris relinquamus.

Ver. 911. *Ne:* Δ. Π. *Nec.*—*retroque:* Vind. V. ed. *retorque.* In versu præcedente, *da* abest Σ.

Ibid. *negites.* Hoc verbum, pluribus primi ordinis scriptoribus usurpatum, Horatio suo Bentleius optime vindicavit, ad epist. i. 16. 49.

———— Renuit, *negitat*que, Sabellus.

Eorum judicium, qui sentiant aliter legendum, vitiosæ nucis equidem non emerim.

Ver. 912. *discedas:* Δ. et fidelia Pii exemplaria, *discedant;* non male, sed minore cum vi et *ἐναργείᾳ*. Sensus autem loci sic declarari potest, ne tibi structura verborum videatur impeditior: " Et te " segreges a me, retrorsum cedens, cum " pectore veritatem meorum dictorum " aversato."—Porro, B. *pectora.*

Ver. 913. *Tutemet:* P. B. *Tutimet:* V. ed. *Tu timet;* Π. *Tu tumet;* Σ. *Trutines.* —*neque:* sic Vind. B. L. O. Δ. Π. Σ.

Principio, somnus fit, ubi est distracta per artus
Vis animæ; partimque foras ejecta recessit,
Et partim contrusa magis concessit in altum:
Dissolvuntur enim tum demum membra, fluuntque.
Nam dubium non est, animaï quin operâ sit
Sensus hic in nobis; quem quom sopor inpedit esse,
Tum nobis animam perturbatam esse putandum est,
Ejectamque foras: non omnem; namque jaceret
Æterno corpus perfusum frigore leti,

vulgo, *ne;* Ω. *nec.* Quasi dixerit: "Ne "tuæ mentis ἀβλεψία unice sit affinis "culpæ, qui ad verum obstinatissime ca- "liges."

Ver. 914. In Ω. versus hic huic loco deest, et rejectus est post ver. 929.—Cæterum, Epicuri verba, huc spectantia, et aliter scripta apud Diog. Laërt. x. 66. aliter autem in anecd. Villoisoni, multum habent difficultatis; ac, quum princeps editio non sit ad manum, nequeo, ut vellem, explicata lectoribus, et enucleata, coram sistere: nam in Meibomio nihil est subsidii; cujus editione vix alia est pejus procurata, sicuti scriptor nullus est, minus emendate publicatus, aut accuratiorum interpretum magis indigens. Doctos, opinor, rerum jejuna subtilitas absterruit.

Ver. 917. Pro *tum*, V. ed. habet *dum.*

Ibid. *membra fluunt:* quasi cum liquore somni circum fuso. Atque, ut hic Lucretius *membra fluere ac dissolvi* gemello Mortis dixit, ita Virgilius ipsâ Morte consimiliter, ad geo. iii. 524. Æn. xii. penultimo.

Ver. 919. *hic:* deest Π.—*quom:* Δ. *tum.*

Ver. 922. *perfusum frigore:* immersum scilicet gelidis *undis Leti,* non *Somni roribus* rigatum; ut ver. 905. Et conferas i. 356. 535. Apuleius, met. vi. p. 422.—"soporis nebulâ—*perfunditur.*"

Ver. 923. *remaneret:* i. e. *retro* posita *maneret*, in significatione maxime propriâ vocabuli; abdita et recondita in penetralibus. M. Tullius, Tusc. dispp. i. 12. "Expone igitur, nisi molestum est, pri- "mum *animos*, si potes, *remanere post* "*mortem.*"

Ver. 924. *cinere obrutus ignis.* Ex hac translatione C. Nepos videtur explicandus, de Pausaniâ disserens, iv. 1.—"nam, "ut virtutibus *eluxit*, sic vitiis est *obru-* "*tus.*"

Ver. 925. *reconflari sensus.* Perite et venuste perstat in metaphorâ. Nec minus venuste ad i. 474. ubi me videas:

——— Tyndaridis formæ *conflatus* amore
Ignis Alexandri——.

Ver. 926. *ut:* Ω. *et;* quod, multo elegantius, commendatum varietate, atque librariis bardis obnoxium, admissum volui.—*cæco:* P. *tecto;* ex glossemate, ni fallor: V. ed. B. *tacto;* unde eleganter tentare poteram:

——— ut ex igni *tacito* consurgere flamma.

Ovidius, remed. amor. 105.

Interea, *tacitæ* serpunt in viscera *flammæ.*

Silius Italicus, xi. 391.

——— *tacitas* in pectora mittere *flammas.*

Addas Statium, pariter loquentem, Theb. v. 445.

——— *tacitis* corda aspera *flammis*
Lemniadum pertentat amor——.

His lucem dabunt Heinsianæ commentationes, ad Ovid. amor. i. 2. 6. Valerius Maximus, denique, viii. 14. ext. 1. "Marathon nimirum animum ejus—*tacitis*

Quippe ubi nulla latens animaï pars remaneret
In membris, cinere ut multâ latet obrutus ignis;
Unde reconflari sensus per membra repente
Possit, et ex igni cæco consurgere flamma.
Sed, quibus hæc rebus novitas conflatur; et, unde
Perturbari anima, et corpus languescere, possit;
Expediam: tu fac, ne ventis verba profundam.
Principio, externâ corpus de parte necessum est,

"*facibus* incitabat." Quin etiam voces *tectus*, *tactus*, et *tacitus*, librarii permiscuere ad Lucan. v. 811. malim tamen receptæ lectioni Lucretianæ, *cæco* nempe, stari; codicibus etiam Pii confirmatæ: nec de nullo est imitatio Virgilii, Æn. iv. 2.

> Volnus alit venis, et *cæco* carpitur *igni:*

i. e. *se carpit*, mediæ vocis potestate; quod notandum: *ὃν θυμὸν κατέδων*, ut ille poëtarum pater.

Ver. 927. *conflatur:* editores audaculi, *confletur* importaverunt; quod putavi furcillis ejiciendum, priscis omnibus exemplaribus consensu summo plaudentibus.

Ver. 928. *Perturbari:* B. *Perturbata;* ad quam varietatem sic forent conformandi versus, punctis aliter dispositis:

> Sed, quibus hæc rebus novitas, conflatur et unde
> Perturbata anima——:

at vulgata sunt explicatiora. Poteras etiam, hinc exorsus, ad hunc modum constituere:

> Sed, quibus hæc rebus novitas conflatur, et unde,
> *Perturbatâ animâ*, corpus languescere possit.

Nos rem in medio relinquimus.

Ver. 929. *ventis verba profundam.* Similiter Mantuanus, Æn. ix. 312.

> Multa patri portanda dabat mandata; sed auræ
> Omnia discerpunt, et nubibus inrita donant.

Ver. 930. *externâ:* V. ed. O. *æterna.* —*necessum:* Vind. *recessum.* Mox, O. II. *Aëris.*

Ver. 932. *Tundier auris.* Maro, geo. iii. 382.

> Gens effrena virûm Rhipæo *tunditur Euro.*

Unde Priscianus, perieg. 106.

> Tyrrhenum *Zephyro*, Siculum sed *tunditur Austro.*

Similiter ibid. ver. 870. sic castigandus:

> Dives Arabs post quos latissima possidet arva;
> Quæ, protenta diu, cinguntur ab æquore Partho,
> Arabioque, *ferit Zephyrus* quod *flamine; sævi*
> Persica nam flatus Euroi litora turbant.

Vulgo legitur, *sævo;* distinctione ad finem versûs positâ. Propertius, ii. 20. 35. ut alii:

> Omnia perpetiar, *sævus* licet urgeat *Eurus.*

Aurelius Victor, de Cæs. 38. fin.—"specie ægri, ne *vento obtunderetur* acies, "gestabatur." Pariter Ovidius suavissime, met. x. 77. Midas ille poëticus, qui omnia, quæ tetigit, in aurum verterit purissimum:

> Esse deos Erebi crudeles questus, in altam
> Se recipit Rhodopen, *pulsum*que *Aquilonibus* Hæmon.

Claudianus etiam, nuptt. Hon. et Mar. 53.

> Hunc neque canentes audent vestire pruinæ;
> Hunc *venti pulsare* timent, hunc lædere nimbi.

Attendas autem velim, quantâ cum industriâ nitidissimus poëta ad Lucretii mei venustates, in iii. 19—22. se composuerit: locum redeas, perlegasque. Hinc statim discas, omnia in deteriorem partem dicere Claudianum voluisse, ac proinde verbum *vestire*, quod hilarius est jucundiusque, nullo pacto sedem suam tenere posse. Libri nimirum fluctuant inter *vestire*, *sperare*, et *spectare;* unde

Aëriis quoniam vicinum tangitur auris,
Tundier, atque ejus crebro pulsarier ictu:
Propterea que, fere res omnes aut corio sunt,
Aut etiam conchis, aut callo, aut cortice, tectæ.
Interiorem etiam partem spirantibus aër
Verberat hicc' idem, quom ducitur, atque reflatur.
Quâ re utrimque secus quom corpus vapulet, et quom
Perveniant plagæ per parva foramina nobis

egomet scribarum facinus, exquisitiorem dictionem proturbantium, subodoratus sum, et genuinam poëtæ scriptionem resuscitare tibi, lector! quivi:

Hunc neque canentes audent *spurcare* pruinæ:

i. e. fedare, *violare* Lucretianum: quod ipsa res est, et Atticam sapit elegantiam.

Ibid. *ejus:* i. e. aëris; quæ continetur vox in periphrasi *Æriis auris.*

Ibid. *pulsarier.* Virgilius, Æn, iv. 249.

——— cinctum adsidue cui nubibus atris
Piniferum caput et *vento pulsatur*, et imbri.

Pro *cui*, liber unus, *qui:* lege, *quoi.* Rursus, vice *pulsatur*, quædam exemplaria, *quassatur;* etiam bene, sed pro vulgatâ lectione noster Lucretius propugnat. Confer dicta, ad ii. 328.

Ibid. *ictu crebro.* Idem, ibid. xii. 713.

——— tum *crebros* ensibus *ictus*
Congeminant———.

Ver. 933. *que:* Vind. *quod;* V. ed. *quo;* et *fore.*—Ω. autem, *omnis.*

Ibid. Festivum est animadvertere, quo modo poëta noster se fefellerit, super his finalibus caussis, re verâ concedens omnia, quæ laboriosis argumentis conatus erat refellere, atque funditus evertere, superius, ver. 821. ad ver. 856. Is est futilium philosophorum stupor atque inconstantia! et tam certe de Veritate dici potest, quam de Naturâ;

——— expellas furcâ, tamen usque recurret,
Et mala perrumpet sensim fastidia victrix.

Ver. 934. *etiam conchis aut:* sic L. M. optime; P. *etiam conclusæ ut;* Vind. V. ed. Π. Σ. *etiam conclusa ut;* quæ lectio, si interius attendas, receptæ vix, aut ne vix quidem, distat; nam *lu*, et *hi*, in minusculâ scripturâ, tantum non idem sunt: O. Ω. *cute conclusæ aut;* Δ. *seta aut conchis aut.—callo:* Vind. V. ed. L. M. Δ. Π. *gallo.—tectæ:* V. ed. *tactæ;* Π. *rectæ;* et mox, ver. 936. *hoc.*

Ver. 936. *Verberat aër:* confer ver. 260. i. 272.

Ibid. *ducitur aër;* ut vi. 1127. *ducimus auras:* i. e. haurimus, imbibimus; hinc *vitam ducere*, pro peragere, quia spirando vivitur hominibus. Arnobius, lib. vii. p. 226. "Relinquite infelicissi-"mas pecudes—cœli *animam ducere.*"

Ver. 937. *utrimque secus:* i. e. ex utrâque parte; internâ scilicet, externâque. Cato, de re rust. xxi. 2.—"dextrâ, sinis-"trâ, foramina *utrimque secus*, laminas." Formulam ille scitissimus Apuleius frequentavit. Exemplo sit, met. ii. sub init. p. 92. "Canes *utrimque secus* latera deæ "muniunt." Ad quem locum doctissima Oudendorpii nota, Lucretium quoque nostrum non obliti, omnia complexa est, et nobis permittit otiari.

Ver. 938. *Perveniant:* Π. *Perveniat;* cui deest etiam codici *per.*

Ver. 942. *sic ut:* ita P. V. ed. soli; Vind. B. L. Σ. *sic uti;* M. O. Ω. *fit uti;* unde sic constitui possit locus:

Conturbantur enim positurae principiorum
Corporis; atque *homini fit utei* pars inde animaï
Eliciatur———.

Corporis ad primas parteis, elementaque prima;
Fit quasi paullatim nobis per membra ruina:
Conturbantur enim positurae principiorum
Corporis atque animi; sic, ut pars inde animaï
Eliciatur, et introrsum pars abdita cedat;
Pars etiam, distracta per artus, non queat esse
Conjuncta inter se, neque motu mutua fungi:
Inter enim sæpit cœtus natura, viasque;

Huic autem divinationi plus confidimus, quia nulla fiat *animi* mentio per totam hanc de *somno* disputationem. Denique, *sic*, omisso *ut*, Π.

Ver. 943. *Eliciatur:* i. e. exteratur, exturbetur, expellatur: redi notata, ad iii. 496. nam audaculi editores, habitis contemptui codicibus, uno ore receptam lectionem asserentibus, commentitiam vocem *Ejiciatur* intro duxere. Cicero, de nat. deor. ii. 9.—" lapidum *conflictu*, atque " tritu, *elici* ignem videmus:" ubi certissime notio *violentiæ* dictioni subest. Glossator vetus: " *Elicuit*, ἐξεβιάσατο."

Ver. 944. *queat:* V. ed. B. *querit;* quasi pro *quierit;* quod tamen nullo pacto ferendum foret.

Ver. 945. *neque:* Vind. Δ. *nec;* prout evulgari solet.—*fungi:* Δ. *fongi.*

Ibid. *motu mutua fungi:* i. e. " mu- " tua *officia* fungi *per* motum." Hic ordo est ac constructio; redi nos ad iii. 734. Hoc regimen casûs quarti cum verbo *fungor* fecit, ut editores non intelligerent Ovidium, trist. v. 5. 16.

Sique quod instabat dominæ, miserabile *vulnus*
Sit *perfuncta* meis tempus in omne malis:

i. e. " sit perfuncta hoc vulnus in æter- " num per mea mala." Ita capiendi sunt, et distinguendi, versus suavissimi.

Ver. 946. *sæpit:* P. *sepit et;* Vind. B. Δ. Π. Σ. *sepe;* V. ed. *sæpe et;* Ω. *sepsit.* —*cœtus:* i. e. coïtus, vel conjunctionem partium, modo memoratam: V. ed. *coctus;* permutatione solitâ elementorum *c* et *e*. Temerarii editores, contra libros universos, inferserunt ex arbitrio, *aditus:* quod nos ejecimus indignabundi.

Ver. 947. *abit alte:* i. e. penitus recedit, concedit *in altum*, ut ver. 916. superius. Virgilius, ut alibi, sic geo. iii. 422.

—— jamque fugâ timidum caput abdidit *alte.*

Ver. 948. *quasi quod subfulciat.* Caute loquitur et perpense: usus formulâ, quæ rem significat difficilem comprehendi verbis; et quam tacito magis sensu quis percipiat, quam orationis ope declaratam dare. Potestas moderatrix vocis *quasi* ludificata est magnos viros ad Florum, iii. 6. 14. " Idque prospectum singulari " consilio ducis; qui maritimum genus a " conspectu longe removit maris, et me- " diterraneis agris *quasi* obligavit." Nimirum, τὸ *quasi* rem παρὰ προσδοκίαν et ὑποσολοικον temperare vult; nam post vocem *mediterraneis* exspectavisses *aquis*, non *agris.*

Ver. 949. *que* deest omnibus præter emendatissimos et veterrimos L. M. unde in contextum revocavimus: quum tardior et ponderosior hinc versus fiat, atque adeo cum re depictâ longe convenientior.

Ver. 950. *cubanti:* sic, quantum intelligo equidem, omnes libri; certe omnes antiqui, his oculis usurpati, cum Nonio Marcello, iii. 164. editores tamen de suo nobis *procumbunt* audacter deprompsere.

Ibid. *poplites.* Modo syllabam porrexerat, non raro minus exemplo, ante easdem consonantes, ad ver. 208.

Ergo sensus abit, mutatis motibus, alte.
Et, quoniam non est, quasi quod subfulciat artus,
Debile fit corpus, languescuntque omnia membra;
Brachia, palpebræque, cadunt; poplitesque cubanti
Sæpe tamâ submittuntur, viresque resolvunt.
  Deinde, cibum sequitur somnus, quia, quæ facit aër,
Hæc eadem cibus, in venas dum diditur omneis,
Ecficit: et multo sopor ille gravissumus exstat,

Ver. 951. Versus deest Vind. Δ. Π. Σ.—*tamâ:* libri, *tamen;* sed ita locum eximiâ cum sagacitate Vossius restituit. "*Cubantem tamam* dicit," præclari emendatoris verbis utor, "quod deorsum "ad pedes tendat: sic supra, ver. 520. "*cubantia tecta. Tama* quid sit, docet "Festus." Ita scilicet vetus grammaticus: "*Tama* dicitur, cum labore viæ "sanguis in crura descendit, et tumorem "facit." Non certum est vocem alibi occurrere: adeo ut in tantâ insolentiâ minime mirum, depravatam nobis per librariorum manus devenisse.—Ω. *tam̄.*

Ibid. *viresque resolvunt.* Intransitive dictum est more Lucretianissimo, pro *resolvuntur*, vel se solvunt: aliter constructio loci foret perturbata. Miror exemplum simile Plautinum Bentleio displicuisse, Amphit. ii. 2. 73.

Si obsequare, unâ *resolvas plagâ:*

nam in margine exemplaris, quondam sui, penes me, vir magnus scripsit legendum, vel *rem solvas*, vel *te solvas:* quod ei non assentior. Hinc nullus dubito, quin glossator vetus emendandus sit: "*Resolvo*, ΕΚΛΥΤΟΙ, *και* ΔΙΑΛΥΕΤΑΙ." Vulgo, *ευλυτο, και διαλυετι.* Partim verum vidit Vulcanus.—In sequente, V. ed. *sæpe*, pro *quæ.*

Ver. 953. *Hac eadem cibus Ecficit:* nempe, inferiora corporis plagis versat et defatigat; unde conturbatio principiorum et animæ distractio consequuntur.—Cæterum, vice *dum*, Ω. *cum.*

Ver. 954. *exstat.* Vossius, in art. gramm. i. 43. recte contra nonnullos contendit, hoc verbum et similia sic scribenda esse; non autem, *extat.* Nimirum Latini, sicuti *ab* et *abs*, *di* et *dis*, *ob* et *obs*, *sub* et *subs*, passim usurpabant; ita non minus *ec* et *ecs*, vel *ex:* quod exemplis innumerabilibus ad liquidum, si postularet res, perduci posset. Errant passim Græcorum scriptorum editores, qui *προς-σαινω*, et consimilia vocabula, cum simplice sigma pergunt exhibere. Hinc etiam manifestum est, nonnihil falli Canterum, acumine raro virum, et non vulgariter eruditum, in notis ad Ciceron. epist. fam. vii. 18. cujus tamen ipse judicio subscribens in Lucretio mallem exaratum *ecstat, ecsilio, ecsisto;* ac pariter in similibus: quæ disputatio vereor ne nonnullis difficile nugandi genus videatur; nobis licet, diversa sentientibus, nulla veritas, etiam in his rei criticæ tenuissimis, vel spernatur, vel sperni possit.

Ver. 955. *capias* deest Ω.—*quia:* V. ed. *qui.*

Ver. 956. *contusa:* quidam male volunt, *concussa;* libris repugnantibus: confer sis verr. 932. 937. 938. Dictionem pulchre transtulit ad *mentem* Virgilius, sensu germanissimo, geo. iv. 240.

*Contusos*que *animos*, et res miserabere fractas—.

Eadem vox reponenda videtur in epig. 249. lib. ii. Anthol. Lat. Burm. quo lautius ferculum delicatiusque ab antiquitate puriore traditum non accepimus: atque adeo, si integrum apponatur, et potissi-

Quem satur, aut lassus, capias; quia plurima tum se
Corpora conturbant; magno contusa labore.
Fit ratione eâdem conjectus parte animaï
Altior, atque foras ejectus largior ejus;
Et divisior inter se, ac distractior, intus.

mum quum sit sanctissimæ amicitiæ *Θρηνῳδία*, lectori gratificabitur.

> Ablatus mihi Crispus est, amici!
> Pro quo, si pretium dari liceret,
> Nostros dividerem libenter annos.
> Nunc pars optima me mei reliquit:
> Crispus, præsidium meum, voluptas,
> *Decus*, deliciæ: nihil sine illo
> Lætum mens mea jam putabit esse:
> *Contunsus* male, debilisque, vivam.
> Plus quam dimidium mei recessit!

In versu sexto, scribitur vulgo, *Pectus;* ex interpolatione fortasse cujusdam tenuiter docti, metro tibicinem supponere pravo studio festinantis. Pro *contunsus* autem, libri, *consumtus;* transpositis literis, ac leviter mutatis. De voce *contundo*, vide Cortium, ad Sallust. Jug. 43. fin.

Ver. 957. *conjectus:* i. e. collectio, animâ se conjiciente, et abstrudente: adi dicta in ii. 960.

Ibid. *parte:* i. e. ex parte: nam partim animæ se membris intimis recondit, partim foras ejicitur. Pius, pro *parte*, edidit *porro;* quem secuta est editorum turba. Nobis autem ea lectio hodiernam correctionem resipit, neque admittenda videtur, contra librorum sane universorum testimonium. Mox, Π. *formas*, pro *foras*.

Ver. 959. *divisior:* P. *divosior;* inepte: distractis nempe compositturis literæ *d*, et *i* cum *o* mutatâ.—*se* abest V. ed.

Ibid. *Et divisior ac distractior.* Tria nimirum affirmantur: 1. Partem animæ foras ejici; 2. Partem in artus penitius contrusam; et 3. Illam ipsam partem diffusione multâ spargi. Ita superius, ver. 942—947.

Ver. 960. *Et:* M. *At.*—*quo:* M. *quod;* vulgares editiones, *quoi*, libris universis aliud edicentibus; non præter solitum temerariæ et audaces.—*defunctus:* ita venustissime, et loco summe congruenter, scriptum comparet in P. Vind. V. ed. B. Π. Σ. i. e. "quoties aliquis negotium "perfecerit, nec tamen ab illo mentem "adhuc abalienavit." Quid planius, et appositius? Vulgo, *devinctus;* quod cum *adhæret* quis probaverit? Quidam codices Pii, *devictus*. Exempla autem congerere, hunc sensum verbi *defunctus* illustrantia, me nihil attinet, utpote passim occurrentia: et, qui velit interea omnem hunc locum Lucretii, fuse et eleganter repræsentatum, legere, is se recipiat ad versus Petronianos, in satyr. cap. civ. et Claudiani præfat. in sext. cons. Honorii.

Ver. 961. *multum ante moratei;* nec *defuncti* tamen; scilicet ut a præcedentibus hæc rite distinguantur.

Ver. 962. *in eâ.* Sic structuram sermonis passim noster solet variare, et artificio suavissimo condire. Nonne est igitur audacia editorum odio maximo habenda, quæ reposuerit *in quâ;* fide omnium veterum exemplarium pedibus subjectâ? Hic autem versus cum præcedente artissime devincitur. "In quâ re nempe "multum morati sumus, et cum magnâ "animi contentione."

Ibid. *contenta mens:* i. e. *se contendens*, vel omni vi connisa. Nazarius, paneg. Constant. Aug. sect. xxvii.—"neque revocare inde orationem fas est, "quo jam dudum *contenta* veniebat:—" quem locum Jaëgerus optime tuitus est, atque erudite, contra inscitissimum emendatorem. Vide me in Silv. Crit. sect. cxix. et alicubi in his notis. Sic noster, i. 325. "*contenta* acies oculorum:" quod

Et, quo quisque fere studio defunctus adhæret;
Aut quibus in rebus multum sumus ante moratei,
Atque in eâ ratione fuit contenta magis mens;
In somnis eadem plerumque videmur obire:
Caussidicei caussas agere, et conponere leges;

contuitu destinato similiter vocat Ammianus Marcellinus, xxii. 2.

Ver. 963. *somnis:* Σ. *somniis.*—*videmur:* Π. *videtur;* Σ. Ω. *videntur;* ex correctoribus, exquisitiorem evulgatæ lectionis indolem, quæ fuit eorum inscitia, non resipientibus. Quin et Virgilius locum in animo habuit, ad Æn. xii. 908.

Ac, veluti *in somnis*, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequidquam avidos extendere cursus
Velle *videmur*——.

Ibid. *In somnis eadem.* Plutarchus, de plac. phil. v. 2. *Δημοκριτος τους ονειρους γινεσθαι κατα τας των ειδωλων παραστασεις.* In cujus verba, ut plurimum, novimus Epicurum juravisse.

Ver. 964. *conponere leges.* Quidam lectum volunt, *conponere lites;* Preigero comprobante. Nimirum sensus locutionis Lucretianæ non percepta est. *Componere leges* igitur vult, "eas conditiones "definire, quibus lites dirimantur, et fiat "reconciliatio litigantium:" quod erat haud dubie probiorum subinde caussidicorum, annis melioribus, officium. Olor Mincianus, Æn. xii. 315.

——————— Ictum jam fœdus, et omnes
Compositæ leges——.

Hic versus autem cum sequente in O. desunt; eo quod vox eadem duos versus claudens oculum librarii deceperit.

Ver. 965. *Induperatores.* Specimina antiquissimæ hujusce formulæ nonnulla videas in notis ad i. 83. Glossarium vetus: "*Indupero, επιταττω.*" Idem habet: "*Endodicarit, μηνυσει. Endoclusa,* "*ενκεκλεισμενη:*" et alia quædam leviter corrupta; quibus corrigendis haud vacat immorari. Hesselius in fragmentis Ennianis sæpius scripsit *endoperator*, contra castiorum librorum, ni fallor, testimonium; et falsus est, cum affirmat, haud aliter legi in optimis exemplaribus Lucretii. Edi solet *induperator* ad Juvenal. x. 138. neque aliter scriptum offendi in Cantabrigiensi codice, nec Taylorus in altero scholæ regiæ Salopiensis; cujus collationes, et apparatus editionis novæ copiosus, in exemplaris margine comparent, quod, post viri doctissimi mortem, in bibliothecam publicam Academiæ Cantabrigiensis mox concessit. Emendationem Ennii apud Festum, voce *Navus,* Scaliger occupavit; qui tamen sensum poëtæ male videtur accepisse:

Navorum inperiom servare est *induperantum:*

i. e. "Strenuorum est gubernatorum "rempublicam salvam dare." Libri, *insuperantum.* Dum in hoc sum, corrigam versiculum in Anthol. Lat. Burm. iii. 109. 7.

Nosce, inquit, tete, Chilon Lacedæmone cretus:
Cecropiusque Solon, Ne quid nimis, *induperavit.*

Vulgo, *induperabit.* Sed *v* passim in *b* migrat, ob soni similitudinem: ac vicissim. Ita postmodum Schefferum correxisse vidi, ad Hygin. fab. ccxxi. Munckero inscitissime repugnante.

Ibid. *pugnare, ac prælia obire.* Arnobius, lib. ii. p. 91.—"aut, *Martium* "*discrimen obeuntes,* spem prælii sumitis, "et ex acuminibus auspicatis?" Virgilius, Æn. vi. 167.

Et lituo *pugnas* insignis *obibat,* et hastâ.

Ex hoc autem somniorum negotio Silius Italicus visionem vere poëticam, et egregiâ pulchritudine, feliciter imaginatus est, de Hannibale, Pun. i. 64.

Induperatores pugnare, ac prælia obire;
Nautæ contractum cum ventis degere bellum;
Nos agere hocc' autem, et naturam quærere rerum
Semper, et inventam patriis exponere chartis.
Cætera sic studia, atque artes, plerumque videntur

Jamque aut nocturno penetrat Capitolia visu,
Aut rapidis fertur per summas passibus Alpes.
Sæpe etiam famuli, turbato ad limina somno,
Expavere trucem per vasta silentia vocem;
Ac largo sudore virum invenere futuras
Miscentem pugnas, et inania bella gerentem.

Lectioni *limina*, quam nonnulli pessime volunt in *lumina* depravare, versus festivi, sed spurcissimi tamen, Martialis patrocinantur, xi. 105. 13. Ovidium imitati. Rem nequissimam præstrinxit nequissimus Comicus in Lysistratâ; et alii quidem bene multi.

Ver. 966. *degere:* M. *degerere;* mendosâ repetitione ejusdem syllabæ, solenni librariis. Lambinus, quem secuti sunt editores, reposuit certissimâ, uti ille dicit, et inexpugnabili conjecturâ, ut egomet vero dixerim, futili et impudente, *cernere.* Hoccine est antiquos scriptores edere, conjecturas arbitrarias in locum lectionum, libris omnibus vetustis exhibitarum, passim et sine religione sufficere? *Degere bellum* ponitur, planâ nimium et elegante phrasi, ut *degere vitam;* i. e. administrare, ducere. Hinc Plautus, Aulul. ii. 1. 43. emendandus est ex Nonio, iv. 17.

Nunc ego istum, soror, laborem *degam*, et diminuam, tibi.

Vulgo, *demam;* longe ineptissime in hoc loco. At castigandum est etiam, *deminuam;* quam vocem altera millies immerito proturbavit: sed hæc disputatio, ob multiplices librorum corruptelas in his dictionibus, multo longior est, quam quæ juste peragi possit hisce commentariis jam nunc, per se prolixis nimium. *Degam laborem:* i. e. suscipiam et exantlabo; *agam* denique. Non alia est vocabuli ratio in Thebaïdos conditore, lib. vi. ver. 830.

——————— sic *otia* pacis
Degere, et armiferas laxare assueverat iras:

i. e. disponere, implere, agitare. Auctor quoque Culicis, ver. 72.

Otiaque invidiâ *degentem*, ac fraude, remotâ.

Dego nempe Latinum, si attendas, purum putum est *διαγω* Græcorum. Glossator vetus: " *Dego, διαγω.*" Jam vero *διαγειν πολεις, πραγματα, το κοινον*, et phrases similes, scriptoribus passim frequentantur. —Porro, pro *bellum*, B. habet *duellum*, M. *velum*, et V. ed. *vellum*.

Ibid. *contractum bellum:* i. e. initum, commissum; ut *contrahere amicitias, invidiam, culpam*, ac consimilia, satis nota vel tyronibus. Livius, v. 37. 5. "Tribuni, "quorum temeritate *bellum contractum* "erat, summæ rerum præerant." Ubi alia apposita optimus contulit Drakenborchius.

Ver. 967. Aliter ordinat verba Π. non male:

Nos *autem hos agere*, et—.

Porro, noster in hoc loco uberius exposuit, et adornavit, brevem *ῥησιν* Theocriteam, quæ legitur in idyll. xxi. 44.

——————————— *και γαρ εν ὑπνοις*
Πασα κυων αρτως μαντευεται, ΙΧΘΥΑ Κ'ΗΓΩΝ.

Ibid. *agere hocc'*. Hinc forte versus Papinianus, quem verissime exposuit præstantissimus Marklandus, silv. i. 3. 23. medicinam leniorem accipiat, et persanetur inde:

Pieriosque dies, et, *agentes* carmina, somnos:

i. e. tractantes, vel agitantes, carmina. Vulgo, *aventes:* editor doctissimus, *habentes;* quod nostro tentamine minus exquisitum videtur, ac poëticum quidem minus.

In somnis animos hominum frustrata tenere:
Et queiquomque, dies multos, ex ordine ludis
Adsiduas dederint operas, plerumque videmus,
Quom jam destiterunt ea sensibus usurpare,
Reliqüas tamen esse vias in mente patenteis,

Ver. 969. *artes:* V. ed. *arces;* de quo peccato scribarum, vide var. lectt. ad Virg. geo. ii. 172. Claudian. tert. cons. Honor. 61. et præfat. in Eutrop. ii. ver. 21. Ovid. fast. iii. 321. Sic alibi sæpius erratum est.

Ver. 970. *frustrata:* i. e. fallentia, ludificantia, in somnis. Hinc apte et eleganter Stilichonis commendationem Claudianus profecto petiit, de laudd. Stil. ii. 140.

> ———————— Non prava libido
> Stupris advigilat: non tempora *somnus* agendi
> *Frustratur*—.

Ubi miror Heinsium tentantem, *furatur.*

Ver. 971. *dies:* Π. *homines:* nempe *d* in *o* migraverat; deinde accrevit etiam spiritus: *dies, oïes, hoïes.*—*multos:* P. V. ed. B. Δ. Π. Σ. *multas;* sed obstant magistri veteres: et forte an vocem ad *operas* librarii retulerint. Sane, ad Ciceronis orat. pro Cn. Plancio, sect. 41. " O *reli-* " *quos* omnes dies, noctesque eas—!" nonnulli codices, et in iis Oxonienses quidam, habent *reliquas.* Neque equidem temere affirmaverim, *dies* feminini generis in numero multitudinis non esse ex archaïsmis Lucretianis: nec aliter hic scriptum reliquissem, si membranæ Leidenses consentirent; quæ videntur lectioni receptæ suffragari.

Ibid. *dies multos ex ordine.* Similiter Virgilius, geo. iii. 341.

> —— *diem,* noctemque, et *totum ex ordine mensem.*

Ver. 972. *dederint:* O. Π. *dederit;* editores audacter, *dederunt;* contra codices. Gifanius sane dicit scribi *dederunt* in veteribus libris; et Apellis, per me licet, persuadeat hoc *αυτος εφα:* nos minime auscultamus.

Ver. 973. *destiterunt:* sic L. M. reliqui, *destiterint;* ut vulgari solet.

Ver. 974. *Reliqüas:* P. O. Ω. *Relliquias;* Π. *Relliquas.*

Ibid. *Reliqüas.* Hanc potestatem liquidæ literæ, quasi geminatæ, sæpissime adhibuit, more veterum, Lucretius; id, quod per se arrectus lector observaverit. Apposite Matius, Il. xx. apud Diomedem, p. 386.

> Ille hietans herbam moribundo *tenuit* ore.

Liquidarum vero literarum geminationem, et aliarum nonnullarum, videtur, ut non maluisse, ita in poëtis non prorsus improbavisse, Cassiodorus; quem consulas, si tanti sit, in cap. x. de orthographiâ. Cum illo facit Marius Victorinus, lib. i. p. 248. Hi tamen, ut putem, grammatici voluntatibus potius æqualium suorum atque auribus obsecundabant, quam veram proprietatem germanæ antiquitatis asserebant, literas non geminantis, ut alicubi disertissime Festus testatus est.

Ver. 975. *possint:* L. *possunt.*—*rerum:* V. ed. B. *rebus.* Χαιρε vero, lectio venustissima! lectio verissima! *χαιρ' αυθις.* *Simulacra eadem rebus:* i. e. " eâdem cum " virtute et efficaciâ, ac si res ipsæ coram " obversarentur." Nimirum, regimen exquisitius librarios fefellit, et immutandi pruriginem excitavit: at enim nihil novi magis Lucretianum. Sic ille, iii. 1051.

> Sceptra potitus, *eâdem aliis* sopitus quiete est.

Ubi nos hanc elegantiam ubertim exemplis adductis illustravimus, adeo ut hac occasione saltem otiari liceat.

Ver. 976. *Per multos:* sic divise P. V. ed. O. Δ. Ω. et placet ob ver. 971. vulgo,

Quâ possint eadem rebus simulacra venire.
Per multos itaque illa dies eadem obvorsantur
Ante oculos, etiam vigilantes ut videantur
Cernere saltanteis, et mollia membra moventeis;
Et citharæ liquidum carmen, chordasque loquenteis,
Auribus adcipere; et consessum cernere eumdem,

Permultos.—eadem: Δ. *cadere; e* scilicet primum in c migrante, mox *cadere* factum est ex *cadē.—obvorsantur:* P. Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. *observantur.* Eadem confusio est ad Valer. Max. v. 6. 2. i. 7. 7. in loco nobis opportuno:—“ iterum quieti “ et somno se dedit: atque *eadem* animo “ ejus *obversata est* species.” Profecto, ut summatim loquar, quotiescunque verbum *obversor* veniat, ferme toties cum *observor* commutatum librariis reperies.

Ver. 978. *mollia membra:* ut ver. 791. *mollia brachia;* et ver. 790. eisdem vocibus: ubi notam inspice. Ovidius vocavit *Facilia membra*, in loco nobis opportuno, fast. iii. 536.

Illic et cantant quidquid didicere theatris,
Et jactant *faciles* ad sua verba manus.

Ver. 979. *citharæ liquidum carmen* velim id intelligas, “ quod Musæo melle “ contactum, puras *guttas* dulcedinis in “ aures *stillet.*” Eum elegantibus hominibus haud egomet annumerem scilicet, qui vulgus interpretum sequatur ad Theocritum, i. 7. nec *liquidum*, æque ac *canorum*, fontem sentiat subindicari:

'Αδιον, ω ποιμαν, το τεον ΜΕΛΟΣ, η το καταχες
Την' απο τας πετρας ΚΑΤΑΛΕΙΒΕΤΑΙ ὑψοθεν
ὑδωρ:

i. e. “ tuum *carmen* dulciori flumine *de-* “ *stillat*, quam fons e scopulo.” Ita locus capiendus est. Accedat his Horatius, od. i. 24. 2. satis opportunus:

——————— præcipe lugubris
Cantus, Melpomene! cui *liquidam* pater
Vocem cum *citharâ* dedit.

Ubi non sunt ferendi, qui το *lugubris* cum *Melpomene* velint sociare. Et, per *citharæ carmen* in Lucretio, “ cantorem ci- “ tharæ accinentem” soleo intelligere: notam inspicias superius, ad ver. 589. Silius Italicus, xi. 416. ubi Drakenborchius consulendus est, locutionem illam, de quâ nunc agitur, exemplorum vi suaviter illustrans:

Bacchi dona volunt, epulasque, et *carmina*, rursus,
Pieriâ *liquefacta lyrâ.*

Locum Heinsius audacter et infeliciter solicitavit. Multam efficaciam το *rursus* habet; quod vidit editor doctissimus: atque ad unamquamque clausulam referendum est; quod non vidit.
Hinc autem, codicibus obsecutus, nitori suo perelegantem Ovidii locum, male administratum editoribus, restituam. Legitur in fast. ii. 115.

Ille *sedet*, citharam *quatiens;* pretiumque vehendi,
Cantat, et æquoreas *carmine* mulcet aquas.

Carmine: i. e. tam *citharæ*, quam *vocis.* Male codex Vat. *pectine.* Quin etiam vulgo scribitur:

Ille *sedens* citharamque *tenet*—.

Quæ plebeia sunt, et nullo pacto cum nostris comparanda, χαλκεα χρυσειων scilicet. *Quatiens* nimirum, κρουειν, τιναςσειν. Statius, Achill. ii. 442.

——————————— nec major in istis
Sudor, Apollineo quam fila sonantia plectro
Cum *quaterem*—.

Idem castigatissimus poëta, silv. ii. 2. 114.

Seu nostram *quatit* ille *chelyn*, seu dissona nectit
Carmina—.

Locum Achillis Tatii, i. 5. appositum, cu-

Scenaïque simul varios splendere decores.
Usque adeo magni refert studium, àtque voluntas;
Et, quibus in rebus consuerint esse operatei
Non homines solum, sed vero animalia cuncta.
Quippe videbis equos forteis, quom membra jacebunt
In somnis, sudare tamen, spirareque, semper;

jus sermo est ibidem multâ curiositate elaboratus, accuratius interpunctum dabimus: Ὡς δε ημιν απο τυ δειπνυ, παις εισηλθε, κιθαραν ἁρμοσαμενος, (*qui sibi citharam aptaverat:* confer Pers. sat. v. 95.) τυ πατρος οικετης· και, ψιλαις το πρωτον ΔΙΑΤΙΝΑΞΑΣ ταις χερσι, τας χορδας εκρυε, και τι κρυματιον ὑπολιγυηνας ὑποψιθυριζυσι τοις δακτυλοις, μετα τυτο, ηδη τῳ πληκτρῳ τας χορδας εκρυε· και, ολιγον ὁσον κιθαρισας, συνηδε τοις κρυσμασι.

Ibid. *chordas loquenteis.* Maro, ecl. viii. 22.

——— argutumque nemus, pinosque loquentis:

quam lectionem docte asseruit Heinsius, Lucretii tamen nostri non recordatus.

Ver. 980. *consessum:* sic solus Π. uti vulgo publicatur; reliqui omnes, *consensum;* perfacili errore: quidam codices Pii, *concentum;* non male, nec sine exemplo quidem. *Cernere concentum* scilicet, ut Æschylus, sept. Theb. 103.

ΚΤΥΠΟΝ ΔΕΔΟΡΚΑ,
ΠΑΤΑΓΟΝ τ' ουχ ἑνος δορος.

Neque aliter Homerus, hymn. Apoll. 264.

Ενθα τις ανθρωπων ϐυλησεται ΕΙΣΟΡΑΑΣΘΑΙ
Ἁρματα τ' ευποιητα, και ωκυποδων ΚΤΥΠΟΝ ἱππων.

Recepta tamen dictio plus habet simpucitatis, me saltem judice, et commoditatis sensui idoneæ.

Ver. 981. *Scenaïque:* V. ed. *Scenentque;* Σ. *In scenâ atque;* Ω. *Nunc scenam atque.* Suspicio est corruptelæ. Non displiceret:

In scenâque simul varios splendere decores.

Denique, pro *decores,* Π. *decoros* habet.

Ibid. *varios decores:* i. e. floridâ pulchritudine nitores. Ammianus Marcellinus, xviii. 10.—"unde subitâ animi consternatione, defensores, armorum *varietate* præstricti, se cunctosque prodidere, "qui ad præsidia confugerant." Constructio, et sensus, est: "Consternatione "animi *illos* inde *subeunte,* defensores, "confusi *splendoribus* amorum, se pro- "didere." Idem ibid. cap. 2. "Et Ma- "crianus quidem, cum fratre inter aquilas "admissus et signa, stupebat armorum "viriumque *varium decus.*" Ubi scribendum forsitan, "armorum *virorumque:*" i. e. tam fulgorem signorum, quam *militum.*

Ver. 982. *refert:* P. V. ed. O. Δ. Π. Ω. *referunt.*—*atque:* Π. *que;* et mox, *solum* pro *cuncta.*

Ver. 985. *membra jacebunt In somnis.* Ita Virgilius, Æn. iii. 150.

——— visi ante oculos adstare *jacentis In somnis*—.

Qui loci mutuas operas sibi vicissim pulchre navant: conficitur enim ex Lucretio, voces Virgilii perperam conjunctas esse, scribendo *Insomnis;* et ex Virgilio contra, male distingui in vulgatis editionibus post *jacentis,* dictionibus *In somnis* ad sequentia relatis. Pius dudum probe interpunxerat, posteris poëtæ curatoribus inobservatus. —Cæterum, *equos* non comparet in Π.

Ver. 986. *sudare:* V. ed. *suadere.*—*semper:* P. Π. Σ. *sæpe;* uti est in vulgatis: sed ex correctore nupero, ut videtur. Vult Lucretius simile aliquid *semper* fieri, quoties equi in his certaminibus per dies multos operati sunt. Et generales poëtæ

Et quasi de palmâ summas contendere vireis.
[Aut quasi carceribus patefactis saepe quiete.]
Venantumque canes in molli sæpe quiete
Lactant crura tamen subito, vocesque repente
Mittunt, et crebro reducunt naribus auras,

rum locutiones ad severiorem crisin non sunt morose nobis exigendæ.

Ver. 987. *palmâ.* Hanc lectionem servandam putavi, quum numerus multitudinis minus aptus videatur, et potissimum ob codicem M. qui habet *palmas*, pro *palma*, nisi fallor, arreptâ sequentis vocis literâ; et L. in quo *το palmis* reliquorum omnium (præter Δ. qui *plumis*) secundâ tantum manu scriptum est.—*contendere:* Π. *concedere; t* sane de solito in *c* migrante: *concēdere.* Qui sequitur, versum uncinis circumsæptum volui, ut adulterinum et insititium; partim ex ii. 263. confectum, ac partim ex versu sequente. Si quis tamen probus codex e bibliothecarum tenebris et pulvere mox erueretur, qui meliores quaspiam dictiones, vice *των sæpe quiete,* præberet, non arbitrarer equidem ejiciendum esse; nec profecto difficillimum existimo, probabilem emendationem excogitare; sed apprime inutile est, et puerile, conjecturis arbitrariis, ad acuminis tantummodo ostentationem facientibus, lascivire. Error in ultimis vocabulis facile potuit exsurgere, librarii oculis in finem sequentis versiculi subito conjectis. Bentleius insuper videtur hactenus solus ad hunc versum offendisse: cujus judicium magni pendo.

Ver. 988. *Venantum:* P. V. ed. O. *Venatum.*—Hic autem versus in omnibus præter P. Vind. Δ. abest huic loco, sed inseritur in aliis, opinor, ut in nostris, post ver. 997. cum quatuor etiam sequentibus.

Ibid. *Venantum*, pro *venatorum;* ut *medentes*, pro *medici*, i. 935. prout Faber admonuit: ubi me videas. Virgilius, Æn. ix. 551.

Ut fera, quæ, densâ *venantum* septa coronâ,
Contra tela furit—.

Ibid. *Venantum canes in quiete.* Sero mihi in mentem venit Æschylus, ad Eumen. 132. ubi Schutzius haud oblitus est Lucretii:

Οναρ διωκεις θηρα, κλαγγαινεις δ' ἁ περ
Κυων, μεριμναν ου ποτ' εκλιπων ΠΟΡΟΥ·

i. e. "*cursûs* solicitudinem non remit- "tens." Sic lengendum forte pro πονου· cui lectioni bene se Schutzius objecit: sed propriâ tamen conjecturâ αγρας, quid improbabilius aut inscitius excogitari poterat?

Ver. 989. *Lactant:* ita V. ed. in primo loco, et verissime procul dubio; ex reliquiis sermonis vetustissimi: cujus dictionis vulgata *Jactant* exemplarium cæterorum nihil est nisi glossatoris interpretamentum marginale. Vide v. 1067. Eodem fonte profluxisse fidenter dixerim verba *lacio* etiam, ac *lacesso:* videas supra, ad verr. 218. 601. Verbum *lacto* in locis notissimis Terentii, And. iv. 1. 24. v. 4. 9. per *palpo*, vel *tracto*, verissime, ni fallor, interpreteris. Audacissimi editores exhibent ad v. 1067. *jactant;* sine religione emoventes loco venerabilem vetustate dictionem. Nonius, i. 54. "*Lactare*, mul- "cere," (de quâ voce redeas lectum animadversa, in ver. 139.) "vellere." Accii locum, quem protulit grammaticus, ita possis constituere:

———— nisi ut *catum* ingenium *tuum*
Et linguâ laudem, et dictis *lactem* lenibus.

Idem est *palpare* aliquem, ut diximus: quod minus rarum. Hinc eleganter, ut omnia, Apuleius, met. viii. p. 524. ed. Oudend. "Luctum sedare, ejulatum "coërcere, *verbis palpantibus* stimulum

Ut vestigia si teneant inventa ferarum;
Expergefacteique sequuntur inania sæpe
Cervorum simulacra, fugæ quasi dedita cernant;
Donec discussis redeant erroribus ad se.
At, consueta domu, catulorum blanda propago

" doloris obtundere:"—i. e. leniter tractantibus, *molliter ferientibus.*

Ver. 990. *crebro:* Vind. Δ. Π. Σ. *crebras;* ut edi solet, contra castiores et antiquiores libros.

Ibid. *reducunt:* breviter dictum, ut alibi noster sæpiuscule, pro *iterum iterumque ducunt,* vicibus repetitis ducunt.

Ver. 991. *Ut:* sic P. V. ed. Π. Ω. Reliqui omnes, *Et.*—*inventa:* V. ed. *juventa;* in utroque loco positi bis versûs.

Ver. 992. *sequuntur:* P. *sequantur;* Π. Σ. *secuntur:* de quâ scripturâ Drakenborchium adeas, in Liv. ix. 2. 15. Ω. *sequntur.*

Ver. 993. *simulacra:* V. ed. *simulata.* —*fugæ:* V. ed. O. Π. Σ. Ω. *fuga.*—*quasi dedita:* sic P. Vind. Ω. et nihil purius e variis lectionibus videtur eliciendum. V. ed. B. L. M. *quasiddita,* vel *quas iddita;* O. *quasi addita;* Δ. *quæ dedita;* non male: Π. *quasi subdita;* Σ. *quasi abdita.* Suspicor in morbo cubare locum; sed memet non esse medelæ compotem, sponte fateor. Tentamen, quod sequitur, veri similitudinem habere puto:

Cervorum simulacra, fugæ quasi *si data* cernant.

Et forte an formula *quasi si* librarios labefecerit, et ansam præbuerit corruptelæ: vide mox venientem ver. 1008.

Ver. 994. *erroribus:* sic Δ. alii omnes, *terroribus:* sed optime Turnebus emendavit ex conjecturâ, sic ut edidimus. Adhæsit nimirum ultima vocis præcedentis litera.

Ibid. *discussis erroribus;* qui sunt utique caligo animi: nam translatio videtur esse ab ortu solis, noctis tenebras fugante, derivata. Maro apertiore phrasi rem eandem declaravit, ad Æn. xii. 669.

——— *discussæ umbræ,* et lux reddita *menti.*

Nam noctu rectâ callium regione proclive est viatoribus *aberrare.*

Ibid. *redeant ad se.* Nos hancce figuratam locutionem nonnihil ventilavimus ad Silv. Crit. sect. lxxxix. Sic Hippocrates et Herodotus dixerunt *ες εωυτον παρειναι, παρ' εωυτον γενεσθαι, εντος εωυτε γενεσθαι.* Hinc Pausaniam peccato librariorum liberabo, ix. 23. *Λεγεται δε και ονειρατος οψιν αυτῳ γενεσθαι προηκοντι ες γηρας. Επιστασα ἡ Περσεφονη οἱ καθευδοντι ουκ εφασκεν ὑμνηθηναι μονη θεων ὑπο Πινδαρου· ποιησειν μεν τοι και ες αυτην ασμα Πινδαρον ελθοντα ὡς* 'ΑΥΤΟΝ: i. e. *expergefactum.* Vulgo, *αυτην.* Et translatio est ab homine domum suam, ex quâ egressus erat, redeunte. Ita Plato intelligendus est, apol. Soc. sect. 6. *Προς εμαυτον δ' εν απιων, ελογιζομην ὁτι—κτλ.* i. e. *Domum reversus:* quod Forsterus non intellexit, ut nec alii interpretes. Haud aliunde rectum arripias Ovidii sensum, in epist. xv. 113.

Post quam *se dolor invenit,* nec pectora plangi,
Nec puduit scissis exululare comis.

Idem aliter rem extulit, met. iii. 689.

——— pavidum, gelidumque, trementi
Corpore, *vix*que *meum,* firmat deus——.

Quem locum docte et accurate acutissimus Heinsius edissertavit. Petronius in cumulum accedat, sect. xc. " Ego quoque " sinum meum saxis onerabo: ut, quoties" cumque cœperis *a te exire,* sanguinem " tibi a capite mittam." Ad quem locum doctos editores fructuose consulas.

Ver. 995. Interpretes hunc versum tacite præterlabuntur, quasi foret expeditissimæ constructionis. At enim nimis vellem, declaravisset aliquis, quidnam sibi

Discutere et corpus de terrâ conripere instant;
Proinde, quasi ignotas facies atque ora tuantur.
Et, quo quæque magis sunt aspera seminiorum,

velit omnium librorum lectio, *consueta domi;* aut quo pacto phrasis illa ad receptissimas leges grammaticas redigenda sit? Donec exstiterit, qui me de hac re doctiorem faciat, non pœnitebit Lucretii famæ consuluisse, rescribendo *domu*, pro *domui;* quamvis fuerit hæc lectio arbitrariæ conjecturæ fœtus. Sic Virgilius *metu*, *victu*, *concubitu*, pro *metui*, *victui*, *concubitui*, usus est, ut omnes norunt: vide Priscian. lib. vii. p. 778. A. Gell. iv. 16. Exquisitior autem doctiorque formula quam facile in vexationes librariorum incideret, manifestissime, nobis tacentibus, apparet. Hinc etiam satis constat, unde malum pedem intulerit ille versus, qui solet libros vulgares conspurcare, quamvis ab universis MSS. exemplis exsulet, et omnibus antiquis editionibus:

At consueta *domi* catulorum blanda propago
Degere, sæpe levem ex oculis volucremque soporem
Discutere—.

Nempe insititius ille violenter est intrusus, ut τα *consueta domi* decentius caudam traherent, τῳ *degere* composita atque coagmentata. Sic vibiam vara sequitur. —Porro, versus etiam, quem nunc agitamus, cum sequente, deest codicibus O. Δ.

Ibid. *catulorum blanda propago.* Similiter Virgilius, geo. iii. 496.

Hinc *canibus blandis* rabies venit.

Ver. 997. Versus ille Lambini, *Degere*, etc. delendus est: et, in hoc versu, pro *de terrâ*, legendum *de somno;* ut iii. 164.

Conripere ex somno corpus—.

Nempe, e *soño* factum est *solo;* inde *terra* venit ex glossâ. BENTLEIUS.

Ingeniosæ viri summi rationes non sunt in eâdem trutinâ ponendæ cum unanimi librorum testimonio, nullâ necessitate mutationem provocante.

Ibid. *Discutere corpus.* Nihil notius hac consuetudine canum expergiscentium; quam Popius noster lepidissime adhibuit in *Cincinni Raptu:*

Now *lap-dogs* give themselves *the rousing shake.*

Hinc translationem Propertius sumpsit, et explicandus est, eleg. iii. 8. 13. ubi turbas inutiliter ciet Burmannus:

Ac primum purâ *somnum* tibi *discute* lymphâ.

Eundem usum et eandem figuram habet etiam verbum *excutio.* Calpurnius, ecl. iii. 47.

Dum flet, et *excusso* dispargit lumina *somno.*

Alii similiter. Interpretes se animosius excutere debuerant ad Terentium, Phorm. iv. 1. 20. nihil intelligentes:

Quod si fit, ut *me excutiam*, atque egrediar domo,
Id restat.

Confer eundem in Adelph. iv. 4. 21. Hinc pendet illud Ciceronianum, de off. iii. 20.—" *excute* intelligentiam tuam:" et centum parallela. Neque aliter Græci, si modo rite meminerim, cum suis *αποτινασσω* et *εκτινασσω*.

Ver. 998. *facies atque ora.* Hanc perissologiam, uti Servius nominavit, Virgilius haud dedignatus est, quasi mallet cum Lucretio suo peccavisse, quam cum Servianis magistellulis recte sentire, Æn. i. 658.

——— ut *faciem* mutatus, *et ora*, Cupido
Pro dulci Ascanio veniat.

Unde, quum vocabula *facies* et *species* sæpiuscule commutentur, (vide Burmannum, ad Propert. iv. 2. 31. et Drakenborchium, ad Liv. xl. 12. 4.) suspicari licuisset de corruptelâ ad ejusdem Maronis geo. iv. 406.

Tum variæ eludent *species*, atque ora, ferarum:

quasi rescribendum esset, *facies atque ora;*

Tam magis in somnis eadem sævire necessum est.
At variæ fugiunt volucres, pinnisque repente
Solicitant divôm nocturno tempore lucos,

nisi et hic quoque in vestigiis magistri pedem posuisset, ad v. 1262.

> Quam lubet in *formam*, *et faciem*, decurrere rerum.

Ver. 999. *quo:* at editores impudentissimi contra libros dederunt *quam;* uti sane legitur in Vind. sed collatori somniculoso cave credas. Nempe, boni viri, qui sibi videbantur hic regnum possidere, Lucretium legibus grammaticis, quas ipsi confinxerint, illigatum voluerunt: quasi, quotiescunque *tam* veniret, ibi necessario *quam* locum sibi vindicaret; ac vicissim. Sed vel lexicographi eos dedocere poterant hanc commentitiam persuasionem; aut saltem Carus ipse: conferas supra, verr. 629. 630. et mox, verr. 1082. 1083. vi. 458. ii. 586. 587. Et, non multo aliter, *quanto* et *hoc* respondent, ad ii. 825. 826. *quanto* et *eo*, ibid. 1134.—*seminiorum:* Δ. *semina eorum;* ut editiones multæ, ad longe magis vulgarem rationem; Π. Σ. *seminorum:* vide iii. 742. 746.

Ver. 1000. *eadem:* Π. *eodem.*—*sævire:* Vind. V. ed. Π. Σ. *se jure;* cum eisdem fere literarum vestigiis.—*necessum:* P. V. ed. B. *necesse;* Vind. *recessus.*

Ver. 1001. *At:* Π. *Et.*—*pinnis:* O. Π. Σ. *pennis;* quam orthographiam Festus videtur antiquiorem putavisse: adi illum in *Pennas.* Alius aliter, grammaticorum filii. In his minutiis nos contenti sumus plures codices, et emendatiores, sequi; quum nesciamus, an ipse scriptor voluerit variare: vide notata, ad ii. 822.

Ibid. *variæ volucres:* i. e. diversicolores, pictæ: adi sis quæ notavimus, ad ii. 344.

Ver. 1002. *Solicitant pinnis:* i. e. movent, agitant, turbant pinnarum pulsibus. Virgilius, geo. ii. 503.

> *Solicitant* alii remis freta cæca——:

i. e. pulsant, et quasi vexant quiescere volentia.

Adde tempestivum locum Claudiani, idyll. i. 3.

> Oceani summo circumfluus æquore, lucus
> Trans Indos, Eurumque, viret: qui primus anhelis
> *Solicitatur* equis:

i. e. ungularum pulsibus movetur.

Ver. 1003. *somno:* Π. *summo.*—*leni:* V. ed. L. O. Δ. Π. *levi;* videas Virg. Æn. iv. 527. 528. Hinc ad Gen. xxvii. 11. vulg. vers.—"Nosti, quod Esau, frater "meus, homo pilosus sit, et ego *lenis:*" —rescribas, *levis,* sive *lævis.*—*si:* P. *sic;* Vind. Π. *se.*—*que* abest omnibus, præter P. B. si fidendum sit hujusce codicis collatori. Nonius sane, qui versum laudat ad iii. 14. et habet *sic* pro *si*, ut Pius, agnoscit *que;* et profecto facile elabi poterat ad finem versûs: aliter probabilem conjecturam existimassem, si sic constitutus foret versus:

> Adcipitres somno in leni si prælia *pugnis*
> Edere sunt——.

Redeas autem ad ii. 117.—Cæterum, ordo vulgatorum hic est: "Si visæ sunt "pugnas edere, persectantes volantes"que."

Ver. 1004. *visæque:* P. *visæ atque;* quod accepissem, si liber alius bonæ notæ consensisset: V. ed. *vis æque.*

Ver. 1005. *mentes:* V. ed. *montes.*—*magnis quæ:* V. ed. Σ. Ω. *magnisque;* Π. *magis quæ.*—*motibus:* Vind. V. ed. B. L. M. *montibus;* facili et certissimo errore. Virgilius, geo. iv. 86.

> Hi *motus animorum*——.

Ver. 1006. *itidem:* Vind. ut editiones plures, *etenim:* sed collator vapulet; aliud enim codex.

Ibid. *faciuntque, geruntque.* Varro, de ling. Lat. v. 8. "Potest aliquid *facere,* "et non *agere;* ut poëta facit fabulam, "et non agit; contra actor *agit,* et non

Adcipitres somno in leni si prælia pugnasque
Edere sunt, persectantes, visæque volantes.
Porro, hominum mentes, magnis quæ motibus edunt,
Magna itidem sæpe in somnis faciuntque, geruntque.
Reges expugnant, capiuntur, prælia miscent;
Tollunt clamorem, quasi si jugulentur ibeidem.
Multei depugnant, gemitusque doloribus edunt;
Et, quasi pantheræ morsu, sævive leonis,
Mandantur, magnis clamoribus omnia conplent.

"*facit.*—Contra, imperator, qui dicitur "res *gerere*, in eo neque *agit*, neque *facit*, sed gerit; id est, sustinet." Perlegas autem, apud ipsum, totum locum.

Ver. 1007. *Reges expugnant:* i. e. "Reges, quorum mentes magnis motibus "agitantur, consimilia, ut par est, in som"nis exsequuntur; atque adeo expug"nant, turres puta, castella, etc."—ut sit nomen *reges* in casu recto: quod monendum habui, quum interpretes male rem administraverint, pro casu quarto accipientes.

Ibid. *prælia miscent.* Virgilius, geo. ii. 282.

——— nec dum horrida *miscent*
Prælia——:

ut prior Ennius dixerat *miscent inimicitias*, apud A. Gell. noctt. Att. xx. 10.

Ver. 1008. *clamorem:* sic P. Σ. Ω. neque aliud vere est τὸ *clamore* (i. e. *clamorē*) librorum Vind. V. ed. et ita forte L. M. quum vel de V. ed. Havercampus taceat. Saltem, quoties de uno homine sermo fiat, frequentior est numerus unitatis, et in hoc loco varietate insuper commendatus venit. Vulgo, *clamores.* Vel de multis Virgilius, Æn. x. 262. ut sæpe alibi:

——— *Clamorem* ad sidera *tollunt*
Dardanidæ e muris.

Ibid. *quasi si.* Plautus, Cas. prol. 46.

Hera facit, educavit magnâ industriâ,
Quasi si esset ex se nata; non multo secus.

Ver. 1010. *sævive:* V. ed. *sævi ire;* Π. Σ. *sævique;* Ω. *sevire;* et in margine, *sevore.*

Ibid. *sævi leonis.* Virgilius, Æn. ix. 792.

——— ceu *sævum* turba *leonem*
Quum telis premit infensis——.

Ver. 1011. *Mandantur:* V. ed. *Mandant;* Π. *Inundantur;* Σ. *Manduntur.*

Ibid. *magnis clamoribus omnia conplent.* Ut idem Virgilius, Æn. v. 341.

Heic totum caveæ consessum ingentis, et ora
Prima patrum, *magnis* Salius *clamoribus inplet.*

Ver. 1012. Versus deest P. et in Δ. per errorem, e versu sequente natum, sic constitutus legitur:

Multi de magnis *rebus persæpe* loquuntur.

Ver. 1013. *Indicio:* V. ed. *Judicio.*—*facti:* P. B. *fati.* Pariter M. Tullius, topic.—"et *per somnum*, vinum, insani"am, *multa patefacta sunt.*" Lambinus.

Ver. 1015. *Ut quei*, vel *qui:* sic elegantissime L. at vulgo, *Se quasi;* ut in P. Vind. scribitur; B. *Et quasi;* reliqui omnes, *Ut quasi.* Illud *se* ex inepto quopiam correctore primitus illatum est, naturam verbi *præcipito*, similiumque, nescientė, et Lucretiani sermonis indolem: videas eum ad ii. 248. vi. 1038. Satis notum est, Latinos in his vocibus se ad Græcorum usum composuisse. Testi sit Theognidis distichon celeberrimum:

Ἣν δὴ χρὴ φεύγοντα καὶ ἐς μεγακήτεα πόντον
ῬΙΠΤΕΙΝ, καὶ πέτρων, Κύρνε, κατ' ἠλιβάτων.

Multei de magnis per somnum rebus loquuntur:
Indicioque sui facti persæpe fuere.
Multei mortem obeunt: multei, de montibus altis
Ut quei præcipitent ad terram, corpore toto
Exterruntur; et ex somno, quasi mentibus captei,
Vix ad se redeunt, permotei corporis æstu.
  Flumen item, sitiens, aut funtem propter amœnum
Adsidet, et totum prope faucibus obcupat amnem.
Purei sæpe, lacum propter, seu dolia curta,

Nonnulla diximus ad Silv. Crit. sect. ci. Sic et Xenophon, cyneg. ix. fin. Ῥιπτουσι δε και εις την θαλατταν, ην κατεχωνται—. Hinc ad Arrianum, de exp. Alex. iii. 18. pronomen non erat contra libros veteres inferciendum:—οἱ δε και εν τη φυγη, φοβερας γινομενη, κατα των κρημνων ῥιψαντες, απωλλυντο—. Vulgo, ἑαυτους ῥιψαντες. Utroque modo scriptores purissimi loquuntur: adi Gronovium, ad Arrian. l. c. et me, Eur. Alcest. 917. Porro, punctis cavi, ne verba *toto corpore* referas forsitan ad *præcipitent;* quod vulgo factum, satis inscite, video.

Ver. 1016. *Exterruntur:* sic V. ed. B. Ω. et το *Externuntur* in O. idem voluit: haud dubie ad germanum morem vetustatis, aliâ conjugatione subinde usæ; de quâ totâ re ubertim et ex professo Nonius Marcellus egit in lib. x. Perlegas etiam a me notata superius, ad i. 104. Cæteri libri, si fides oculatis testibus adhibenda sit, *Exterrentur.* Glossator vetus: "Πτυρω, *terro,* terreo." Exempla plura, si quæ supererant, vel meam investigationem elusere, vel librariis etiam prorsus obliterata sunt.

Ibid. *mentibus captei.* Arnobius, lib. ii. p. 77. "hominem—*captum membris* omnibus—." Virgilius, geo. i. 183.

Aut, *oculis capti,* fodere cubilia talpæ.

"*Capti* dicuntur, qui aliquando viderunt." Servius. Quod notandum.

Ver. 1017. *permotei:* P. V. ed. *promoti;* Ω. *permori.* Et *corporis æstu,* ut *mentis æstus,* iii. 174. Sed hæ varietates me depravationis admonent insignioris, quam permutatio particularum *pro* et *per* in Ammianum Marcellinum importavit, atque transcurrens tollam. Invenitur autem in xxv. i. "Cui propugnaturus Maurus frater,—obvium quemque *perterrens,* infirmatus et ipse humerum telo, *pallescentem morte propinquâ* Machamæum extrahere pugnâ viribus valuit magnis." Lego, *proterrens:* nam bis in hoc loco Maronem exprimit. Ille, Æn. xii. 291.

Tyrrhenum Aulesten, avidus confundere fœdus,
Adverso *proterret* equo—.

Idem historicus eâdem ope persanandus restat ad xxvii. 10.—"hinc impatientiâ militis *proterrente,* inde horrenda circumsonantibus Alamannis—:" i. e. impellente, *protrudente.* Libri, *perterrente* et *præterrente.*

Ver. 1018. *Flumen:* Π. *Fulmen.* Idem codex *saliens,* pro *sitiens,* errore non infelici; sed errore tamen arbitror. Virgilius, ecl. v. 47.

———— quale per æstum
Dulcis aquæ *saliente* sitim restinguere *rivo.*

Et forsitan hujusce versûs recordatio scripturæ dissimilitudinem pepererit.—Vind. *satiens.*—Mox Π. *sæpe,* loco *prope.*

Ibid. *Flumen aut funtem propter.* De hac absentiâ præpositionis in priore clausulâ, redi ad dicta nuper in ver. 96.

Ibid. *Flumen propter amœnum.* Ita Mantuanus, Æn. ix. 680.

Somno devinctei, credunt se extollere vestem:
Totius humorem saccatum corporis fundunt;
Quom Babylonica, magnifico splendore, rigantur.
Tum, quibus ætatis freta primitus insinuantur,

Sive Padi ripis, *Athesim* seu *propter amœnum*.

Ver. 1020. *Purei*, vel *Puri:* sic Vind. V. ed. L. M. Π. neque aliter capienda est lectio in Σ. *Puris* dico, quum elementum vocis sequentis videatur adhæsisse; B. Ω. *Pueri;* nihil interest: P. *Multi;* O. Δ. *Plures:* quibus varietatibus verbum exquisitius originem dedit.—*lacum:* Vind. *jacum;* Π. *jacent.*

Ibid. *Purei:* redi sis varias lectiones ad ver. 403. hujusce libri. Isidorus, origg. xi. 2. quem Havercampus laudavit: "*Puer a puritate vocatur*; quia *purus* est, "et nec dum lanuginem floremque genarum habens." Nonius, ii. 672. "*Pueritia*, id est, *puritas*." Primitus, opinor, scribebatur *Pori*, vel *Pouri:* unde *Marcipores*, *Publiporesque*: i. e. Marci Publiique *pueri:* vide Quintil. instt. i. 4. et ibi Paræum. *Putus* sæpius obversatur apud glossatorem veterem, pro *μικρος:* si semel tantum occurreret, errorem existimassem pro *purus:* i. e. puer. Et necessum habui *seu* rescribere ex conjecturâ, atque ad indulgentiam lectoris confugere; nam neque sermonis structura, neque proprietas grammatica, versui ad receptam scribendi normam subest, si codices audiendi religiose sint:

Puri sæpe lacum propter, *se*, *ac* dolia curta,
Somno devincti credunt *se* extollere vestem:

quæ scabrities abest a Lucretio longissime, et medicam manum efflagitavit.

Ibid. *dolia curta:* qualia in angiportis, et ad angulos platearum, parietibus inseri solebant, ut videtur: adeas de hac re Casauboni notas ad Sueton. Vespas. cap. xxiii. laudati dudum Havercampo.

Ibid. *Purei;* a recto *puerus*, vel *purus:* nam veteres Græci *πυῤῥος*. Eustathius, ad Il. Γ. p. 287, 47. ed. Basil.—*παρθενιωτης—ὡς και το* ΠΥΡΡΟΠΙΠΗΣ, *ὁ παιδοφιλης*.

Ver. 1021. *devinctei:* P. O. Π. *devicti;* per solitam varietatem. Retineo vulgatum; quamvis non decernere semper sit in proclivi utram utri dictionem præferas: vide Drakenborchium, ad Liv. v. 44. 7. ubi doctissimus ille editor minus recte fortasse probat *vinctos somno;* quum mox sequatur hoc, ad 45. 3.—"nuda corpora, "et *soluta somno*, trucidantur:" i. e. *profusa* somno: vide nostrum supra, ver. 761. Juvencus, hist. evang. iv. 498.

Tunc ad discipulos repedat; sed *somnus* anhelis,
Prostratos terrâ, membris dissolverat omnes.

Porro, *se* abest Σ. et communibus editionibus.

Ver. 1022. *saccatum:* P. *ut sacratum;* V. ed. *sacratum;* O. Π. Ω. et nonnulli codd. Pii, *siccatum.*—*fundunt:* P. V. ed. B. Σ. *fundant;* atque adeo *ut* comparet in Vind. Δ. post *saccatum*. Nos obligati sumus optimis codicibus, quotiescunque veritas ipsa non aliud persuadeat: suspicamur etiam interea *et* excidisse fine versûs præcedentis; quod aliis quoque scriptoribus accidisse, his rebus exercitati statim recordabuntur. Vide sis, autem nos, ad ii. 631.

Ibid. *humorem saccatum:* i. e. transitu per meatus corporis percolatum. Serenus Samonicus, de med. ver. 77. et alias æmulatus Lucretium:

Quod facit ex asino *saccatus corporis humor*.

Ubi eadem varietas est in libris, *siccatus*. Et nostram lectionem Caro sane Turnebi sagacitas restituit. Arnobius, lib. ii. p. 69. quem Lambinus etiam non omisit:—"inter stercoris hos utres, et *saccati* obscœnissimas serias."—Mox P. habet *Cru*, pro *Quom*.

Ver. 1023. *Babylonica*. De his vesti-

Semen ubi ipsa dies membris matura creavit,
Conveniunt simulacra foris e corpore quoque,
Nuntia præclari voltûs, pulchrique coloris,
Qui ciet inritans loca turguida semine multo;

bus omnia trita, et passim obvia. Apuleius, florid. lib. ii. "Habebat cinctui "balteum, quod genus *pictura Babyloni-* "*ca*, miris coloribus variegatum." Ubi editor Delphinianus apposuit Plin. nat. hist. viii. 48. et Martial. viii. 28. quos locos a Lambini notis ad hunc versum videtur compilasse.

Ibid. *rigantur:* i. e. comminguntur. Atque vox Lucretiana, ad eandem potestatem, reddenda est, si quid valeam dispicere, carmini Ithyphallico, apud Anthol. Lat. Burm. vi. 72. 8.

> Totâ nocte mihi litat *rigando*.

Vulgo, *rigendo:* vide locum, et Scaligeri notam ad p. 562. ibid. talibus enim illustrandis nec libet, nec licet, inhærere.

Ver. 1024. *ætatis freta.* Hanc locutionem sibi exprimendam sumit Florus, nitidissimus scriptor, ad lib. i. fin. "Ta-"lis domi ac foris, talis pace belloque, "populus Romanus, *fretum* illud *adoles-*"*centiæ*, id est, secundam imperii æta-"tem, habuit:" i. e. *æstum* ac *fervorem* adolescentiæ; vel, uti suspicor equidem, *humorem fluctuantem; γονον* utique: nam obscœnitates ejus circumlocutionibus decentibus nemo studiosius Lucretio velavit. Convenientissimus est etiam Nasonis locus, met. xv. 208.

> Transit in æstatem, post ver, robustior annus:
> Fitque valens *juvenis;* neque enim robustior ætas
> Ulla, nec uberior; nec, quæ magis *æstuat*, ulla est.

Confer nostrum, et nos, ad vi. 363.—Cæterum, Vind. habet *insinuatur.*

Ibid. *insinuantur:* apposite; quasi *sinus* et meatus corporis, seu *πορους σπερματικους*, inundarent.

Ver. 1025. *ubi:* Π. *ubique.*—*matura:* Δ. Ω. *natura;* Π. *nocturna.*—Et, post hunc, ver. 1028. sequitur in P.

Ver. 1026. *foris:* P. *fores.*—*e:* P. *de.* —*quoque:* V. ed. B. *quæque.*

Ibid. *simulacra.* Celsus, iv. 21.— "nimia profusio seminis,—sine noctur-"nis *imaginibus*—."

Ver. 1027. *pulchri.* Mallem scripsisse, more antiquissimo, *polchri;* sed exemplaria vetera non adstipulantur: vide nos ad ii. 196. Et majores etiam *pulcros*, sine adspiratione; de quâ re locupletissimum testem habemus, Ciceronem dico, in orat. sect. 48. qui volentibus plura scire consulendus est.

Ibid. *præclari voltûs:* i. e. valde clari, nitidissimi. Hinc intelligas Horatium, od. i. 19. 5.

> Urit me Glyceræ *nitor*,
> Et vultus nimium *lubricus* adspici:

lubricus, splendidus; secundario sensu, quia quæ *lubrica* sunt solent *splendere.* Nemo adhuc intellexit, si excipias Miltonum nostrum:

> Whose saintly *visage is too bright*
> *To hit the sense of human sight.*

Hinc etiam alibi explicabitur idem Flaccus, od. ii. 8. fin.

> ———— tua ne retardet
> *Aura* maritos:

vide quæ diximus ad Virg. geo. iv. 417. et infra, v. 496. Homerum vero præcursorem habuerunt, ad Il. Λ. 100.

> *Και τες μεν λειπω αυθι αναξ ανδρων Αγαμεμνων*
> ΣΤΗΘΕΣΙ ΠΑΜΦΑΙΝΟΝΤΑΣ, *επει περιδυσε*
> *χιτωνας.*

Luxuriat in hac re Statius, Theb. vi. 571.

> *Effulsere artus*, membrorumque omnis aperta est
> *Lætitia*——.

Cæterum, utrum in hoc casu hujusce no-

Ut, quasi transactis sæpe omnibus rebus, profundant
Fluminis ingenteis fluctus, vestemque cruentent.
Solicitatur id in nobis, quod diximus ante,
Semen; adulta ætas quom primum roborat artus.
Namque alias aliud res conmovet, atque lacessit;
Ex homine humanum semen ciet una hominis vis:

minis Lucretius scribebat *vultuis*, necne, parum liquet. Vulgaris orthographia saltem C. Cæsari placuit in *Analogiâ:* vide A. Gell. iv. 16.—M. denique habet *colores:* et sequuntur verr. 1033. 1034. in P.

Ver. 1028. *Qui:* sic Vind. L. sed Ω. ac reliqui omnes, *Quæ.*

Ibid. *loca turguida semine.* Hinc Virgilius pendet, ad geo. ii. 324.

Vere *tument* terræ, et *genitalia semina* poscunt.

" *Tument:* suspenduntur." Servius, expositione perelegante, et maxime Virgilianâ: confer geo. i. 68. Addam Arnobium, lib. iii. p. 105.— " cur, insigniti " (dii) sint his *locis*, quibus sexus se so- " lent libidinum propriarum admonitio- " nibus recognoscere?"

Ver. 1029. *Ut:* sic Vind. et M. Reliqui, *Et.* In Δ. versus integer hoc pacto scriptus est:

Ut, quasi transactis *rebus*, *persæpe* profundant.

Ibid. *transactis.* Creechius opportune admovit Theocritum, ii. 143.

ΕΠΡΑΧΘΗ *τα μεγιστα*—.

Nos autem alia, huic rei illustrandæ valde inservientia, dudum attulimus, ad Silv. Crit. i. p. 107. et v. p. 137. unde doctissimus Egertonus Hippolyto Euripidis, cujus editionem magnificentissimam nuper publici juris fecit, multam lucem poterat intulisse.—Cæterum, Pius affirmat, hunc versum cum sequente non reperiri in probis Lucretii carminibus.

Ibid. *transactis rebus.* Perlecta nostra annotatio Pausaniam, opinor, explanabit, in Att. cap. 43. *Μετα δε τȣ Διονυσȣ το ἱερον, εστιν Αφροδιτης ναος· αγαλμα δε ελεφαντος Αφροδιτη πεποιημενον,* ΠΡΑΞΙΣ *επικλησιν:* i. e. *Αφροδιτη τελειωτις· Venus* PERFICA.

Ver. 1030. *cruentent:* P. Vind. V. ed. L. M. *cruentet*, quasi *flumen* pro nominativo haberetur; minus dilucide: sin error sit librarii, in proclivi stare novimus.

Ibid. *vestem cruentent.* Nempe, cruor *madidat;* ergo possumus interpretari sensu secundario, *humectent vestem.* Arnobius, lib. i. p. 2. " Olearum ex baculis " *cruor* teter exprimitur:" i. e. sucus, humor. Vel, etiam secundario sensu, cum Lambino, *vestem inquinent;* cui favent Horatiani versus nimis noti:

Nocturnam *vestem maculant*——:

quos vir doctissimus apposuit. Pulchrius specimen non novi derivatæ significationis, quam quod exhibetur loco in D. Joannis apocalypsi, vii. 14. lautis lectoribus minime displiciturum, si hic etiam prolatum videant: *ʽΟυτοι εισιν, οἱ ερχομενοι εκ της θλιψεως της μεγαλης· και* ΕΠΛΥΝΑΝ *τας* ΣΤΟΛΑΣ *αὐτων, και* ΕΛΕΥΚΑΝΑΝ *τας* ΣΤΟΛΑΣ *αὐτων, εν τῳ* ʽΑΙΜΑΤΙ *τȣ αρνȣ.* Malim tamen ad sensum maxime proprium vocem *cruentent* interpretari, quum virile *σπερμα* diserte vocetur, et vere forsitan, *νοστιμον* ʽΑΙΜΑ, in fragmento apud Stobæi ecl. phys. lib. i. p. 87. quod videas. Quinetiam, non ferendi sunt, nedum auscultandi, qui locutionem *Fluminis fluctus* vexant. Claudianus, de laudd. Stil. i. 133.

——————— Vos, Thracia, testor,
Flumina, quæ largo mutastis sanguine *fluctus.*

Ver. 1031. *id in:* P. V. ed. B. *idem;* non male.—*in* deest Vind. Π.—*nobis:* Π. *nodis.*

Quod simul atque suis ejectum sedibus exit,
Per membra atque artus decedit corpore toto,
In loca conveniens nervorum certa; cietque
Continuo parteis genitaleis corporis ipsas:
Inritata tument loca semine, fitque voluntas
Eicere id, quo se contendit dira lubido:

Ver. 1032. *adulta:* sic P. solus: Vind. V. ed. B. L. manu secundâ, Π. Σ. Ω. *et vita;* M. *adjuta;* O. *e vita;* Δ. *et ulta.* Tot autem dissimilitudines nihil dubii de lectione genuinâ debent injicere.

Ver. 1033. *alias:* Vind. Π. *alius;* O. Δ. Σ. Ω. *aliis.—lacessit;* Π. *lacesset;* Ω. *latessit.*

Ver. 1035. *ejectum:* V. ed. B. exhibent, *erectum.*

Ver. 1036. *decedit:* nempe *de* loco, in quo fuit, *migrat* per totum corpus; sed aptius tamen putavissem egomet jam nunc *discedit:* i. e, in varias partes abit, dispergitur. Virgilius autem, Æn. v. 683. dum satis tuetur proprietatem ipsam verbi *decedit*, favet porro suspicioni, Lucretium scripsisse *descendit:*

——— *toto descendit corpore* pestis.

Hoc vocabulum cum loco Lucretiano optime convenisset: et *descendo decedo*que sæpissime commutantur; quod nemo nescit.

Ver. 1037. *loca nervorum:* videre jusserim Hor. epod. xii. 19.

Ver. 1039. *Inritata:* Π. *Intentata.*

Ibid. *Inritata:* i. e. *κινουμενα γαργαλισμοις.* Rem sic aliter Persius declaravit, sat. i. 21.

——— cum carmina lumbum
Intrant, et tremulo *scalpuntur* ubi intima versu.

Ab his autem curiosius illustrandis studiose calamum abstinemus, ne in severiorum monachorum reprehensionem incurramus, quamvis censeamus ipsi, nec omnia, nec rursus nihil, ea esse, quæ cecinerit Catullus:

Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum; versiculos nihil necesse est:
Qui tum denique habent salem, ac leporem,
Si sint molliculi, ac parum pudici:

et illum secutus Martialis:

Innocuos censura potest permittere lusûs:
Lasciva est nobis pagina, vita proba est.

Sed in hoc argumento præclarissime versatus ille est, qui genus humanum ingenio superavit, Miltonum dico, in Par. amiss. iv. 312—321. cujus divinos versus velim perlegas, et imis sensibus, res non parva est, recondas.

Ver. 1040. *Eicere:* sic diserte L. M. quos audiendos putavi; vulgo, *Ejicere:* vide iii. 890. nos ad ii. 193. et alibi. Glossator vetus: "*Eicio*, *αποβαλλω*—. "*Eicit*, *εκβαλλει.*" Occurrit etiam *eicito* in priscis legibus Romanorum.

Ibid. *quo se contendit:* vel interpreteris licet, "ad quem locum se cupide "movet;" vel rursus, "quo se distendit." Hoc ipse præferam: vide ver. 807. superius.

Ibid. *dira lubido.* Maro, geo. i. 37.

Nec tibi regnandi veniat tam *dira cupido.*

"*Dira* autem, pro *magna*, vel *vehemens:*" Servius. Sic ille Mantuanus, et alii, sæpissime. Hoc autem hinc habet proprietatem suam, quod *magnæ* cupidines *dira* moliri soleant. Consimilia passim observantur, *labor improbus*, *amor insanus*, et reliqua hoc genus: quæ gemellâ sunt expositione declaranda, et nobis alibi sunt plus semel, nisi fallimur, explicata. Cæterum, post hunc versum, qui sequitur male iteratur in P. Vind. V. ed. M. O. Ω.

Incitat irritans loca turgida semine multo.

Ver. 1042. Rem feliciter illustrat soli-

Idque petit corpus mens, unde est saucia amore.
Namque omnes plerumque cadunt in volnus; et illam
Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu:
Et, si comminus est, hostem ruber obcupat humor.
Sic igitur, Veneris qui telis adcipit ictus,
Sive puer membris muliebribus hunc jaculatur,

tâ cum ubertate Lucretius, et aptissimarum ope figurarum, decentiumque, in hoc, et sequentibus duobus versibus; quos summam per inscitiam, ac libris omnibus renuentibus, Lambinus et Faber inducendos esse statuerunt.

Ibid. *omnes:* prisca Pii exemplaria, *homines;* non probo.—*illam:* Π. *illa.*

Ibid. *cadunt in volnus.* Ad eundem modum Mantuanus, x. 488.

> *Corruit in volnus:* sonitum super arma dedere.

Ubi codicis singularis lectioni *Concidit* favorem locus Lucretii conciliat, et alter Ennianus; ut τῷ *insuper* etiam codicis alîus, pro *super:*

> *Concidit*, et sonitum simul *insuper* arma dederunt.

Ver. 1043. *icimur:* O. Δ. *utimur;* Ω. *tuimur*, per transpositionem literarum.

Ibid. *icimur ictu:* ut Novatianus, de reg. fid. cap. xv. dixit, " saxorum *ictus* " *injicere*—." Phrasin vero Lucretianam, *sanguis emicat*, Ovidius, Lucanus, alii, hausere.

Ver. 1044. *comminus:* V. ed. *communis.* —*ruber:* Ω. *rubor.*—Porro, V. ed. *ostem*, pro *hostem;* unde non contemnendam prorsus autumem nonnullorum lectionem:

> Et, si comminus est, *os tum* ruber obcupat humor.

Virgilius, Æn. xii. 800.

> *Occupat os* flammis——:

et alibi similiter: vide in hanc autem rem Silv. Crit. i. pp. 104. 105. Valerius Maximus, i. 6. 11.—" optimæ indolis " filii *cruore* paterni *respersi oculi*—." Florus, iii. 21. 16. " Merula, flamen dia" lis, in Capitolio, *Jovis* ipsius *oculos* ve" narum *cruore respersit.*" Hinc autem Seneca mihi videtur probabiliter emendandus, Agam. 949.

> Adest cruenta conjugis victrix sui,
> Et signa cædis veste maculatâ gerit.
> Manus, recenti sanguine etiamnum *madens*,
> Vultusque præ se scelera truculenti ferunt:

ut *manus* etiam ad *ferunt* redeat; magis unâ constructione: de quo doctus, et lectione Lucretianâ, sententiam dicat. Vulgo, *madent.*

Ibid. *ruber obcupat humor:* atque adeo *cruentat* scilicet, ut ver. 1030. ubi videas animadversa modo nobis.

Ver. 1045. *ictus:* ita P. Vind. O. Δ. et, quod tantundem videtur, V. ed. L. Π. Σ. *ictis:* legunt vulgo, *ictum.*

Ver. 1046. *puer membris muliebribus.* Ausonius, epig. 107.

> Dum dubitat Natura, marem, faceretne puellam,
> Factus es, O! pulcher, pene puella, puer.

Horatius de *Gyge*, od. ii. 5. 21.

> Quem si puellarum insereres choro,
> Mire sagaces falleret hospites
> Discrimen, obscurum solutis
> Crinibus, ambiguoque vultu.
>
> BENTLEIUS.

Ad quem locum doctas Jani illustrationes videas. Nos autem soli recte interpunximus; nam veram verborum constructionem editores docti non animadverterunt, quamvis Porphyrio dudum recta admonuerit. Par regimen plus semel adhibitum est Virgilio. Sic in geo. iv. 424.

> ——— ipsa procul, *nebulis obscura*, resistit.

Seu mulier, toto jactans e corpore amorem;
Unde feritur, eo tendit, gestitque coire,
Et jacere humorem in corpus de corpore ductum:
Namque voluptatem præsagit multa cupido.
Hæc Venus est nobis; hinc ductum est nomen Amoris:
Hinc illa et primum Veneris dulcedinis in cor

Sed non est, qui Flacco illustrando pulchrius inserviat, quam Juvenalis, ad xv. 136. ibidem admotus Baxtero:

> ——— cujus, manantia fletu,
> Ora puellares faciunt incerta capilli.

Ubi animadversiones Grangæi ad Lucretii versum non mediocriter quidem faciunt.

Ibid. *membris hunc jaculatur.* Perquam venuste Plautus, Trin. ii. 1. 16.

> Quam ex templo *saviis sagittatis percussus est!*

Huc etiam refer Maronem, geo. ii. 476.

> Quarum sacra fero, ingenti *percussus amore.*

Varia lectio *perculsus* ad istum locum statim erat explodenda. Quid distent verba, discas ab commentatis supra, ad i. 13.

Ver. 1047. *e corpore:* Π. *de pectore;* uti sæpiuscule librarii peccaverunt: vide nos ad i. 39. Codex Statii in MS. in Musæo Britannico, seculi dictus xiii. sed nobis ex literarum formis antiquior habitus, ad Theb. ii. 327. pro *pectora*, dat *corpora:* atque ad ver. 484. ibid. pro *Corpora*, vicissim habet *Pectora.*

Ibid. *jactans e corpore amorem;* quasi *lucis spicula*, vel *auram* et splendorem, scilicet: committas modo observata, ad ver. 1027. et v. 576. cum notatis ad ii. 850.

Ver. 1049. *de:* V. ed. B. *e.—ductum:* Vind. V. ed. Σ. Ω. *eductum.*

Ibid. *jacere humorem:* nempe, *γονιμον* de quâ re usitatissima est Lucretii locutio, sicut nos pluribus ostendimus dudum, in Silv. Crit. sect. clii. et tom. v. p. 148.

Ver. 1050. *voluptatem:* B. *voluntatem;* Δ. *cupiditatem.—multa:* Vind. V. ed. L. O. Δ. Σ. Ω. *muta.*

Ver. 1051. *Hæc:* O. Π. *Nec.—ductum:* ita scriptum reperi in margine Π. pro variâ lectione, et dignum putavi, quo Lucretius jam tandem postliminio redonaretur: O. *vitæ;* codices nescio qui Lambini, *mite;* quod non spernendum: vulgo, *autem;* quæ scriptura summopere nobis friget. Virgilius, Æn. x. 145.

> ——— hinc *nomen* Campanæ *ducitur* urbi.

Pro *nomen* autem, Creechius non illepide proposuit *numen:* et sane passim his vocibus librarii oberrant; sed nec necesse est novare hoc tempore, nec sinunt codices MSS. vel exemplaria typis conformata. Interea, ad illud *mite* non leviter inclinat animus. Sic Tibullus, i. 10. fin.

> ——— *miti* sit procul a *Venere.*

Idem rursus, ii. 3. 71.

> Tum, quibus adspirabat *Amor*, præbebat aperte
> *Mitis* in umbrosâ gaudia valle *Venus.*

Et ingenium loci manifesto probat, poëtam omnia voluisse coloribus lætis depicta. Sed in medio rem relinquimus, lectoribus eruditis venustisque dijudicandam.

Ver. 1052. *illa et:* i. e. "hinc *etiam* "illa gutta Veneris—." Satis bene: sic autem scriptum est in Vind. O. Δ. Ω. sed P. V. ed. B. *illata;* M. *illa a;* Π. *illate;* Σ. *illa ut;* L. *illa ex*, sed secundæ manûs, erasâ vetere scripturâ. P. insuper habet *prius*, pro *primum;* quod correctoris digitum planissime declarat.

Ibid. *Veneris dulcedinis.* Justinus, xli. 3. 1. "Uxores, *dulcedine* variæ *libidinis*, "singuli plures habent." Item Maro, Æn. xi. 538.

Stillavit gutta, et subcessit frigida cura.
Nam, si abest, quod ames, præsto simulacra tamen sunt
Illius, et nomen dulce obversatur ad aureis.
Sed fugitare decet simulacra, et, pabula amoris,
Absterrere sibi; atque alio convortere mentem;

——— neque enim novus iste Dianæ
Venit *amor*, subitâque animum *dulcedine* movit,

Ibid. *dulcedinis in cor Stillavit gutta:* Eustathius, de am. Ismen. et Ism. lib. v. p. 181. Ἡ δ' *ὑπεστιναζε λεπτον Αφροδισιον· και το λεπτον ερωτικον αποστιναγμα* (l. *ὑποστιναγμα*) *ὁλην ἡδονην ες αυτην μοι μεσην εσταλαξε την ψυχην.* Sed fundus locutionis his omnibus Mæonides erat, ut videtur, ad Od. B. 271.

ΕΙ *δη τοι σευ πατρος* ΕΝΕΣΤΑΚΤΑΙ ΜΕΝΟΣ *ἠΰ.*

Ver. 1053. *Stillavit gutta dulcedinis.* Euripides, Hippol. 526.

Ερως, Ερως, ὁ κατ' ομματων
ΣΤΑΖΕΙΣ *ποθον, εισαγων γλυκειαν*
Ψυχᾳ χαριν.

Bentleius:

quem tragici locum Thomas etiam Burgessius, vir nec mediocriter nec vulgariter eruditus, cum Lucretii versu contulit ad Dawesii miscell. crit. p. 503. qui consulendus. Et his Lucretianis Orpheus etiam non alienus aderit, de lapidd. ver. 529.

Τερπωλη δ' ἡδεια θεωμενῳ ες φρενα σειο
Βησετ'· εγω δ' ουκ οιδ' ὁ, τι μοι θελγητρον ιδοντι
Αιει ὙΠΟ *πραπιδας* ΚΑΤΑΛΕΙΒΕΤΑΙ—.

Ita suspicor legendum: vulgo, *επι.* Nec Oppianus huc non multum facit, in cyneg. ii. 314.

Ουκ αρα τοι μουνοισι φιλη πατρη μεροπεσσι·
Και βαλιοις δε ΠΟΘΟΣ *τις* ΕΝΕΣΤΑΚΤΑΙ
ΦΡΕΣΙ *θηρων.*

Et mox ibid. iii. 108.

Η *ῥα τοσον τεκεων τι, και αρτιγονοιο γενεθλης,*
Φιλτρον ΕΝΙ ΚΡΑΔΙΗ ΣΤΑΞΕ *θεος.*

Sed prior Pindarus, Isth. iv. ultimo:

——— *Συν Ορσεᾳ δε νιν*
Κωμαζομαι, τερπναν ΑΠΟΣΤΑΖΩΝ ΧΑΡΙΝ.

Stillavit autem, *ex oculis* utique in cor; ut Hesiodus de Charisi, in Theog. 909. cujus versus suavissimi non erant, opinor, inobservati Lucretio:

Των και απο βλεφαρων ΕΡΟΣ ΕΙΒΕΤΟ *δερκομενων*
Λυσιμελης· καλον δε θ' ὑπ' οφρυσι δερκιοωνται:

uti verissime nonnulli ediderunt.

Ibid. *fervida.* Ita MSS. recte. Juvenalis, iv. 137.

Nec Veneris pharetris macer est, aut lampade
fervet.

Atque Sappho similiter:

——— *αν δε λεπτον*
Αυτικα χρῳ ΠΥΡ *ὑποδεδρομακεν.*

Tibullus etiam, iv. 12. 1.

Ne tibi sim, mea lux, æque tam *fervida cura:*

i. e. ne ita amer.—Hæc autem credo desumpta ex Epicuri *περι ερωτος.* Bentleius.

Male omnino, vir doctissime! Pius nimirum affirmat in antiquis codicibus non legi *frigida*, sed *fervida;* et illam sane scripturam in Σ. egomet offendi: sed unanime reliquorum omnium exemplarium multo pluris faciendum est testimonium, atque potissimum Lucretii ipsius mens et scopus; qui passim de *amore*, ut affectu *γλυκυπικρῳ*, cujus lætis rebus utique malorum mensura par est, loqui solet: id, quod sequentia ex abundanti probant. Appositi sunt, et ad illuminandum Lucretium egregie facti videntur, versus Appolloniani, Argon. iii. 286.

Et jacere humorem, conjectum, in corpora quæque,
Nec retinere, semel convorsum unius amore,
Et servare sibi curam, certumque dolorem.
Ulcus enim vivescit et inveterascit alundo,
Inque dies gliscit furor, atque ærumna gravescit,

——————— βελος δ' ενεδαιετο κουρῃ
Νερθεν ὑπο κραδιῃ, φλογι εικελον· αντια δ' αιει
Βαλλεν επ' Αισονιδην αμαρυγματα, και οἱ αηντο
Στηθεων εκ πυκιναι καματῳ φρενες, ουδε τιν' αλλην
Μνηστιν εχε, ΓΛΥΚΕΡῌ δε ΚΑΤΕΙΒΕΤΟ θυμον ΑΝΙῌ.

Horatius insuper apponetur, epist. i. 3. 26.

Frigida curarum fomenta——:

quem locum jam video Lambino prolatum.

Ver. 1054. *Nam si abest:* P. *Namque si abest;* V. ed. *Namst;* B. *Nam si est;* Π. *Nam est ut abest;* Σ. *Nam est obest:* quæ corruptelæ a solicitudine de metro originem habuerunt. Sed vocis monosyllabæ, similiter elisionem non passæ, plura jam specimina noster dedit in præcedentibus. Virgilius, Æn. vi. 507.

Nomen et arma locum servant. *Te*, amice! nequivi
Conspicere, et patriâ decedens ponere terrâ.

Ad morem scilicet in longis vocalibus observatum Græcis. Pervagatum est: pueri norunt.

Ver. 1055. *obversatur:* P. Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. *observatur;* B. *servatur;* M. *oberratur.*

Ver. 1056. In toto Latio, quantum quantum est, nihil, ut opinor, quidquam leges, quod æque legi oporteat, atque eos versus, qui hunc sequuntur. Faber.

Ibid. *fugitare decet simulacra.* Seneca, epist. lxix. "—ei, qui amorem exuere conatur, evitanda est omnis admonitio dilecti corporis: nihil enim facilius, quam amor, recrudescit." Preigerus.

Ver. 1057. *absterrere:* Δ. *abstinere:* Lambinus ex ingenio reposuit *Abstergere*, offensus, et merito quidem, insolente dicendi genere, *absterrere pabula:* eandem dictionem Gifanius affirmat se in veteribus libris invenisse, cui Lambinus non credit; nec injuriâ. Nimirum, neque illi, neque alius quisquam veram verborum seriem grammaticam perspexit, qui sic se habet: "Sed decet fugitare et absterrere sibi simulacra, *quæ sunt* amoris pabula." Præterea, *Absterrere simulacra*, pulchre omnino, atque congruenter dictum est: nam et mortuarum umbras, vel *simulacra*, *terreri* fingunt poëtæ. Hinc Virgilius, Æn. v. 738.

Jamque vale! torquet medios nox humida cursus,
Et me sævus equis oriens adflavit anhelis.

Confer Æn. vi. 491. Hom. Od. Λ. 48. Notum est.

Ver. 1058. *conjectum:* prisca Pii exemplaria, *collectum;* quam lectionem editores cupidissime arripuerant, sed perperam et inscite, quum sit non dubitandus fetus glossatoris, Lucretianæ orationis indolem nescientis. Verbum *conjicere* sæpenumero noster adhibuit pro *conferre*, in unum locum jacere, vel importare; *colligere* denique: redeas ad ver. 416. hujusce libri. Has insuper affinium vocabulorum societates, *conjicere conjectum*, suaves esse lusus in Cari deliciis, nos ad satietatem usque monuimus, et lector ille tardiusculus, aut negligens, sit necesse est, qui non animum sponte id adverterit. Ita confestim, ver. 1064. "*Volgivagâ vagus* Venere—." Glossarium vetus: "*Conjicio*, εισφερω."

Ver. 1059. *semel unius:* Π. *semen intus.*—*amore:* P. *amorem;* nec male.

Ibid. *convorsum:* nempe hominem;

Si non prima novis conturbes volnera plagis,
Volgivagâque vagus Venere ante recentia cures,
Aut alio possis animi traducere motus.
Nec Veneris fructu caret is, qui vitat amorem;
Sed potius, quæ sunt sine pœnâ, conmoda sumit.
Nam certe pura est sanis magis inde voluptas,

nam hic est ordo verborum, et constructionis ratio: "Nec decet hominem, semel "conversum unius amore, retinere con-"jectum humorem." Quod miror nemini perspectum. Temerarias et ineptas conjecturas, hac ignorantiâ prognatas, quid attinet per temporis fructuosissimi dispendium singillatim numerare?

Ver. 1060. *Et:* P. *Nec;* quod correctorem nimis redolet.

Ver. 1061. *Ulcus:* Vind. Π. *Vultus.*—*vivescit:* Π. *virescit.*—Ex versûs autem hujusce fonte prius ora proluit Virgilius, quam divinos numeros cecinerit, ad geo. iii. 454.

> Non tamen ulla magis præsens fortuna laborum
> est,
> Quam si quis ferro potuit rescindere summum
> *Ulceris* os: *alitur* vitium, *vivitque, tegendo*——.

Ibid. *Ulcus inveterascit.* Plinius, nat. hist. xxvi. 87. fin. "Polythrix *inveteratis* "iisdem (*ulceribus*) utilior."

Ver. 1062. *gliscit:* V. ed. *gescit;* B. *gestit.*

Ibid. *gliscit furor.* Maro, Æn. xii. 9.

> Haud secus adcenso *gliscit violentia* Turno.

Ver. 1063. *conturbes:* Δ. *contundis;* male. Catullus, v. 11, quem opportune Creechius versui adscripsit:

> Dein, quom millia multa fecerimus,
> *Conturbabimus* illa, ne sciamus——.

Et translatio est, nisi fallor, ex geometrarum usu ducta; pulverem in tabulis subinde complanantium, ut novas figuras fingerent.

Ibid. *novis plagis.* Cicero, Tusc. dispp. iv. 35.—"etiam novo quodam amore ve-"terem amorem, tamquam clavo clavum, "ejiciundum putant." Lambinus.

Ver. 1064. *vagus:* V. ed. *vageis;* Π. *vagas.*

Ibid. *Volgivagâ Venere.* Propertius, i. 13. 11.

> Hæc tibi *vulgares* istos conpescet *amores.*
>
> Bentleius.

Et hæc est ἡ Πανδημος Αφροδιτη Græcorum, uti Lambinus vidit. Theocritus, epig. xiii. 1.

> Ἡ Κυπρις ου Πανδημος——.

Apuleius, apol. p. 14. ed. Pricæi, eam nuncupavit *vulgariam Venerem:* et opponi potest *solivaga virginitas* Martiani Capellæ, lib. i.

Ibid. *ante:* i. e. ante quam vulnus nimirum inveterascat.

Ver. 1065. *alio traducere.* Virgilius, ecl. viii. 99.

> Atque satas *alio* vidi *traducere* messis.

Ver. 1066. *caret is:* V. ed. *caretis.*—*vitat:* V. ed. *vitæ;* Σ. *vita.*—Huc spectant Epicurea illa, apud Diog. Laërt. x. 118. *Συνουσιη δε, φασιν, ωνησε μεν ουδε ποτε· αγαπητον δε, ει μη και εβλαψε.*

Ver. 1067. *Sed:* V. ed. *Set.*—*sumit:* Π. *summit.*

Ibid. *sine pœnâ conmoda:* vide, si libeat, locum Martialis, ad ver. 965. designatum.

Ver. 1068. *certe:* P. Π. *certa et;* prout vulgares editi; Vind. V. ed. B. *certa:* cæteri, ut nos posuimus, meliores atque vetustiores.—*voluptas:* Π. *voluntas.*

Ibid. *pura voluptas.* Culex, ver. 88.

> Illi dulcis adest requies, et *pura voluptas,*
> Libera *vindicibus* curis:

uti nos alibi diximus legendum. Vulgo

Quam miseris: et enim potiundi tempore in ipso
Fluctuat incertis erroribus ardor amantum:
Nec constat, quid primum oculis manibusque fruantur.
Quod petiere, premunt arte; faciuntque dolorem
Corporis, et denteis inlidunt sæpe labellis,
Osculaque adfligunt, quia non est pura voluptas:

scribitur, *simplicibus*; quod editores valde cruciavit.—*Sanis* autem, amoris *morbo* non laborantibus. Hinc pendet Virgilius, Æn. iv. 8.

> Quum sic unanimem adloquitur *male sana* sororem:

i. e. *non sana*, furiata. Confer eundem, ecl. viii. 66. x. 44. Ita Cyclops Theocriteus *ολεαις μανιαις* amavit, idyll. x. et cætera profecto id genus innumerabilia.

Ver. 1069. *potiundi:* Π. *pereundi;* haud illepidâ profecto aberratione.

Ibid. *miseris.* Dixit Diogenes Cynicus, *ερωντας προς ἡδονην* ΑΤΥΧΕΙΝ· in D. Laërtio. Bentleius. Nimirum, locus apud istum scriptorem invenitur ad vi. 67. fin. Virgilius, Æn. iv. 429.

> Quo ruit? extremum hoc *miseræ* det munus *amanti.*

Ver. 1070. *incertis:* V. ed. B. Ω. *incertus.*

Ibid. *Fluctuat incertis erroribus—oculis manibusque.* Hæc deprompta sunt ex Euripide, sic ad Lucretium corrigendo, Phœn. 320.

> Τι φω σε; πως απαντα
> Και ΧΕΡΣΙ, και ΚΟΡΑΙΣΙ,
> ΠΟΛΥΕΛΙΚΤΟΝ 'ΑΔΟΝΑΝ,
> Εκεισε και το δευρο
> ΠΕΡΙΧΟΡΕΥΟΥΣΑ, τερψιν
> Παλαιαν λαβω χαρμονας;

Sed emendationem indubitatam Musgravius occupavit; et Valckenaërus etiam Lucretianorum versuum erat recordatus. Addam Ammianum Marcellinum, xxvi. 2.—"tunc magis *errorum* profundâ caligine *fluctuabant*—."

Ver. 1072. *Quod:* V. ed. *Quid.—premunt arte:* Π. *arte premunt.* Et *arte* exaratur, non *arcte*, in P. Vind. V. ed. B. L. M. Ω.

Ver. 1073. *denteis inlidunt labellis.* Hanc pancratii Venerei circumstantiam Plautus delicatissimis verbis, ut nihil supra, concepit, Pseud. i. 1. 65.

> Teneris labellis molles morsiunculæ.

Lambinus provocavit etiam Curc. i. 3. 31. mil. glor. iv. 8. 25. Pseud. v. 1. 14. Horat. od. i. 13. 11. Nec Varro non venuste, apud Nonium, ii. 547. ita mendâ liberandus:

> ————— sicut pullei, sic *inpetunt;*
> Et in *labellis morsicatim lusitant.*

Libri, *incedunt.* Anthologia Latina, iii. 228.

> Felix, si qua tuum corrodit femina collum!
> Felix, quæ labris livida labra facit!

At at manus abstinendum est; et, quibus hæ mordicationes amatoriæ salivam moveant et pervellant stomachum, illi famem poterunt lenire, ac proluere sitim, plenis rivis Apuleii, aut luxuriosis dapibus, Burmanniano labore conquisitis conditisque ad laudatum locum Anthologiæ.

Ver. 1074. *adfligunt:* ita P. Vind. V. ed. B. L. Π. Σ. Ω. vulgo, *adfigunt:* sed nostra lectio sensum habet multo efficaciorem, atque adeo loci scopo commodiorem, omnia jam in deterius studio pravo detorquentis. Dictiones *affigo* et *affligo* sæpissime librariis confunduntur; de quibus Bentleium videas ad Horat. sat. ii. 279. *Adfligunt* nimirum *oscula*, "cum collisione quadam violenter imprimunt et "impingunt." Tempestivus aderit glos-

Et stimulei subsunt, quei instigant lædere id ipsum,
Quodquomque est, rabies unde illæc germina turguent.
Sed leviter pœnas frangit Venus inter amorem,
Blandaque refrenat morsus admixta voluptas.
Namque in eo spes est, unde est ardoris origo,
Restingui quoque posse ab eodem corpore flammam.
Quod fieri contra totum natura repugnat;

sator vetus: "*Adfligo*, *προσρησσω*." Sed potissimum Theocritus, idyll. xx. 4.

> *Βωκολος ων, εθελεις με κυσαι, ταλαν; ου μεμαθηκα*
> *Αγροικως φιλειν, αλλ' αστικα* ΧΕΙΛΕΑ ΘΛΙΒΕΙΝ.

Valeat Valckenaërus cum futili suo *φλιβειν*, usui nulli prorsus. Jam vero *affigere oscula* mollior res est, atque affectûs multo tranquillioris. Virgilius, Æn. i. 687.

> Quum dabit amplexus, atque *oscula* dulcia *figet*.

Porro, Δ. *vera*, vice *pura*; ex glossâ, ut putem.

Ver. 1075. *stimulei:* V. ed. *simili.*—*instigant:* M. *instignant.*

Ver. 1076. *Quodquomque:* V. ed. *Quocunque.*—*illæc:* sic rescripseram prius ex ingenio, quam noverim docto cuidam apud Lambinum idem placuisse: P. *illi hæc;* Vind. Σ. *illæ;* V. ed. *ille hæc;* B. L. a secundâ manu, O. Π. Ω. *illa hæc;* M. *ille;* Δ. *illa hic.* Scribæ similiter turbant in *ille hæc*, et *illæc*, ad Terent. Heaut. iii. 2. 30.—*germina:* Π. Σ. *gramina.*

Ibid. *rabies;* in casu patrio, pro vulgari *rabïei.* A. Gellius, ix. 14. init. "Quod "autem supra scriptum est in Q. Claudii "verbis, 'Propter magnitudinem atque "'immanitatem *facies*,' id nos aliquot ve- "teribus libris inspectis exploravimus; "atque ita esse, ut scriptum est, comperi- "mus. Sic enim pleraque ætas veterum "declinavit, Hæc facies, hujus *facies;* "quod nunc propter rationem grammati- "cam *faciei* dicitur: corruptos autem "quosdam libros reperi, in quibus *faciei* "scriptum est; illo, quod ante scriptum "erat, obliterato—:" etc.

Ibid. *rabies germina:* ut Socrates *amorem* vocitabat "*rabiosum* quendam domi- "num, et crudelem;" apud Ammian. Marc. xxv. 4.

Ibid. *germina turguent.* Ita conjeceram rescribendum esse, pro librorum lectione, *germina surgunt;* quam locutionem prorsus insolentem, et Latio ignoratam, puto: non ausus essem tamen divinationem meam, utcunque proprio judicio certissimam, in contextu ponere, nisi Pius annunciasset, in exemplaribus reverendæ antiquitatis scriptum esse, *germinat urgens:* in quibus si syllabas recte dispertiaris, scriptura efficitur, nostræ, nisi unâ literulâ tantum, nihil discrepans. Jam vero *turgeo* et *surgo* scribis commiscentur ad Lucan. vi. 109. Claudian. nuptt. Honor. et Mar. 94. videas me ad ii. 127. Virgilius, ecl. vii. 48.

> —— jam læto *turgent* in palmite *gemmæ.*

Plinius, nat. hist. xvii. 24. "—(arbores) "*germinatione turgentes*—." Scriptores geoponici, iii. 5. 4.—*παν φυτον, πριν* ΕΞΟΙΔΗΣΑΙ *προς* ΒΛΑΣΤΗΝ, *δεκτικον εστιν εις φυτειαν.* Doctos igitur me non malo consilio rem administravisse existimaturos spero, quod pervulgatam in hoc versu scripturam, contra propositum quamvis, immutare non reformidaverim.

Ver. 1077. *pœnas frangit:* i. e. furorem dolorificum imminuit, domat, reprimit. Iterum Virgilius, geo. iv. 400.

> —— Doli circum hæc demum *frangentur* inanes.

Ver. 1078. *refrenat:* L. M. *frenat;* quod in membranis incorruptissimis demiror, quum nihil vitiosi videatur sublatere.

Unaque res hæc est, quoius quo plurima habemus,
Tam magis ardescit dirâ cupedine pectus.
Nam cibus, atque humor, membris adsumitur intus:
Quæ quoniam certas possunt obsidere parteis,
Hoc facile expletur laticum frugumque cupido:
Ex hominis vero facie, pulchroque colore,
Nihil datur in corpus præter simulacra fruundum

Ibid. *refrenat morsus:* i. e. ita comprimit diminuitque, ut abeant in meras molles *morsiunculas.*

Ibid. *Blanda voluptas.* Idem Maro, geo. iii. 127.

——— ne *blando* nequeat super esse *labori.*

Ver. 1080. *restingui flammam:* Π. *flammas:* Virgilius, Æn. ii. 686.

——— sanctos *restinguere* fontibus *ignis.*

Suaviter Macedonius in epigrammate:

Τηλεφος ειμι, κορη· συ δε γινεο πιστος Αχιλλευς·
Καλλει σῳ παυσον τον ποθον, ὡς ἐβαλες.

Ver. 1081. *totum:* editi plures, *coram;* libris omnibus vetustis renuentibus. Interpolatam depravationem negligentia Vindobonensis etiam editoris propagavit, ni fallor, sine codice.

Ver. 1082. *quo:* sic P. verissime, et longe supra scribarum captum; adeo ut reliquorum exemplarium scriptura, *quam,* multo suspectior sit de hodierni correctoris importunitate: redi ad notata in ver. 999. —*plurima:* P. *pluria;* quod emendatorem resipit, quum nullus liber suffragetur, excepto Vind. isque citra controversiam negligenter sit excussus.

Ver. 1083. *dirâ:* O. *diraque.*—*cupedine:* Vind. V. ed. B. Δ. Π. Σ. Ω. *cupidine.*

Ibid. *dirâ cupedine.* Maro, Æn. vi. 721.

——— quæ lucis miseris tam *dira cupido?*

i. e. magna: vide ad ver. 1040.

Ver. 1084. *adsumitur:* V. ed. *absumitur.*—Et *humor* desideratur in Π. ut infra in eodem, *hominis.*

Ver. 1085. *obsidere:* V. ed. *absidere;* librarii oculo in primam syllabam fortasse τῳ *absumitur* supra positi conjecto: Π. *abscindere.*

Ver. 1089. *rapta est:* sic aperte O. Δ. et optime; V. ed. *raptas:* i. e. *raptast;* quod facile migraverit in *raptas:* prout per reliquos codices abiit in vulgatum, *raptat.* Ordo est, ac constructio: "—præter tenuia simulacra; quæ spes misella" (i. e. spes; hoc tantum, et nihil aliud!) "sæpe vento rapta est." Quæ planissima sunt, et venustissima. In quantum hic versiculus doctos viros torserit, et quot intempestivas conjecturas progenuerit, piget recensere; mera ludibria ingeniorum male feriatorum et frustratorum.

Ibid. Lego:

——— quæ *mentem spe lactant* sæpe misellâ.

Ex *lactant,* primum *jactāt,* inde *raptat.* Terentius, And. iv. 1. 24.

Nisi me *lactasses* amantem, et *falsâ spe* produceres.

Vel, propius ad MSS. *spe captant.* P. Syrus:

Fortuna, cum blanditur, *captatum* venit.

Pro *mentem,* vide v. 63. BENTLEIUS. Idem BENTLEIUS his Fabri verbis ad locum, "Nam sex septem dies locum hunc animo versavi," hæc inter illius editoris notas subjecit: "Rideo hunc, qui tam diuturnam operam lusit; ut videbis, si nostras notas videris."
Rursus, tam Bentleio, quam Fabro, surdas aures nos obvertimus; et, opinor, lectores nostri.

Ibid. *vento rapta.* Ovidius, met. xiv. 355.

Tenuia; quæ vento spes rapta est sæpe misella.
Ut bibere in somnis sitiens quom quærit, et humor
Non datur, ardorem qui membris stinguere possit;
Sed laticum simulacra petit, frustraque laborat,
In medioque sitit torrenti flumine potans:
Sic in amore Venus simulacris ludit amanteis,
Nec satiare queunt spectando corpora coram;
Nec manibus quidquam teneris abradere membris
Possunt, errantes incertei corpore toto.
  Denique, quom, membris conlatis, flore fruuntur

Non tamen effugies; *vento rapiare*, licebit.

Ver. 1090. *quom:* P. *qui.—et:* V. ed. *at.*

Ver. 1091. *qui membris:* sic eleganter omnes omne genus libri; vulgo, non inscite minus, quam audacter, *in membris qui.—stinguere:* Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. *tingere*, vel *tinguere;* abstractâ et amissâ *s* literâ, ob similem terminum præcedentis dictionis. Mox, *laticum* deest Π.

Ver. 1093. *torrenti flumine:* eâ nempe aquarum rapiditate, ut æstuet quasi, *ferveat*que. Virgilius, ecl. vii. 52.

Aut numerum lupus, aut *torrentia flumina* ripas.

Justinus, iv. 1. 9. "Nusquam alias tam "*torrens fretum*—." Arnobius, lib. i. p. 5. "Ut modo Romani, velut aliquod "*flumen torrens*, cunctas submergerent "atque obruerent nationes—."

Ver. 1094. *simulacris ludit.* Similiter Virgilius, Æn. i. 408.

Quid natum totiens, crudelis tu quoque, falsis
Ludis imaginibus?

Ibid. *ludit amanteis.* Idem Maro, ib. ver. 352.

Multa malus simulans vanâ spe *lusit amantem.*

Ver. 1095. *Nec satiare queunt spectando.* Huc etiam Mantuanus ille non minus videtur respexisse, ibid. ver. 713.

Expleri mentem nequit, ardescitque *tuendo*,
Phœnissa.

Cæterum, hæc est verborum series grammatica, quæ non innotuit interpreti: "Nec "corpora queunt satiare spectando co- "ram:" i. e. dum coram spectantur. Notissimus est ille versiculus Virgilianus, ecl. viii. 71.

Frigidus in pratis *cantando* rumpitur anguis.

Insuper, vice *coram*, Δ. codex, *quædam*.

Ibid. *spectando:* sane secundum Euripidem, Hippol. 530.

Ερως, Ερως, ὁ κατ' ΟΜΜΑΤΩΝ
Στάζεις πόθον—.

Ad quos versiculos me impulsore perlegas nuper adhibita elegantissimo perdoctoque viro, F. H. Egertono.

Ver. 1099. *jam quom:* ita Vind. B. L. M. O. Δ. vulgo, *quom jam*, vocibus transpositis, contra libros: P. Σ. Ω. *jam tum;* V. ed. *jam sunt;* et Π. *jam tunc.*

Ver. 1100. *Atque in eo:* V. ed. *At meo.*

Ibid. *muliebria conserat arva.* Virgilius etiam hac usus est decorâ translatione, geo. iii. 136.

—————— nimio ne luxu obtusior usus
Sit *genitali arvo.*

J. Solinus, cap. i. p. 4.—"quod ibi minus "mirum; cum fetifero potu Nilus non "tantum terrarum, sed etiam *hominum* "*materna*, fecundet *arva.*" Similiter abutuntur vocibus *κηπος*, *hortus*, et aliis; quarum magnum numerum non difficil-

Ætatis; jam quom præsagit gaudia corpus,
Atque in eo est Venus, ut muliebria conserat arva;
Adfigunt avide corpus, junguntque salivas
Oris, et inspirant, pressantes dentibus ora,
Nequidquam; quoniam nihil inde abradere possunt,
Nec penetrare, et abire, in corpus corpore toto:
Nam facere interdum velle, et certare, videntur;
Usque adeo cupide in Veneris conpagibus hærent,
Membra voluptatis dum vi labefacta liquescunt.
Tandem, ubi se erupit nervis conjecta cupido,

ter proferre possem, sed leges pudoris vetant.

Ver. 1101. *jungunt salivas:* V. ed. *vingunt salvias.*—Nempe, καταγλωττιζειν. Rem Apuleius extulit longe delicatissime, met. vi. 395. ubi docti animadversores ampliant:—"unum *savium* blandientis appulsu linguæ longe mellitum."

Ver. 1102. *pressantes:* V. ed. *presantes;* O. *prensantes;* non male, sed vulgatum tamen, plenius confirmatum, teneo. Et eandem rem sic oratione Apuleius variavit, in met. iv. p. 306.—"osculis hiantibus filium diu, ac pressule, saviata—."

Ibid. *inspirant:* i. e. animam vicissim immittunt; intransitive, more Lucretiano. Seneca, Hippol. 1008.

——————— nullus *inspirat* salo
Ventus—.

Quintilianus, x. 3. p. 936.—"præterlabentia flumina, et *inspirantes* ramis arborum auræ—." Ovidius denique, met. i. 334.

Cæruleum Tritona vocat, conchæque sonaci
Inspirare jubet.

Cui rei consulens, interpunxi post *inspirant:* quod prioribus non factum; rationes sermonis, uti suspicor equidem, parum tenentibus.

Ibid. *inspirant, pressantes dentibus ora.* Simili modo Claudianus, Fescen. ver. 121. quem sic emendandum puto:

Et labris, animam conciliantibus,
Alternum rapiat *morsus* anhelitum.

Libri dant, *somnus;* in quo me non expedio. Conferas supra, ver. 1078. Eleganter Mattius etiam, apud Gellium, xx. 9.

Sinuque amicam refice frigidam caldo,
Columbulatim labra conserens labris.

Ubi plura suppeditat Oiselius. Sic autem legendum, uti prior Salmasius vidit. Me conferas ad Bion. idyll. i. 44. et ibidem in addendis. Rem brevissime Laberius declaravit apud Nonium, ii. 168. *Conlabella osculum.* Hæc autem sunt infinita, nec curiosius disquirenda.

Ver. 1104. *et:* Π. *nec;* importune et indocte.

Ibid. *abire in corpus corpore.* Tempestivus est, et summe venustus, Paulus Silentiarius, ep. vii. egregius lusuum Cupidineorum præco:

Ειδον εγω ποθεοντας· υπ' απληστοιο δε λυσσης
Δηρον εν αλληλοις χειλεα πηξαμενους,
Ου κορον ειχον ερωτος αφειδεος· ιεμενοι δε,
Ει θεμις, αλληλων δυμεναι εις κραδιην—.

Ver. 1105. *Nam:* Π. *Nec.*—*facere:* V. ed. *facte.*

Ver. 1106. *in:* sic L. M. Ω. cæteris deest vocula; perperam: nam *sibi invicem* hærent *in* compagibus.

Ver. 1107. *vi:* V. ed. *in.*—*liquescunt:* P. *liquescant;* Π. *quiescant.*

Parva fit ardoris violenti pausa parumper;
Inde redit rabies eadem, et furor ille revisit,
Quom sibi, quod cupiant ipsei, contingere quærunt;
Nec reperire, malum id possunt quæ machina vincat:

Ibid. *Membra labefacta.* Hinc Virgilius sua delibavit, ad Æn. viii. 390.

——————— notasque medullas
Intravit calor, et *labefacta* per *ossa* cucurrit.

In quo loco lectionem quorundam exemplarium, *calefacta*, statim rejiciendam esse satis probat tam Lucretii versus, quam τὸ *calor*, proxime stationem habens: nam rationes Burmanni, minus scite potestatem dictionis exponentis, neminem cordatiorem movere debent.

Ver. 1108. *erupit:* Vind. II. *rupit;* Δ. *eripuit.*—*nervis:* quidam, Pio teste, *venis;* quod non deterius: nam φλεψ, non minus quam νευρον, apud Nicandrum et alios, in prætextatis est; sed exemplis supersedendum: videas nos, ad ver. 1037.—*conjecta:* P. *conjuncta;* V. ed. *cojecta;* L. M. *conlecta;* si sit dignum credere: redi sis ad notata in ver. 1058.

Ibid. *cupido:* quam Arnobius, lib. v. p. 159. *voluptatem* vocitavit; qui cupientibus rem diligentius eventilare consulendus est. Nos in istiusmodi vocibus declarandis brevitati summo opere studemus.

Ver. 1110. *redit rabies, et furor.* Cognata vocabula ad eundem modum dedit adunata Statius, Theb. vii. 810.

Ventorum *rabiem et* clausum ejecere *furorem.*

Et Florus, ii. 18. 15.—" in ultimam *ra-*" *biem furoremque* conversi—:" ut mox iterum 19. 4. ejusdem libri. Catullus, lxi. 4. " Stimulatus *furenti rabie.*" Sic Juvencus, hist. evang. lib. iii. habet *rabies furoris;* et ibid. ver. 230.

Ventorum *rabiem*, tempestatumque *furores:*

unde idem, ad ii. 48. sic legendus est:

Nec poterat *rabidum* quisquam retinere *furorem:*

non autem, de quibusdam exemplaribus, *rapidum.* Ita in Anthol. Lat. Burm. iv. 20. 7.

Me viso, *rabidi* subito cecidere *furores.*

Addas Lucanum licet, iv. 240.

——————— *redeunt rabiesque furorque:*

ipsissima Lucretii verba adhibentem. Idem similiter locutus est, ad x. 72. Hinc forte an Seneca castigari debeat, in nat. quæstt. iv. 2.—" inter *rabidam* insaniam " Nili, et reciprocos fluctus, volutati—." Editi habent, *rapidam;* aberratione maxime frequenti. Confer Tacit. hist. i. 63. Ammianus Marcellinus, xv. 8.—" quos ad " hæc tentanda, quæ moverunt, *rabies* " egit, *et furor*—." Et mox, xvi. 12. " Hi sunt barbari, quos *rabies et* immo-" dicus *furor* ad perniciem rerum suarum " coëgit *accurrere*, nostris viribus oppri-" mendos." Sic longe melius, et indoli sermonis multo convenientius, legi puto: libri, *occurrere.* De horum vocabulorum confusione Burmannus egit, ad Lucan. x. 356. et Drakenborchius, ad Liv. xxiii. 24. 3. Flori maxime controversum locum recte scriptum dabo, ad i. 16. 7. " Pro " hac urbe, his regionibus, Romanus Sam-" nites invasit; gentem, si opulentiam " quæras, aureis et argenteis *armatam, lin-*" *teis et* discolori veste, usque ad ambitum; " si fallaciam, saltibus fere et montium " fraude grassantem; si *rabiem ac furo-*" *rem*, sacratis legibus humanisque hostiis " in exitium urbis agitatam." Quæ non discedunt a scriptis exemplis, nisi quod posuerim *linteis et* (i. e. lineis vestibus) pro *misit.* Nimirum, schema sermonis rarius, quod comprehendit nomen *armis* in participio *armatam*, eruditissimos animadversores ad locum fefellit: redeas ad annotata in i. 353. Dictionem vero *armatam* cum *veste* probe sociari, docuerunt alii, et nosmet ad Silv. Crit. sect. cxxv.

Usque adeo incertei tabescunt volnere cæco.
Adde, quod absumunt nervos, pereuntque labore:
Adde, quod alterius sub nutu degitur ætas.
Labitur interea res, et vadimonia fiunt;

Arnobius in cumulum adscribatur denique, lib. iii. p. 105. "Quid ergo jam superest, nisi ut eos (i. e. deos ethnicos) credamus, immundorum quadrupedum ritu, in *libidinum furias* gestire, *cupiditatibus rabidis* ire in mutuas complexiones; et, ad postremum, fractis dissolutisque corporibus, voluptatis enervatione languescere?" Quæ videntur magnâ ex parte ad Lucretium nostrum conformata.

Ver. 1111. *cupiant:* Δ. *capiant.*

Ver. 1112. *machina:* Π. *inguina.*—*vincat:* P. V. ed. Σ. Ω. *vincant.*

Ibid. *machina:* ut Theoc. ii. 95. *μαχος.* Incaute doctissimus Palmerius substituit *τι μ' αχος.* quod lex carminis haud patitur. Et quid illud *μοι μι?* An viro ingeniosissimo somnus obrepsit? Vide Eurip. Hippol. 481. Alcest. 221. Androm. 587. Bentleius.

Ver. 1113. *cæco:* V. ed. B. *toto.* Forsitan, ob similitudinem literarum *c* et *t*, mox *ceco* in *teto* abierit; atque adeo fieret confestim *toto.* Poteram tentare *tecto;* sed omnem emendandi pruriginem Virgilius reprimit, ad Æn. iv. 2.

> *Volnus* alit venis, et *cæco* carpitur igni:

de vi cupidinis ejusdem loquens.

Ver. 1114. *absumunt:* P. B. *adsumunt;* Vind. Π. Ω. *assumunt;* V. ed. *adsummunt:* redeas ad ver. 1084.—*nervos:* ita P. et, perpensis omnibus, hanc lectionem admittendam putavi; quamvis Virgilii exemplum adversari videatur, ad geo. iii. 215.

> *Carpit* enim *vires* paullatim, uritque videndo,
> Femina—:

et rursus, Æn. vii. 301.

> *Absumptæ* in Teucros *vires* cœlique, marisque.

Nihilo minus *το vireis* multo magis interpretamentum resipit, quam *nervos;* et multo minus obnoxium fuerit aberrationibus scribarum. V. ed. B. *nervis;* Π. vox omnino deest, quod vitiositatis suspicioni favet: Vind. Σ. Ω. *utris;* quæ lectio vulgati *vireis* depravatio videtur. In margine cod. Ω. manus altera posuit *artus* et *nervis*, pro var. lectt.—*pereunt:* Vind. *premit;* V. ed. *perunt;* Δ. O. *perimunt;* Π. *perimit.* Ita fortasse:

> Adde, quod absumunt nervos, *perimunt*que, *labores:*

ut sit *labores* in casu recto.

Ver. 1115. *degitur:* Vind. *degetur;* V. ed. *tegitur;* qui sit error forte recitationis.

Ver. 1116. *vadimonia:* sic quidam Pii codices; reliqui libri universi, *babilonia*, vel *babylonia;* quod vitium huc videtur importatum ex ver. 1023. De sinceritate lectionis receptæ non est, me judice, dubitandi locus.

Ibid. *Labitur res.* Virgilius, geo. iv. 449.

> Venimus, hinc *lapsis* quæsitum oracula *rebus.*

Sic etiam Tibullus, i. 6. 33. *labentur opes;* et alii passim: ut Cicero, ac Sallustius, *dilabi res.* Opportunissime Lambinus etiam admovit Plautum, Trin. ii. 1. 16.

> ———— nam qui ab eo, quod amat,
> Quam ex templo saviis sagittatis percussus est,
> Illico *res* foras *labitur*, liquitur:

uti Bentleius sane comici versus disposuit.

Ver. 1117. *vacillans:* ita P. Δ. exhibent apertissime; Vind. autem V. ed. B. *vigilans;* L. (a secundâ tamen manu) M. O. Π. Σ. Ω. *vigillans.* Sed enim vulgata lectio videtur in portu navigare, et hæ dissimilitudines scripturæ ad usum exquisitioris vocis referendæ.

Ibid. *ægrotat fama vacillans.* Translata est oratio, et hominem, opinor, respi-

Languent obficia, atque ægrotat fama vacillans:
Unguenta, et pulchra in pedibus Sicyonia, rident
Scilicet; et grandes viridi cum luce smaragdei
Auro includuntur, teriturque thalassina vestis

cit a morbo convalescentem, atque se baculo suffulcientem: videas animadversa ad iii. 505. Cæterum, innumerabilia sunt exempla hujusce translationis in utriusque linguæ scriptoribus.

Ver. 1118. *Sicyonia:* V. ed. Π. *Sicyona;* M. *Sicronia;* Ω. *Sitionia;* qualia quidem orthographiæ vitia commune fatum est nominum propriorum.

Ibid. *Unguenta rident.* Ut Catullus etiam quodammodo verba sociavit, lxii. 284.

> Queis permulsa domus jocundo *risit odore.*

Et comparari merentur cognati versus, et sane mellitissimi, Theognidis, sub initio:

> Παντα μεν επλησθη Δηλος απειρεσιη
> ΟΔΜΗΣ αμβροσιης· ΕΓΕΛΑΣΣΕ δε γαια πελωρη,
> Γηθησε δε βαθυς ποντος ἁλος πολιης.

Huc enim dixeris haud temere Lucretium jecisse oculos, ad i. 8.

> ———— tibi suaveis dædala *tellus*
> Submittit flores; tibi *rident æquora ponti.*

Appositus est etiam hymnus in Cererem, ver. 13. sub Homeri nomine vulgatus:

> Τω και απο ῥιζης ἑκατον καρα εξεπεφυκει·
> Κηωδει δ' ΟΔΜΗ πας τ' ουρανος ευρυς υπερθε,
> Γαια τε πασ', ΕΓΕΛΑΣΣΕ, και ἁλμυρον οιδμα
> θαλασσης·

uti bene emendavit Ruhnkenius, nisi verius fuerit Χ' ἡδυα δ' οδμη· ut Hom. Od. I. 210.

> ———— οδμη δ' ἩΔΕΙΑ απο κρητηρος ωδωδει.

Cæterum, in hoc Lucretii loco, duabus clausulis idem verbum sufficit, quamvis unam minus accurato sensu contingat, ad consuetudinem poëtis, brevitati consulentibus, perquam familiarem, nec prosis etiam scriptoribus ignotam. Trita res est, atque alibi in his commentariis notata.

Ibid. *pulchra Sicyonia:* i. e. calcei Sicyonii, quibus lauti homines et delicati utebantur. Interpretes certatim proferunt Ciceronem, de orat. i. 54. quem videas; et Festum: " *Sicyonia*, genus calceamenti. " Lucilius:

> " Et pedibus lævâ *Sicyonia* demit honesta."

Super his calceamentis plura legas apud Clem. Alex. in pædag. ii. 11. Lucian. dial. meret. xiv. rhet. præcept. sect. 16. et interpretes ibidem, cum J. Poll. vii. segm. 93. Cæterum, si locus divinationibus relinqueretur, (et versus quibusdam multum displicuit, atque emendationibus tentatus est) egomet profecto, vetustissimam spectans orthographiam, *polcra* scilicet, hoc pacto verba non formidarem constituere:

> Unguenta *in voltu*, in pedibus Sicyonia, rident:

et conjecturæ fidejussorem meæ Tibullum sisterem, ad ii. 2. 7. quem sic vere correxeram prius ex ingenio, quam eodem modo scriptum offendissem in Aldinâ:

> Illius *e* puro destillent *tempora nardo.*

Vulgo deest *e;* unde locutio fit minus exquisita, numerique languidiores. Interea tamen nosmetipsi receptis Lucretiani versûs lectionibus libenter acquiescimus.— Denique, *rident* ponitur pro *nitent;* de quâ verbi potestate, consulas animadversa nobis in ii. 501.

Ver. 1119. *grandes:* V. ed. *grades.*— *smaragdei:* M. *zmaragdi;* redeas ad ii. 804.

Ibid. *viridi luce smaragdei.* Pulchre Tertullianus, de cult. fem. i. 2. " —*lu-* " *mina lapillorum*, quibus monilia varian- " tur—."

Ver. 1120. *includuntur:* V. ed. *includunt.*—*thalassina:* V. ed. *thasmalma;* quod utrum sit lectionis veræ depravatio, an glossæ marginalis *transmarina*, nullus

Adsidue, et Veneris sudorem exercita potat:
Et bene parta patrum fiunt anademata, mitræ;
Interdum in pallam, atque Alidensia, Chiaque, vortunt.
Eximiâ veste et victu convivia, ludei,

dixerim; L. Δ. Σ. Ω. *thalasina;* O. *talasina;* Π. *talasia.*

Ibid. *Auro includuntur.* Ita Virgilius locutus est, Æn. xi. 488.

— surasque *incluserat auro.*

Ibid. *teritur:* i. e. res amatoria non feliciter procedit, nisi vestes pretiosissimæ, quæ solummodo peculiares in occasiones induuntur, usu diurno conterantur.

Ibid. *thalassina vestis:* i. e. ἁλιπορφυρος· *hyacinthina læna* Persii, sat. i. 32. Confer nostrum supra, ver. 73. cum Plaut. mil. glor. iv. 4. 43. Nonnus, Dionys. iv. p. 118.

Και Τυριης στασε βασιλῆϊα ΠΕΠΛΑ ΘΑΛΑΣ-
ΣΗΣ.

Ver. 1121. *sudorem:* i. e. palæstræ Cypriæ laboribus elicitum; ut Petron. sect. 87.

Ibid. *Adsidue exercita.* Catullus, lxi. fin.

Munere *adsiduo* valentem
Exercete juventam.

Ibid. *potat vestis.* Horatius, epist. i. 10. 27.

— Aquinatem *potantia* vellera *fucum.*

Et alii similiter.

Ver. 1122. *Et bene:* P. *Et bone;* Vind. V. ed. Π. *Et vene;* Δ. *Advena.—fiunt:* V. ed. O. Σ. Ω. *fluunt;* Π. *flunt;* et in margine Σ. pro variâ lectione, *fluitant;* Δ. *flores.—anademata:* Δ. *viademata;* Σ. *dyademata;* Ω. *anademotha.—mitræ:* Ω. *mythræ.*

Ibid. *anademata, mitræ.* Glossarium vetus: "Αναδηματα, redimicula." Et contra: "Redimicula, αναδηματα." Maxime appositus est Virgilius, cujus et alii profecto meminere, ad Æn. ix. 616.

Et tunicæ manicas, et habent *redimicula mitræ.*

Idem rursus, ibid. iv. 216.

Mæoniâ mentum *mitrâ,* crinemque madentem,
Subnixus—.

Unde nonnulli de sociandis vocibus *anademata mitræ,* ut *mitræ* sit in casu patrio, cogitaverunt; ad quam normam locus integer sic eleganter posset constitui, de codicis nostri Δ. varietate:

Et bene parta patrum *flores,* anademata mitræ,
Interdum in pallam, Melitensia, Ceaque, vortunt:

ut *flores* sint *corollæ;* atque constructio hujuscemodi: "Et bene parta patrum "vertunt *in* flores—:" accersitâ præpositione in præcedens substantivum, ut modo supra, ver. 1018. ubi nos videndi. Hæc tamen ratio nobismetipsis minus vulgatâ placet: nam τα ἑνικα in hoc loco, *anademata mitræ,* non videntur habere tantum efficaciæ, quantum τα πληθυντικα, *anademata, mitræ,* scilicet; utpote quibus insit aliquid αυξητικον et ὑψηλοφανες: vide Longin. de sublim. sect. xxiv. Libris igitur numerosioribus, et antiquioribus, obtemperari malim: nam, ad receptas lectiones, το *anademata* in numero multitudinis, cum *mitræ* in numero unitatis copulatum, egomet nihil probem; Lambinus licet propemodum assentiatur.

Cæterum, Lucretius hausit ex Aristophane in Thesmoph. β′ apud Pollucem et Clementem, ad quos videas doctos animadversores, sic voces conjungente, μιτρας, αναδηματα. Adeas, si vacet, libeatque, fragmenta Comici.

Ver. 1123. *atque Alidensia, Chiaque.* Permultum negotii locus hicce mihi facessivit: cujus tamen suscepti nequaquam pœnitet, quum in tantum non certissimis haberi possit, me Lucretium redonavisse

Pocula crebra, unguenta, coronæ, serta, parantur;
Nequidquam; quoniam medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat:

pristinâ ejus atque genuinâ lectione. Vulgo scribitur editoribus, *ac Melitensia, Ceaque*, ex emendatione conjecturali solummodo Adriani Turnebi. Nostra lectio disertissime reperitur exhibita in L. M. O. Δ. Π. Ω. nisi quod in duobus codicibus postremis *ia* literæ finales dictioni, quæ sequitur, ut fit, male conjungantur: neque diversa est scriptura in P. Vind. V. ed. B: excepto quod *l* litera in his perperam geminetur, metro respuente, *atque allidens Iachia* scilicet; dictionibus eodem modo vitiose dispertitis commixtisque: Σ. *allidentes iahia;* nonnulla Pii exemplaria, *in stlitas et ianthina:* et eodem teste nonnulli recognoscunt, *et qualos et iachia;* quæ nempe in Juntinâ et Aldinâ leguntur, et in quibus vestigia depravationis non difficile est indagare. Jam vero, haud temere pronunciem, utrum sic *Alidensia* Lucretius ob versum scripserit, an debeamus reponere *Alinensia*, *Alindensia*, aut *Halydiensia* denique; quum diversimode scriptoribus ea civitas exhibeatur nominata: adi Plinium, nat. hist. v. 29. sub fin. et quos ibi suscitavit Harduinus, cum Stephano Byzantio in voce. Nec profecto quamlibet ex his scripturam præ alterâ qualibet ego saltem vitiosâ nuce redimam; quoniam metricarum legum violationem necessitas plene valet excusare. Innumera sunt hoc genus in poëtis, quæ doctos viros egregie cruciaverunt et luserunt; dum aliunde, quam ex istâ necessitate solâ, licentiæ caussas peterent: de quâ re multi hodieque penitus falluntur: hoc autem alias manifestissimum præstabo. Interea, non mirum est, sumptuosissimas vestes *Alindâ* provenisse, civitate Cariæ; regionis conterminæ scilicet Lydiæ Phrygiæque: quarum provinciarum vestimenta purpurea maximo apud veteres haberentur pretio, sintque plurimum decantata. *Chia* etiam vestimenta non de insulâ hoc nomine intelligenda sunt, sed de Cariæ itidem civitate: ita ut altera vox alteram roboret, et invicem lumen præbeat. Stephanus Byzantius, voce Χιος: Εστι και ἑτερα πολις Καριας Χιος. Plinius insuper oppidi cujusdam *Chii* mentionem fecit, in nat. hist. xvi. 6. *Cea* itaque vulgarium editionum, nullis exemplaribus MSS. munitum, aut vetustis impressis, sed commentitium prorsus ac vanum, eidem Turnebo, vel Gulielmo Pelisserio, qui primus dicitur finxisse, jam reddendum est, et contextu Lucretiano vel furcillis ablegandum.

Ibid. *vortunt:* neutro sensu, pro *vertuntur;* ut supra, ver. 138. ad quem versum, ne dicamus alibi, satis diximus.

Ver. 1124. Scriptura *luidi* in codd. L. M. depravatio videtur orthographiæ veteris, quam nos sequimur, *ludei* scilicet, librariis ævi sequioris facile displicituræ.

Ibid. *Eximiâ veste et victu:* adeo ut delicatiorem cibi usum complectatur *victus;* unde satis elucescit vanitas distinctionis, quam commentus est Donatus, ad Terent. And. i. 1. 48. "*Cibus* enim est, qui etiam "delicatis præbetur; *victus* in *parvis ari*-"*disque* alimoniis est constitutus." Mox Π. *scita* pro *certa*.

Ver. 1126. *Nequicquam:* V. ed. *Ne qui quam.*—*quoniam:* O. *donec;* Π. *cum;* ex compendio *qm*.

Ibid. *de fonte leporum Surgit amari aliquid:* i. e. "Nonnihil amaritudinis "*ebullit* cum aquis eo ex fonte, unde ex-"spectavisses dulces solas *scaturire*." Adeas autem, si venustates loci degustare rite velis, et sermonis proprietates perspicere, nostram Silv. Crit. iii. p. 131. iv. p. 234. Hinc insuper, observante id Lambino, veteribus *amor* γλυκυπικρος audiebat. Ita Musæus, ver. 166.

Ηδη και ΓΛΥΚΥΠΙΚΡΟΝ εδεξατο ΚΕΝΤΡΟΝ
ΕΡΩΤΩΝ.

Huc refer etiam Euripidem, Hippol. 351.

Aut quom conscius ipse animus se forte remordet,
Desidiose agere ætatem, lustrisque perire;
Aut quod in ambiguo verbum jaculata reliquit;

'Ηδιστον, ω παι, ταυτον, αλγιστον θ' 'αμα.

Ubi videas, quæ adnotaverit elegantissima, qui de novo nuper istam fabulam evulgavit, F. H. Egertonus, et Valckenaëri quædam. Cæterum, præcedens versus tragici crucem viris eruditissimis fixit, atque ita capiendus est et distinguendus:

Τι τουθ', ὁ δη λεγουσιν, ανθρωπους ερᾳν;

"Quidnam est hoc, de quo loquuntur, "*amor in homines mulierum?*" Vide ver. 353. Nihil certius aut clarius. In eâdem porro translatione suavissimâ feliciter Isocrates versatur, si modo Diva Critice mihi faverit, atque scribarum inquinatissimas corruptiones rite deterserim, ad Demonic. sub fidem: Εν μεν γαρ τῳ ῥαθυμειν, και τας πλησμονας αγαπᾳν, ευθυς αἱ λυπαι ταις ἡδοναις ΠΑΡΑΠΕΠΗΓΑΚΑΣΙ· (*vicinas scaturigines solent emittere*) το δε περι την αρετην φιλοπονειν, και σωφρονως τον ἑαυτου βιον οικονομειν, αει τας τερψεις ειλικρινεις και βεβαιοτερας ΑΝΑΔΙΔΩΣΙ (*ebullit*). Hæc vera sunt, et, si quid usquam, rite excogitata. Editi, παραπεπηγασι et αποδιδωσι· quæ minime toleranda dico, nitoremque loci penitus obumbrare; quamvis parum discrepet Stobæus, ecl. mor. p. 67. Exquisitius nimirum dicendi genus librarios ludificatum est.

Ver. 1127. *angat:* V. ed. ac Σ. *augat.* Num scribendum *pungat?* i. e. *pūgat.*

Ibid. *Surgit quod in floribus angat.* Delabi potest videri noster ad novam figuram; i. e. anguis inter flores delitescentis, loco spinæ in caulâ rosaceâ subrectæ; priore desertâ translatione: sed re verâ non est hujusce inscitiæ postulandus; quod tibi satis declaratum dabit ver. 1124. cum iii. 926. commissus: vel, si mavis, non minus eleganter interpreteris a ii. 29—34. quasi, per ripas reclinati, γλυκυπικρους latices fluvii prætereuntis biberent. Verum alia ratio videtur anteponenda, ut poëtica magis et exquisita: spinâ scilicet subinde vulnerante, quæ in sertis relicta gerentem fefellerit. Sic omnia cohærent.

Ver. 1128. *quom:* Vind. *quod,* ut editiones multæ; sed collator vapulet, non codex.—*remordet:* M. *demordet.*

Ibid. *remordet:* redeas velim ad iii. 839. Pariter Juvenalis, ii. 35.

Nonne igitur jure ac merito vitia ultima fictos
Contemnunt Scauros, et castigata *remordent?*

i. e. convertuntur, ut vicissim mordeant. Ibi Grangæus apposite contulit Horatium, epod. vi. 4.

Et me *remorsurum* petis?

Ver. 1129. *lustris perire.* Cicero, Philip. ii. 3. "—cum omnes impuritates "pudicâ in domo quotidie susciperes, vino "*lustris*que confectus." *Lustra* quidem proprie sunt *ferarum habitacula.* Virgilius, geo. ii. 471.

——— illic saltus, ac *lustra ferarum:*

ubi vide Servium. Facile autem ad designanda *lupanaria* vox progressa est; plerumque, ut credibile est, ob harum rerum pudorem naturalem, in obscuris locis ab inspectione populi recondita. Confer Nonium Marcellum, iv. 272.

Ver. 1130. *reliquit:* Π. *relinquit.*—Gassendus etiam *jactata,* pro *jaculata,* longe longeque ineptissimo conatu proposuit.

Ibid. *verbum jaculata:* redi ad ver. 580. et ibi dicta. Arnobius, lib. iii. p. 110.—"*jaculari*que in vos ea, quæ dolor suetus "est *jacere:*" nempe, *contumeliosa verba.* Homerus, Il. Β. 275.

'Ος τον λωβητηρα ΕΠΕΣΒΟΛΟΝ εσχ' αγοραων:

i. e. λογοις βαλλοντα· scholiastes. Atque ex translatione dicitur, ut putem, serpentis linguam vibrantis, vel ex usu fortasse militantium, vel saxis impetentium. Seneca, epig. v. 6.

Utque furens totas *immittit saxa* per urbes,
In populum sic tu *verba* maligna *jacis.*

Quod, cupido adfixum cordi, vivescit, ut ignis:
Aut nimium jactare oculos, aliumve tueri,
Quod putat; in voltuque videt vestigia risûs.
Atque in amore male hæc proprio, summeque secundo,

Hinc in Nævii Protesilao, apud Non. Marc. iii. 116. pro vulgatis,

——— cachinnos, joca, dicta, *risitant;*

legendum puto, *missitant:* i. e. crebro jaciunt. Pindarus *verba* vocitavit βελη et οἶστυς, in Ol. ii. 150. 163. et τοξευματα, in Isth. v. 59. Hinc conjecturam in Æschyli locum dabo, ut de illâ docti sententiam ferant; qui ad Agam. 1671. exstat:

> Αλλα τυσδ' εμοι ματαιαν γλωσσαν ὡδ' ΑΚΟΝ-
> ΤΙΣΑΙ,
> ΚΑ'ΚΒΑΛΕΙΝ ΕΠΗ τοιαυτα—;

In libris απανθισαι· quod aliis relinquimus explicandum. Cyrillus, contra Julian. lib. vi. initio:—ὡς δι' ὐδενος ποιεισθαι ασελγη την ΓΛΩΣΣΑΝ ΕΠΑΦΕΙΝΑΙ Θεῳ, και κατα της αῤῥητυ δοξης τα ὁπλα κινειν. Et pariter ad p. 229. lib. vii.—φιλοσκωμμονα τε και βδελυραν αυταις ΕΠΑΦΙΕΙΣΑΙ την ΓΛΩΣΣΑΝ. Sed in viam redeamus.

Ver. 1131. *adfixum:* Ω. *afixum.*—*cordi:* M. *corde;* deest Π.—*vivescit:* V. ed. B. *investit; in* nempe cum *vi*, et *t* cum *c*, ut alibi sæpissime, librario, vel typographo, negligenter commutatis.

Ibid. *adfixum cordi, ut ignis.* Ita Mantuanus, Æn. ix. 536.

> Princeps ardentem conjecit lampada Turnus,
> Et *flammam adfixit lateri*—.

Ibid. *vivescit ignis.* Ovidius, fast. iii. 427.

> Quos sanctâ fovet illa manu, bene *vivitis, ignes:*
> *Vivite* inexstincti, *flamma*que, duxque, precor.

Ver. 1132. *jactare oculos.* Quædam dedimus ad ii. 1046. Ovidius, epist. iii. 11.

> Alter in alterius *jactantes lumina* vultum.

Arnobius, lib. iv. p. 13. "Rursus vero, si *jecero* plagam in occiduam *lumina*—." Sed enim in hac venustate nemo superavit Æschylum, ad Agam. 247. de *Iphigeniâ:*

> ——— ἑκαλ' ἑκαστον
> Θυτηρων απ' ομματος βελει φιλοικτῳ:

quem ad Choëph. 59. obiter emendabo:

> 'ΡΙΠΗ δ' επισκοπυ ΔΙΚΑΣ
> Ταχυα—.

Vulgo, ῥοπη. De *oculo* autem *Justitiæ* loquuntur tantum non omnes paginæ poëtarum. Notum est elegantissimum Paullinum illud, 1 Cor. xv. 52.—εν ατομῳ, εν 'ΡΙΠΗ ΟΦΘΑΛΜΟΥ—. Quinimo, tragicus ille ad easdem Choëph. 572. hoc modo exhiberi debet:

> Η και μολων επειτα 'μοι κατα στομα
> Ερει, σαφ' ισθι, και ΚΑΤ' ΟΦΘΑΛΜΟΥΣ
> ΒΑΛΕΙ:

i. e. *in* me *jaciet oculos.* Totâ periodo nihil elegantius sperari potest, sed interpres crassius officio functus est, et Pauwius solennia delirat.

Ver. 1133. *risus:* quem conspectus alterius jucundior elicuerat, ultra vires dissimulationis.

Ver. 1134. *Atque:* P. *Atqui;* Vind. O. Δ. Π. Σ. Ω. *Aut quæ;* V. ed. *Aut que.*—*male:* sic vere et exquisite, V. ed. B. L. M. Π. Σ. reliqui, ut edi solet, *mala;* ad vulgarem nuperi cujusdam correctoris gustum. *Invenior* nempe, ad morem vocis gemellæ Græcorum εὑρισκομαι, sæpiuscule vim quandam verbi substantivi tantummodo continet. Testi sit Horatius, epist. ii. 1. 112.

> Ipse ego, qui nullos me adfirmo scribere versus,
> *Invenior* Parthis mendacior—.

Conferas S. Paul. ad Rom. vii. 10. 1 Cor.

Inveniuntur: in advorso vero atque inopi sunt,
Prehendere quæ possis, oculorum lumine operto,
Innumerabilia: ut melius vigilare sit, ante
Quâ docui ratione, cavereque, ne inliniaris.

iv. 2. ne locos plures excitem. *Male inveniuntur* igitur valet *male sunt*, vel infeliciter cedunt, *in amore*. Simile legas in Homeri Il. I. 324.

Ibid. *amore secundo*. Tibullus, i. 2. 75.

> Quid Tyrio recubare toro, sine *amore secundo*,
> Prodest—?

Et Propertius, ii. 19. 67.

> Mendaces ludunt flatus in *amore* secundi.

Corrige, *secundo*.—BENTLEIUS. Sic etiam Heinsius prior versum emendaverat.

Ibid. *amore proprio:* i. e. vere nostro, cujus nullus est particeps; qui sine rivali feliciter exercetur. Hanc interpretationem duo proxime præcedentes versus cuivis animum advertenti statim suggerunt.

Ver. 1135. *sunt:* V. ed. *fiant;* quod an forte venerit ex margine?

Ibid. *inopi:* i. e. opibus suis, vel amicâ, non potito: uti probe Lambinus etiam.

Ver. 1136. *Prehendere:* sic V. ed. Π. recte, ut putem; quum vetustiores per velociorem pronunciationem tulisse syllabarum nimietati medelam videantur. Alibi diximus. Vulgo, *prendere*.—*operto:* sic antiquissimi, L. M. Ω. et verissime, ut arbitror: i. e. "quivis, vel sit licet Hyp- "sæâ cæcior, possit discernere." Reliqua omnia exemplaria, *aperto;* quæ lectio rationibus loci non satis convenit. Eandem commutationem harum vocum offendimus superius, ad ver. 600. Sed aliud insuper mendum, ni fallimur, e loco tollendum restat; quum Lucretius hoc pacto scripserit versiculum:

> Prehendere quæ possis oculorum *limine* operto.

Unde summæ venustatis, et poëtâ dignissima, translatio enascitur. De confusione nominum *limen* et *lumen* egimus ad ii. 959. et alibi. Lectores sententiam ferant de conjecturâ; ad quorum judicium deferimus, nihil ausi ex ingenio sine idoneâ quapiam caussâ in Lucretio novare. Confer tamen sis interea iii. 360.—371. Cæterum, ne locum Papinianum, quem sum adscripturus, emendationi meæ alieniorem existimes, scias velim, hanc esse utrobique plenam versûs constructionem: "Quæ possis, lumine" (vel limine) "o- "culorum operto, prehendere oculis:" nam Statius ille memoratus similiter est locutus, in silv. iv. 2. 30.

> Longa super species: fessis vix culmina *prendas*
> *Viribus*, auratique putes laquearia cœli.

Ver. 1137. *Innumerabilia ut:* Σ. *Innumerabili aut.*—*ut:* Π. *aut.*—*sit ante:* Π. Σ. *si tante.*

Ver. 1138. *ne inliniaris:* i. e. "ne vis- "co fallaris, et capiaris." Scribi solet, *ne inlaqueeris;* ex emendatione Lambini, a vestigiis veterum exemplarium nimium recedente. Pius in quibusdam libris reperiri id, quod nos e corruptelis codicum elicuimus, diserte testatur. P. ut Aldinæ, et Juntina, *ne inliciaris;* Vind. *ne inligi-naris;* V. ed. *ne in ligniaris;* B. *ne inligniatis;* L. Δ. *ne inligniaris;* M. *neque inligniaris;* O. *ne ligniaris;* Π. *ne linguinaris;* Σ. *ne oligniaris;* Ω. *ne maligniaris.* Et forte an illud elementum *g* irrepserit ex glossâ quapiam, *lignum*, i. e. τὸ ξύλον, (de quo S. Lucas, actt. apostt. xvi. 24.) continente, et adscriptâ margini: nam ægre crediderim genuinum esse ipsum *illigniaris*, de quo nihil reperio; ita ut illud tormenti genus respiciat. Jam vero formas hujusce conjugationis multas in Celso, Plinio, et scriptoribus de re rusticâ reperies, *Linio*, *allinio*, et *illinio;* ut audaculi sit de vocis Latinitate, quod non

Nam vitare, plagas in Amoris ne jaciamur,
Non ita difficile est, quam captum retibus ipsis
Exire, et validos Veneris perrumpere nodos.
Et tamen inplicitus quoque possis, inque peditus,
Ecfugere infestum, nisi tute tibi obvius obstes,
Et prætermittas animi vitia omnia primum,
Ut quæ corporis sunt ejus, quam perpetis, ac vis.

nemo fecit, dubitare. Vetus glossarium: "*Linio*, χριω. *Illinio*, επιχριω." Leguntur etiam *circumlinio*, *perlinio*, *sublinio:* uti lexica te docebunt, ne pluribus congerendis tempora nos futiliter teramus, in apertâ satis re.

Ver. 1139. *jaciamur:* ita scribitur in omnibus exemplis (præter Π. in quo *jaciamus*,) vetustioribus. Lambinus obtrusit Lucretio suum *laciamur*, ab editoribus pluribus temere susceptum. Nos ablegandam esse contextu existimavimus hanc arbitrariam interpolationem. *Ne jaciamur* autem, *ne nosmetipsos jaciamus*, vel immittamus: μη εμβαλωμεν.—Mox *est* in V. ed. desideratur; et *Venere* comparet, pro *Veneris*.

Ver. 1140. Conferas Ovid. remed. am. 81. in quo carmine multa sunt hunc locum totum Lucretii attingentia; a quibus tamen adscribendis ob copiam nimiam abstinemus.

Ver. 1141. *perrumpere nodos;* Venerei *retis* scilicet. Ausonius, Mosell. 244.

> *Nodosis* decepta *plagis*, examina verrit:

et, ubi Burmannus plures locos laudat, Nemesiani cyneg. 301.

> Atque *plagas*, longoque meantia *retia* tractu,
> Addiscant raris semper contexere *nodis*.

Et committi non intempestive possit Horatius, in od. i. 1. 28.

> Seu *rupit* teretis Marsus aper *plagas*.

Ver. 1142. *tamen* deest V. ed.—*quoque:* Δ. *non*.—*inque peditus:* Σ. *inque pedita*. Et mox Vind. *Effuge*.

Ibid. *inplicitus*, *inque peditus*. Perstat in figurâ noster. Ovidius, art. am. ii. 580.

> *Impliciti laqueis* nudus uterque jacent.

Impedire autem proprie valet, *illigatis pedibus* constrictum tenere: i. e. pedicis tenere: vide Nonium, i. 285. Glossator vetus accuratissime: "*Impeditus*, εμποδιζομενος." Similiter Plautus, et appositissime, Truc. i. 1. 17. *reti inpedit;* et mil. glor. iv. 9. 11.

> Ipsus illic sese jam *inpedivit in plagas*.

Ver. 1143. *infestum:* i. e. το βλαπτικον, την βλαβην: namque eos falli puto, qui velint *amorem* nomen subintelligi. Ovidius, trist. v. 5. 51.

> Si *nihil infesti* durus vidisset Ulixes,
> Penelope felix, sed sine laude, foret.

Ibid. *obvius obstes*. Plautus, Stich. ii. 1. 14.

> Si rex *obstabit obviam*, regem ipsum prius pervortito.

Ver. 1145. *Ut:* i. e.—"*ita* prætermittas animi vitia, *ut* corporis *etiam vitia* prætermittis." Nihil perfectius, aut dilucidius: temerarii tamen et audaculi editores de suo scripsere *Tum;* quam lectionem sane nos in Δ. offendimus, et Vindobonensis effigies exhibet.—*quam:* Δ. *quæ*.—*perpetis:* M. *precis;* Σ. *præpetis;* Ω. *prepetis*.—*vis:* V. ed. *jus*. Cæterum, hic est ordo verborum in Σ.

> Corporis ut quæ sunt ejus——.

Elisio nempe *is* syllabæ, Lucretio et vetustis aliis perquam familiaris, correctori

Nam faciunt homines plerumque, cupidine cæcei,
Et tribuunt, ea quæ non sunt hiis conmoda vere.
Multimodis igitur pravas, turpeisque, videmus
Esse in deliciis; summoque in honore vigere.
Atque alios aliei inrident, Veneremque süadent
Ut placent, quoniam fedo adflictentur amore;
Nec sua respiciunt miserei mala maxuma sæpe.

displicuit: vide ver. 1022. Denique, verbum *perpeto* non alibi invenire quivimus.

Ver. 1146. Editores infercire solent pronomen *hoc* inter *Nam* et *faciunt:* audacius, an inscitius, egomet haud dicam temere. Ordo est: "Nam homines, "cæci cupidine, faciunt ea commoda, "(i. e. *confingunt*) et tribuunt, quæ non "vere mulieribus contigerunt."

Ibid. *cupidine cæci.* Ad eundem modum Lucanus etiam, i. 87.

> O! male concordes, nimiâque *cupidine cæci.*

Ver. 1147. *hiis:* P. *sibi.*—*vere:* Δ. *vitæ;* et idem codex mox, *pravos.*

Ibid. *conmoda:* i. e. elegantes dotes amori conciliando idoneas. Terentius, Heaut. iii. 2. 10.

> ——————— *Mulier conmoda,* et
> *Faceta,* hæc meretrix.

Ver. 1148. *pravas:* i. e. quibus in aliquâ parte corporis est distortio quædam et depravitas membrorum: *turpeis* autem, quibus vultus fedus est atque inhonestus. Videas me superius, ad ver. 516. Vetus glossarium: "*Pravus,* διάστροφος." Idem: "*Turpis,* δυσειδής." Exempla passim obversantur, vel in auctoribus usu puerili tritis.

Ver. 1149. *deliciis:* ita Ω. et Vind. sed diligentiam collatoris vix dubites coarguere: P. Δ. Σ. *delitiis;* Π. *inde dictis;* reliqui universi, *in delictis.* Legendum puto:

> Esse in *dilectis,* summoque in honore vigere.

Nam his major varietas inest quam *in deliciis,* et *in honore;* cujus nemo studiosior in omnibus Lucretio. Lector autem, quid velit, eligat: nos nihil refragabimur.

Ver. 1150. *aliei:* O. *aliis;* Δ. *illi;* per usitatissimam commutationem. Sic in Corippo, iii. 48.

> Attonitæ matres resolutis crinibus ibant:
> Ante fores *aliæ,* tectis sublimibus illæ,
> Implentes altas turbâ stipante fenestras:

rescribendum dico, *illæ,* vice *aliæ.*

Ibid. *alios aliei inrident.* Vide hominum vecordiam! qui invicem se irrident, alter alterum, dicentes amare turpiculum scortillum, illepidum, atque inficetum; cum ipsi habitudinis deterioris et deformioris puellam colant et adorent.—Pius.

Ibid. *süadent.* Sedulius, carm. i. 274.

> Est leve cujus onus, cujus juga ferre *süave est:*

atque V. H. Fortunatus, ad vi. 7. 14. similiter:

> Regis honore, novis duplicata est gratia pomis:
> Nare, *süavis* odor; dulcis *ab ore* sapor.

Sic castigandum: libri, *amore.*

Ver. 1151. *placent:* P. V. ed. B. M. a secundâ manu, O. Δ. Σ. *placeant;* Π. *placet.*—*quoniam:* Δ. *cum ipsi.* Nimirum, postea quam τὸ *quom* expulerat *quoniam,* ut alibi sæpenumero; corrector de suo pronomen intrusit, ut metro corruenti tibicen commodus subveniret.—*adflictentur:* ita Vind. O. Δ. Ω. cum Juntinâ et Aldinâ posteriore: Π. *affectentur;* P. V. ed. *afflictantur.* De membranis Havercampi nihil elicio explorati satis hac occasione.

Ibid. *Ut placent:* atque adeo inimicitiam Deæ devincant, quæ ad amorem so-

Nigra μελιχροος est; inmunda ac fetida, ακοσμος·
Cæsia, Παλλαδιον· nervosa et lignea, Δορκας·

let homines incitare, quoties illis irascatur. Plenæ sunt istiusmodi rebus poëtarum paginæ. Appositus est Horatius, sat. ii. 3. 13.

> *Invidiam placare* paras, Virtute relictâ?

Probe commentator Cruquianus: "Ide-" "one Virtutem et Industriam deseris, *ne* "*te sequatur Invidia?*" Confer Eur. Hipp. initium.

Ibid. *adflictentur:* i. e. gravissime exerceantur, quasi *terræ* per ictum violentum *allidderentur:* καταπονωνται. Dictys Cretensis, ii. 5. "Telephus—*dolore* vul-" "neris immodice *afflictabatur.*" Ita Suetonius, et alii, figurate; respicientes consuetudinem summis miseriis laborantium, qui se volutabant humo, et sponte solo impingebant.

Ver. 1152. *miserei mala* desiderantur in Π.

Ver. 1153. *Nigra:* V. ed. *Nigura.*—μελιχροος: P. μελαγχρυς· ejus prisci codices, μελιχλωρος· et nonnulli scribunt, eodem teste, μελανοχρως· quod in metrum peccat: V. ed. *mel tetrus;* Vind. L. *melchrus;* B. *meletrus;* M. *melichrus;* O. *melachrium;* Δ. *mel chru;* Σ. Ω. *mele crus.* Ex quibus varietatibus certissime colligitur, non ambigendam esse lectionem, quam nos, priores editores secuti, posuimus. Omnia autem scripta manu exemplaria, in quantum novi et intelligere valeo, voces dederunt Latinis literis exaratas; sed haud dubie præter mentem poëtæ: quum delicatuli homines inter Romanos, ac mulieres elegantiores, Græce loqui affectabant; et potissimum, quotquot in amatoriis deliciis versabantur. Hanc in rem Juvenalis, sat. vi. 187.

> De Sulmonensi mera Cecropis: omnia Græce,
> Cum sit turpe magis nostris nescire Latine.
> Hoc sermone pavent; hoc iram, gaudia, curas,
> Hoc cuncta effundunt animi secreta. Quid
> ultra?
> Concumbunt Græce——.

Idem, xi. 148. non alio spectat poëta:

> ———— cum posces, posce Latine.

Testis est etiam huic facto frequens Latinorum scriptis Græcarum phrasium adspersio; ut supervacaneum sit hac occasione rem altius repetere, aut scrupulosius eventilare.

Cæterum, *est* non comparet in P.—*ac:* ita Π. cum suavi varietate, et quæ Lucretium χαρακτηριζει: reliqui, *et.*—ακοσμος: Σ. *cosmos;* τῳ α absorpto literâ finali præeuntis vocis.

Ibid. *Nigra* μελιχροος *est:* i. e. "ni-" "gra, quæ vero nomine debuerat audire" "μελαγχροος·" (Homerus, Od. Τ. 246.

> Κυρτος εν ωμοισι, ΜΕΛΑΝΟΧΡΟΟΣ, ουλοκαρηνος)

"nigra, inquam, nomen nanciscatur *fla-*" "*væ,*" vel *melleo colore.* Sic Ovidius, *flava* Chlide; et Horatius, *flava* Chloë: sed sæpius Latine dicitur de pulchris *maribus,* ut *Apolline,* et *Hippolyto;* vel etiam de *deabus* minus candidis, *Cerere* ac *Minervâ.* Maculas, hac usus occasione, fedissimas eluam Philostrato, heroïc. xix. 9. Και ΜΕΛΙΧΡΩΣ ην ὁ Πατροκλος, και τω οφθαλμω ΜΕΛΑΣ, και ἱκανως ευοφρυς, και ΜΕΤΡΙΑ ΕΠΑΝΘΩΝ κομης. Vulgo, μετρα επαινων: ineptissime. Hinc recti nihil viderunt viri docti in Meleagri epig. xxxi. quo non est poëmation integrius, et nobis in hoc tempore opportunius:

> ΛΕΥΚΑΝΘΗΣ Κλεοβουλος· ὁ δ' αντια τωδε ΜΕ-
> ΛΙΧΡΟΥΣ,
> Σωπολις· οἱ δισσοι Κυπριδος ανθοφοροι·
> Τοὔνεκα μοι παιδων 'ΗΠΤΑΙ ποθος· ΕΥ γαρ Ερωτες
> Πλεξειν εκ ΛΕΥΚΟΥ φασι ΤΕ και ΜΕΛΑΝΟΣ.

Fingit pueros, quasi duos Cupidines, flores ferre ad Venerem, diversis coloribus, ut ipsi: qui affirmant etiam, corollas sic fieri pulcherrimas, et maxime amabiles. Hinc, inquit Meleager, me desiderium percussit amborum puerorum; quum amore frui cupiam ad eundem modum suaviter mixto et condito. Sic apud Virgilium, ecl. ii. 50.

Parvola pumilio, Χαριτων μια, tota merum sal;
Magna atque inmanis, καταπληξις, plenaque honoris:

——————— tibi candida Naïs
Mollia luteolâ *pingit vaccinia calthâ.*

Hoc genere alia exempla tibi suppeditabit Emmenessius ad locum. Accedat Petronii versiculus, in fragmentis:

Mellea purpureum depromunt *ora* ruborem:

exprimere volentis Ovidium, epist. iv. 72.

Flava verecundus tinxerat *ora* rubor.

Epigramma Stratonis, insigniter depravatum, emendatius apponam; quod mihi totum videtur occupari in dijudicandis puellarum pulchrarum oculis:

Τυς ΓΛΑΥΚΟΥΣ αγαπω, φιλω δ' άμα τυς ΜΕΛΙΧΡΩΔΕΙΣ,
Και ΚΑΝΘΟΥΣ στεργω δ' εμπαλι τυς ΜΕΛΑΝΑΣ·
Ουδε ΚΟΡΑΣ ξανθας παραπεμπομαι· αλλα περισσως
ΤΑΣ μελανοφθαλμυς, ΑΙΓΛΟΦΑΕΙΣ τε, φιλω.

Si vero de *pueris* in priore disticho loquatur, vulgata λευκυς et ξανθυς non sunt solicitanda; et vox κορας, non de *pupillis* oculorum, sed de *puellis* ipsis, erit intelligenda. Docti rem expendant. Porro, glossator vetus: " Μελιχρυς, *fuscus*." Optime: et huic glossæ Virgilius est appositissimus, ad ecl. x. 39.

———— quid tum si *fuscus* Amyntas?
Et *nigræ* violæ sunt, et vaccinia *nigra.*

Nec minus Ovidius, epist. xv. 36.

Candida si non sum, placuit Cepheïa Perseo
Andromede, patriæ *fusca calore* suæ.

Sic legendum cum codice; vulgo, *colore:* vide nostrum, ad vi. 1107. Interea, Theocriti locus videtur nostro poëtæ in animo fuisse, qui legitur idyll. x. 26.

Βομβυκα χαριεσσα, Συραν καλεοντι τυ παντες,
Ισχναν, άλιοκαυστον· εγω δε μονος, ΜΕΛΙΧΛΩΡΟΝ:

ubi consulendæ sunt elegantes illustrationes Wartoni. Ισχναν autem, ξηραν· sole siccatam, et exinanitam quasi, ad tenuissimam macritudinem. Verba scholiastis ad Lucretium faciunt egregie; per ακριβειαν expositionis felicissimam quid noster velit pulchre declarantia: εγω δε μελιχλωρον· οίον ΜΕΛΑΝΟΧΡΩΤΑ ΗΡΕΜΑ, και ΟΥ ΛΙΑΝ ΜΕΛΑΙΝΑΝ. Quibus opportunus superveniet Vitruvius, vi. 1. " Qui autem " sunt proximi ad axem meridianum, " subjectique solis cursui, *brevioribus* " *corporibus*, *colore fusco*, crispo capillo, " *oculis nigris*, cruribus invalidis, *san-* " *guine exiguo*, solis impetu perficiuntur." Malim, solis *currui:* ut Hor. od. i. 22. 21. De *flavo* colore, vide Gell. ii. 26. Porro, has προφασεις amatorias, et ὑποκορισμους, princeps videtur tractavisse Plato in politicis; quem Plutarchus, Aristænetus, et alii, pressis sunt vestigiis secuti: quos videas apud Merceri animadversiones ad Aristæn. epist. i. 18. nam, si recte constituendis his omnibus, atque adscribendis, rite inhærerem; et tempus, et charta, et voluntas vel patientissimi lectoris, me deficerent: atque utile est in primis monitio Callimachi vel de poëtâ, vel de poëtæ commentatore:

Ουκ αγαμαι τον αοιδον, ὁς, ὐδ' ὁσα ποντος, αειδει.

Ibid. ακοσμος: " quasi non idoneo " cultu corpus curaret illa, comeretque." Ita rem voce leniore molliens, et obscuritatem quandam, utpote non indigenâ, præ se ferente.

Ver. 1154. *Cæsia:* Σ. *Casia.—lignea:* Δ. *nigra.—*Δορκας*:* V. ed. *dorcans;* Σ. *ad orcas.*

Ibid. *Cæsia.* Hinc igitur concludimus, *cæsios*, vel *glaucos*, oculos mulierum infamari apud veteres elegantibus formarum spectatoribus. Eodem etiam non obscure spectat Arnobii locus, lib. vi. p. 195. im. —" potest (fieri), ut hic *flavus* sit," (i. e. *formosus;* quod patet ex animadversionibus in præcedentem versum) " qui in " veritate habeat *oculos cæsios*—." Idem

Balba, loqui non quit? τραυλιζει· muta, pudens est;
At flagrans, odiosa, loquacula, Λαμπαδιον fit:

liquet ex Apuleio, met. ii. p. 88.—" *oculi, cæsii* quidem, *sed* vigiles—:" i. e. virtute quadam vitium illud compensantes. Non dissentit Suetonii testimonium, de Nerone, cap. li.—" *oculis cæsiis*, et " hebetioribus—." Nec Terentianum, Heaut. v. 5. 18.

———— Rufamne illam virginem,
Cæsiam, sparso ore, adunco naso?

Consulas ibi Donatum, atque editores; et ad Hecyr. iii. 4. 26. haud aliena commentantes:

Magnus, rubicundus, crispus, crassus, *cæsius*,
Cadaverosâ facie.

Ibid. Παλλαδιον: i. e. dulcicula quædam atque tenellula γλαυκωπις Αθηνη.

Ibid. *nervosa et lignea:* i. e. " ita rigidis constrictisque nervis, ita duro strigosoque corpore, ac si *ligneis* fibris " compingeretur." Non aliena est phrasis Pliniana, nat. hist. xvi. 64.—" ubi *lignosiore* callo *induruit*—." Lambinus docte atque eleganter innuit Theocriti versiculum, idyll. x. 18.

Μαντις τοι ταν νυκτα χρωΐξειται ἁ ΚΑΛΑΜΑΙΑ;

i. e. rigida et exsuca, uti *stipula*, vel arefactus culmus: quod Lucretio est appositissimum. Haud aliorsum spectat probissima scholiastis expositio: τουτ' εστιν, ἡ ισχνη, και λεπτη, και μακροσκελος, συγκοιμηθησεται σοι. Versûs vividam εναργειαν, ejecto male articulo, Brunckius nobis obliteravit. Porro, Vind. habet *nervorum*.

Ibid. Δορκας: i. e. *dama*, vel *caprea;* cui, utpote ad rapidos cursus a naturâ comparatæ, rigidus nervorum *vigor* est, et *ariditas* membrorum macilenta. Adeas autem actt. apostt. ix. 36. ne plura in tantillam rem investigemus.

Ver. 1155. *pumilio:* V. ed. *pumillo;* neque aliud est re verâ τυ *pinillo* codicis Π.—Χαριτων μια: vulgo, Χαριτων ια: sed nobis abundantius favent exemplarium veterum scripturæ. P. *charitonia;* inepta, et inepte Pio defensa, vox: Vind. M. O. *charitomnia;* quod ipsum nostrum est: L. Σ. *chariton mia;* diserte: B. Ω. *charitonnia;* lineamento singulari literæ deficiente.—Porro scribendum esse insuper existimem, *pomilio;* ad antiquiorem, nisi fallar, orthographiam. Sic certe glossator vetus: " *Pomiliones*, νανοι."—*tota sal:* Δ. *torta psal.*

Ibid. *Parvola pumilio:* i. e. parvissima omnium; " adeo parva, ut sit etiam pumilio, cum Charisi comparatur." Nam voces has conjunximus, sublatâ distinctione post *Parvola*, contra factum priorum editorum. Nec Faber etiam rem non vidit. Nimirum, *pumilio* blandiloquentulorum vocabulum non erat. Hinc pro consimilibus habebantur vel *prave conformati* et pumiliones. Suetonius, in August. cap. lxxxiii. " Nam *pumilos* atque " *distortos*, et omnes generis ejusdem,— " abhorrebat." Apuleius, met. v. p. 338. " At ego misera, primum patre meo seniorem maritum sortita sum; dein cucurbitâ calviorem, et quovis puero *pumiliorem*—." His autem monstrosis naturæ ludibriis Romani veteres, per quendam præposterum affectum, non tamen dulcedini Venereæ affinem, quod satis liquet, mirifice delectabantur: vide Sueton. viii. 4. Longin. de sublim. sub fin. A. Gell. ix. 4. fin. Euseb. in Stob. serm. eth. 4. et nostram Silv. Crit. in addendis tom. iv. quæ satis eorum inscitiam refellunt, in dicto Suetonii loco,—" puer " coccinatus, *parvo* portentosoque capite;" *pravo* rescribere volentium. Ab hac autem pumilorum adamandorum consuetudine debet emanare Terentiani versûs interpretatio, ad And. i. 5. 15.

Aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi potest,
Itur ad me——.

Ισχνον ερωμενιον tum fit, quom vivere non quit
Præ macie; ῥαδινη vero est, jam mortua tussi:

Ibid. *tota merum sal.* Afranius in Compitalibus:

> Ut quidquid loquitur, *sal merum* est.

BENTLEIUS.

Locus exstat in Priscian. lib. v. p. 659. Onomasticon vetus: " *Sales, αστειοτης:*" i. e. lepores. Confer nostram Silv. Crit. sect. cxlv. Similis est locutio Hesiodeum illud, Theog. 27. *γαστερες οιον· meri ventres:* adi pariter de hac re Silv. Crit. v. p. 143. Appositus est etiam Sophoclis versiculus, Elect. 301.

> Ὁ παντ' αναλκις ουτος, Ἡ ΠΑΣΑ ΒΛΑΒΗ.

Huc referas Plinium, epist. i. 16. 5. " Præterea, facit versus, quales Catullus, " aut Calvus. Quantum illis leporis, " dulcedinis, *amaritudinis*, amoris, inse" rit!" i. e. *salis:* compares Virg. geo. ii. 238. cum nostro, ad ii. 463. 464. Hic autem usus vocabuli *salis* longe tritior est, quam qui se poscat operosis collectaneis illustrari.

Ver. 1156. *καταπληξις:* i. e. " quæ " horrorem quandam venerabilem specie " corporis incutiat." Talem Seneca volebat exhibere Antiopen Amazona, matrem Hippolyti, Hippol. 658.

> Et genitor in te totus; et *torvæ* tamen
> Pars aliqua *matris* miscet ex æquo *decus.*

Similiter *Atalantam* Statius, Theb. iv. 429. *torvam* nuncupat; et *Minervam* Justinus, xliii. 5. 5.

Ibid. *plenaque honoris.* Non de nihilo est vox *plena*, sed habet multum argutiarum: nempe, quasi dixerit, " Non *plena* " *carnis* et *pinguitudinis*, sed honoris:" nam, in habitu hominis declarando, *plenus* et *gracilis* voces adeo invicem opponi solent, ut hæc *maciem* describat, *obesitatem* illa. Ovidius, art. am. ii. 660. nostrum respexit, nec mediocriter illustrat; sic procul dubio castigate scribendus:

> Nominibus mollire licet mala: *fusca* vocetur,
> *Nigrior* Illyricâ cui pice sanguis erit.
> Si *crassa* est, Veneri similis; si flava, Minervæ:
> Sit *gracilis*, macie quæ male viva suâ est.
> Dic habilem, quæcumque brevis; quæ turgida, *plenam:*
> *Ut* lateat vitium proximitate boni.

Crassa est, cui membrorum lineamenta minus eleganter, ac rudi torno, deformata sunt; et eo habitu mulier opponitur ei, quæ *ευσαρκος*, et *teretibus* est membris, ut Suetonii vocabulo utamur ad Jul. Cæs. xlv. ubi commentarii interpretum sunt omnino consulendi. *Te straba* Heinsianum, quamvis probet et recoquat Bentleius, prorsus odiosum est; et pro monstro, Musas exterrente, vel furcillis ejiciendum. Locum consulas.

Ver. 1157. *τραυλιζει:* V. ed. B. *traulim;* Δ. *craulixi;* Π. *trauli.—muta:* V. ed. *inuta.*

Ibid. *τραυλιζει:* i. e. Phavorino interprete, *νηπιωδως λεγει. Infractas* autem conantium infantulorum loquelas cum gaudio atque osculis excipere solemus scilicet.

Ibid. *pudens:* i. e. " lepide loqui, et " fluenter, pollenti nimia solum obstat " verecundia." Longe appositissimus Horatii versus mihi in mentem venit, sed Lambinus, ut video, præcepit, sat. i. 6. 57. ubi vox *infans* sensum maxime proprium habet, et primarium:

> Ut veni coram, singultim pauca locutus,
> *Infans* namque *pudor* prohibebat plura profari:

i. e. " pudor, qui *fari nequit:*" Hinc exquisite Priscianus, perieg. 468. sic ad fidem codicum MSS. rescribendus:

> *Qui* sanant oculis ægros, damnantque *nefando*
> Perjuros furto; quos *tracto* flumine cæcant:

i. e. furto, quod dissimulantes *non effati* sint. Hinc etiam Sophocles, Elect. 145. accurate est intelligendus:

At gemina et mammosa, Ceres est ipsa ab Iaccho:
Simula, Σιληνη ac Σατυρα est: labrosa, φιλημα.

ΝΗΠΙΟΣ, ὁς τις των οικτρως
Οιχομενων γονεων επιλαθεται:

i. e. "*infantem* agit, naturâ obliviosum, "nec providentem futurorum, atque eti- "am præsentium negligentem;" ad illud Euripideum, Med. 48.

——— νεα γαρ φροντις ουκ αλγειν φιλει.

Cæterum, idem ille Venusinus locum integrum Lucretii imitatus est; eodem modo de vitiis corporis extenuandum esse submonens, quo noster de ingenii et animi defectibus, sat. i. 3. 43—55. Nos, brevitati consulentes, et lectoris tædium reveriti, adscribendorum versuum abstinemus.

Ver. 1158. Λαμπαδιον: Vind. V. ed. O. *lampadum*; Σ. *lampadon.*—*fit*: P. *sit.*

Ibid. *flagrans*: i. e. "ingenio fervido, "et vehemente; quod accendit perpetuâ "garrulitate linguam." Sic irâ, libidine, et similibus, homines *flagrare* perhibentur. Ammianus Marcellinus, xxvi. 2. "*fla-* "*grantissimis vocibus* postulabant." *Facula* autem, vel λαμπαδιον, est ignis jucundus, et carens periculo. Porro, *Lampadion* nomen est mulieris in fragmento Varronis, apud Nonium, ii. 906. quod Havercampus etiam indicavit: et *Lampadio* servi, in Plauti Cistellariâ; primitus ex officio fortasse derivatum: vide Hom. Od. A. 428. et nostrum, ad ii. 24.

Ibid. *odiosa*: ob nimiam scilicet *garrulitatem*. Plautus, Bacch. i. 2. 28.

——————— *Odiosus* mihi es:
Tace; atque sequere, Lyde, me——.

Ver. 1159. Ισχνον ερωμενιον: P. Ισχνος ερωμανιον; V. ed. *Isclimon cromenion*; B. *Isclimon eromenion*; Δ. *Ischy noneromenion*; Ω. *Isclinoncromenion.*—*tum fit*: P. *tum sit*; Ω. *cum fit*. Voces Ισχνον ερωμενιον *tum fit* absunt Σ.

Ibid. Ισχνον ερωμενιον: i. e. *gracilis amicula*, uti Lambinus accuratis verbis interpretatus est. In epigrammate comptissimo vocem adhibuit Antiphanes Macedo:

Κοὐτε πιων, ουτ' ανθος επι κροταφοις αναδησας,
Ου μυρον, ου γλαφυρον γυνις ποτ' ΕΡΩΜΕΝΙΟΝ,
Τεθνηξη—.

Sed aliter in Stob. ecl. mor. x. scriptum offendo:

Ου μυρον, ου γλαφυρον γυνις τι μελισματιον:

quarum illa lectio nobis exquisitior videtur, et speciosior. Et mentem Lucretii versus Maximiani, eleg. i. 85. proxime attingit:

Quærebam *gracilem*, sed *non* quæ *macra* fuisset—.

Redeas etiam versus Nasonianos, modo ad ver. 1156. adhibitos. Hoc temperamentum corporis Apuleio, met. ii. p. 88. *suculenta gracilitas* vocatur; ex quo loco postea vidi Aristænetum verissime Abreschio emendatum, ad p. 115. editionis suæ: —ενδεδυμενη γαρ ευπροσωποτατη εστιν· εκδυσα δε, ὁλη προσωπον φαινεται· ουτε καταξηρος, ουτε κατασαρκος, αλλ' οἱας λεγομεν ἡμεις τας ΙΣΧΝΩΣ ΕΓΧΥΛΟΥΣ: quod est res ipsissima. Codices, ισχνας. *Gracilitas* igitur, vel ισχνοτης, medium erat inter macritudinem et obesitatem. Glossarium antiquum: "Ισχνος, *gracilis*." Nec appositus non est Marcus Argentarius, epig. xi.

Την ΙΣΧΝΗΝ Διοκλειαν, ΑΣΑΡΚΟΤΕΡΗΝ
Αφροδιτης,
Οψεαι, αλλα καλοις ηθεσι τερπομενην.

Edidit Brunckius, Αφροδιτην· perperam, ut arbitror, et pravâ constructione, nec acumine poëmatis servato. "Videbis *gra-* "*cilem* Diocleam; carnis tenuiorem qui- "dem, quam quod deceat formosissi- "mam; sed optime moratam tamen."

Ibid. Quæ disputavimus de vi verborum ισχνος et *gracilis*, proba sunt atque accurata; nec rem non recte tenuit tractavitque Gisbertus Cuperus, in obss. lib. i. cap. 5. quem lectori commendamus.

Cætera de genere hoc, longum est, si dicere coner.
Sed tamen esto jam quanto vis oris honore,

Ver. 1160. *Præ macie:* V. ed. *Præmatia.*—*ῥαδινη:* Pii codices antiqui, *ῥοδανη.*—*jam:* B. *nam.*—*tussi:* P. *tussit;* V. ed. *cussis;* B. *tussis;* Π. *tussas.*

Ibid. *ῥαδινη· teres:* cui lineamenta corporis delicatâ sunt tenuitate rotundata:—quæ tenuitatem sane præ se fert, nec siccitatem macilentam tamen. Parum distant *ισχνος* ac *ῥαδινος*, *gracilis* et *teres:* vide nos, ad i. 36. *Teretes suras* puellæ apud Horatium, od. ii. 4. 21. vetus enarrator Cruquianus optime exposuit per "*rotundas* tibias cum *longitudine.*" Sic, in Græcis epigrammatistis, sæpiuscule legentibus obversantur *ῥαδινοι ποδες*, et *χειρες ῥαδιναι:* vide Catull. lxi. 181. Suetonius, i. 45. de C. Cæsare: "Fuisse traditur *excelsâ staturâ*, colore candido, *teretibus membris*—." Casaubonus ad locum: *Teretibus membris.* "Succulentis, nec tamen obesis. Philosophus hunc habitum *ευσαρκον* vocat;—qui medius est inter *τον λεπτον* et *πιμελον.*" Quæ sunt perdocta et summe accurata. Apuleius, met. x. sub fin. "*teretes* et *lacteos* puellos" epithetis pulchre sociatis dixit: nec perite minus veram vim dictionis *teres* declaravit in floridis, p. 777. ed. Delph.—"ampullam—*tereti* ambitu, *pressulâ rotunditate*—." Plura sunt ad manum, et argumentum est elegantiis refertissimum; sed neque res illustrationis operosioris indiget, neque tempus ita moram patitur, ut nimii effundamur; nec sane commentariorum nostrorum moles. Temperare tamen mihi nequeo, quin te prius remittam saltem ad Luciani locum, maxime tempestivum, de gymnas. sect. 25. quem Pricæus doctissimus indicavit ad Apuleium; quam ad ea, quæ supersint, exsequenda properem.

Ver. 1161. *gemina et:* sic Π. ut Turnebus egregie restituit, veritatem in membranarum corruptelis sagaciter subodoratus. P. *jamiast;* Vind. L. M. O. Σ. Ω. *jamina et;* V. ed. *lavima et*, cui concinit B. *lamina et;* Δ. *jamma et.*—*mammosa Ceres est:* P. *maniosa deost certe;* Vind. *mammosa cerest;* V. ed. *mannio sacer est;* B. L. O. Δ. Σ. Ω. *mammo sacer est.*—*ipsa ab Iaccho:* Σ. *dulcedine Iacchi;* et *ipsa* deest Vind.

Ibid. *gemina:* i. e. grandis, ampla, turgida, carnosa atque suculenta. Ita Græci usurpant *διπλοος*, et Latini etiam *duplex.* Geryona Horatio vocari *ter amplum*, od. ii. 14. 7. quem Lucretius, v. 28. et Virgilius, viii. 202. *tergeminum* vocavere, pulchra est Lambini observatio. Hinc Claudianum explicare soleo, in Rufin. i. 276. quamvis docti animadversores aliorsum tendant:

Te nobis, trepidæ ceu sidus dulce carinæ,
Ostendere dei, *geminis* quæ lassa *procellis*
Tunditur, et victo *rapitur* jam cæca magistro:

i. e. *violentissimis* procellis. Et *rapitur* rescribendum puto, vice *trahitur* librorum; dictionis minime respondentis efficaciæ et vigori sensûs. Jam vero verba *traho* et *rapio* sunt scribis commutata ad Ovid. met. xii. 591. ubi vide Burmannum; trist. iv. 5. 9. Hinc etiam opem salutarem feras Valerio Flacco, viii. 235. ubi se Burmannus expedire nequiit, alii erraverunt, et Heinsius ad textum male immutandum est redactus.

——— Ipsa suam *duplicem* Cytherea *coronam*
Donat, et arsuras aliâ cum virgine gemmas:

i. e. *amplissimam* atque sumptuosissimam coronam. Et Horatii rationes, ad od. i. 6. 7. nemo probe perspectas habuit:

Nos, Agrippa, neque hæc dicere, nec gravem
Pelidæ stomachum, cedere nescii,
Nec cursus *duplicis* per mare Ulyssei——.

Non inepto consilio rem administrant, et minime omnium sunt deridendi, qui legunt *duplices*, et *magnos*, vel longos, interpretantur: verum enim vero non animadverterunt docti, Venusinum respicere primum versum Iliados in vocibus *gravem*

Quoi Veneris membris vis omnibus exoriatur;
"Nempe, aliæ quoque sunt: nempe, hac sine viximus ante:"

Pelidæ stomachum, μηνιν Πηληϊαδεω Αχιληος ουλομενην; et Odysseæ primum itidem in *duplicis cursus per mare Ulyssei*, ανδρα πολυτροπον, ὁς μαλα πολλα πλαγχθη: unde vera loci lectio manifestissime ostenditur. Denique, in transitu Theodoti fragmentum emendabimus, quod legitur in Euseb. præp. evang. ix. 22.

——————— ευ δ', ιστραφθι,
ΓΗ͂ ΔΙΕΡΗ͂, Σικιμων καταφαινεται ἱερον αστυ,
Νεφθεν ὑπο ῥιζη δεδμημενον, αμφι δε τειχος
ΔΙΣΣΟΝ ΑΠΑΙΩΡΟΥΝ· ὑπο δ' εδραμεν αιπυθεν ἑρκος.

Vulgo, 'Η δ' ἱερη. "Ab alterâ parte, in "irriguo solo:" et Λισσον υπωρειαν. Atque *sustollens ampla mœnia*. 'Ερκος autem αιπυθεν, *altissima fossa*.

Ibid. *mammosa:* i. e. ὑπερμαζωσα, και ασυμμετρως εχουσα των στερνων· sicut Synesius elegantissime locutus est, in epist. iv. non longe a fine. *Grandiores mammæ* scilicet minore erant in pretio veteribus: unde *habiles papillæ*, et *aptæ premi*, Nasoni bellissimo laudantur. Sic etiam haud illepidus arbiter Martialis, xiv. 134.

Fascia, crescentes dominæ compesce papillas;
Ut sit, quod capiat nostra, tegatque, manus.

Neque aliter sentiebat Maximianus, v. 28.

Urebant oculos duræ stantesque papillæ,
Et quas adstringens clauderet una manus.

Ibid. *Ceres ab Iaccho:* i. e. "mammo- "sa facta ab Iaccho;" quum nempe recens esset a Bacchi partu, adeoque uberibus mammarum prædita σφριγωσιν et lactantibus. Nimirum, plurimis veterum Bacchus erat Semele prognatus; nonnullis Cereris maritus, (anecd. Græc. Villois. i. p. 110.); aliis rursus, Proserpinæ, vel Cereris, (Herodot. ii. 123.) filius. Orpheus, hymn. xxix. 6. in *Liberum:*

Ευβουλευ, πολυβουλε, Διος και Περσεφονειης
Αρρητοις λεκτροισι τεκνωθεις, αμβροτε δαιμον.

Diodorus Siculus, iii. 62: Παραδιδοασι δε των μυθογραφων και τριτην γενεσιν (Διονυσου), καθ' ἡν φασι τον θεον, εκ Διος και Δημητρος τεκνωθεντα—κτλ. Salmasius, Plin. exerc. p. 528. magnâ ex parte veritatem perspexit; sed in Clementis Alexandrini versibus emendandis non prorsus feliciter versatus est, quamvis mihi parum conscio unam certissimam divinationem præripuerit. Ita fragmentum illud Orphicum constituendum est:

'Ως ειπουσα, πεπλους ανεσυρατο· δειξε δε παντα
Σωματος ουδε πρεποντα τυπον· ΠΑΙΣ δ' ΗΕΝ ΙΑΚΧΟΣ,
ΧΕΙΡΑ Θ' ΈΗΝ ῥιπτεσκε γελων Βαυβους ὑπο κολποις.
'Η δ', επει ουν ΕΙΔΗΣΕ θεα, μειδησ' ενι θυμῳ·
Δεξατο δ' αιολον αγγος, εν ᾧ κυκεων ενεκειτο.

Ηϊεν autem, *ibat:* vulgo, ηεν, *erat;* cassâ constructione. Dant libri, Χειρι τε μειν· ineptissime. Jam vero illud ειδησε, pro μειδησε, prior Salmasius excogitaverat. Et Dionysii *lactentis* nomen peculiare videtur *Iacchus* fuisse. Suidas: Ιακχος Διονυσος επι τῳ μαστῳ. Ad quem locum Kusterus Lucretii recordatus est, sed non prorsus accurate intellexit. Vide Dorvillium, ad Charit. iii. 8. Sed apprime facit ad illustrandum Lucretium, ut solet, Arnobius, lib. v. p. 209. "Æsculapius ba- "culo, *Ceres mammis cum grandibus*—." Et potissimum, ad lib. iii. p. 105. "Avet "animus, atque ardet,—in palatiis cœli "deos deasque conspicere intectis corpo- "ribus atque nudis, *ab Iaccho Cererem*, "musa ut prædicat Lucretii, *mammosam;* "Hellespontiacum Priapum—." Quæ loca non alios fugerunt.

Ibid. *mammosa Ceres ab Iaccho.* Locus insuper Pausaniæ, Att. i. 2. videtur haud obscure significare *Cererem* fuisse *Bacchi matrem:* Και πλησιον ναος εστι Δημητρος· αγαλματα δε, αυτη τε, και ἡ παις, και δᾳδα εχων Ιακχος: i. e. "*Ceres* cum filiâ "et *filio*."

"Nempe, eadem facit, et scimus facere omnia turpeis;"
"Et miseram tetris se subfit odoribus ipsa:"

Ver. 1162. Σατυρα: vulgo Latinis literis exarata vox exhibetur, *satura*; sed extra controversiam mendose. Nempe, per omnem locum blanda dictio, et ὑποκορισμικη, si verr. 1157. 1161. excipias, pura puta Græca est: et scopus id postulat poëtæ.—*labiosa*: P. λαλυσα· Vind. L. M. *labeosa*; V. ed. *lalcosa*; O. Δ. Π. et Ω. *labrosa*; quam profecto sinceram esse Lucretii scripturam suspicor. De *labiosa* nihil alibi reperio; sed glossator vetus: "Προχυλος, *labrosus*:" et vicissim, "*Labrosus*, προχειλος." Ex secundis igitur cogitationibus hanc dictionem in contextu esse collocandam existimavi.—φιλημα: P. φιλωνη· qui tamen testatus est in nonnullis codicibus receptam vocem inveniri.

Ibid. *Simula*, Σιληνη ac Σατυρα. *Silenum*, *Satyros*, et id genus numina agrestia, *simis naribus* donari, quis ignorat? Unus huic rei illustrandæ idoneus est Luciani locus, deor. conc. sect. 4.—και Θεους απεφηνε τον Πανα, και Σιληνον, και Σατυρους·—ὁ δε φαλακρος γερων (Σιληνος), ΣΙΜΟΣ την ῬΙΝΑ,—κτλ. Et omnino consulas animadversiones Heinsii ingeniosissimas, Cari non oblitas, ad Ovid. fast. iii. 754. quem verissime sagax criticus emendat.

Ibid. *Simula*, *labrosa*. Martialis, vi. 39. 8.

At ille, *simâ nare*, *turgidis labris*,
Ipsa est imago Pannici palæstritæ.

Ibid. φιλημα: i. e. "labris est ita prominentibus, ut videatur esse merum osculum:" vel, "nihil est, quanta quanta sit, nisi os parvulum et delicatulum." Nam "ab *ore* dicitur *osculum*;" uti Nonius Marcellus, v. 11. docet, ex Varrone. Suetonius, August. xciv. —"ejusque *osculum*, delibatum digitis, ad os suum retulisset." Ubi consulas Burmannum et Oudendorpium, et Salmasium ad Vopisci Probum, cap. 23. probe explicantem Virg. Æn. i. 256. ex Servii commentariis: quorum rationes Heynius dubito an perspectas habuerit, quum de suo nova, et απροσδιονυσα prorsus, sit commentus. Appositus est Martialis, in nitidissimo carmine de puellâ cancere consumptâ, xi. 91. 7.

Ipsaque crudeles ederunt *oscula* morbi;
Nec data sunt nigris tota *labella* rogis.

Hos versus Salmasius etiam, ut jam cernimus, occupavit. Hinc Klotzii unice vera est interpretatio ad Horatii od. i. 13. 15. nam *lædere oscula* idem est τοις *imprimere notam labris dente*: quamvis a me gratiam iniret, qui pulchre valeret illud epitheton *quintâ* expedire.

Ver. 1163. *si*: P. V. ed. B. O. Δ. Σ. Ω. *id*.—*si dicere*: Π. *edicere*. Latet aliquid. Rescribendum puto:

Cætera de genere hoc, longum est, si *id* dicere coner.

Sed enim priusquam hoc argumentum dimittatur, liceat parallelum locum Stobæi, mor. ecl. ii. apponere castigatiorem: Καλιαις αὐτων πλαττονται τινες ῥηματων συγκρισιν· το μεν ΦΙΛΟΣΚΩΜΜΑΤΟΝ, ἁπλουν, το δε φιλαργυρον, ΠΡΟΜΗΘΕΣ, αποκαλουμενοι. Evulgatur, φιλοσωματον, et προμηθως· pro quo Gesnerus conjecit προμηθειαν. Idem dixit Flaccus, sat. i. 3. 52. in loco germanissimo:

——— at est truculentior, atque
Plus æquo LIBER, SIMPLEX fortisque habeatur.

i. e. παρρησιαστης pro minime fucato habeatur.

Ver. 1164. *oris honore*. Virgilius, Æn. i. 591.

——— et lætos oculis adflarat *honores*.

Idem venuste in Ciri, ver. 496.

Oris honos primum, et multis optata labella—.

Ver. 1165. *vis*: O. *suus*; Ω. *suis*; postremâ literâ præcedentis dictionis adhæ-

Quam famulæ longe fugitant, furtimque cachinnant.
At lacrumans exclusus amator limina sæpe
Floribus et sertis operit, posteisque superbos
Unguit amaracino, et foribus miser oscula figit.

rente.—*exoriatur:* Vind. V. ed. B. Σ. *exhortatur.* An ἀρχαϊσμὸς lateat, nec temere affirmem equidem, nec valde abnegem; et rescribere debeamus *exortatur:* ut sit nimirum tam *exorior* et *exortor*, quam *aborior* et *aborto*. Ferant alii sententiam.

Cæterum, phrasis *vis Veneris membris omnibus exoriatur* non multum discrepat alteri superius, in verr. 1046. 1047.

Sive puer membris muliebribus hunc jaculatur,
Seu mulier, toto jactans e corpore amorem.

Quod interpres etiam tacite videtur percepisse.

Ver. 1166. *sunt:* P. *sino;* deest vox V. ed. B. Ω.—*viximus:* V. ed. B. *maximus.*

Ibid. *Nempe, nempe, Nempe.* Elegantissime sermonis objurgatorii naturam expressit poëta. Sic apud Plautum, Rud. ii. 7. 9.

La. *Nempe,* puellæ? Sc. *Nempe,* molestus es: vise, si lubet.

Item in catalectis veterum poëtarum:

Nempe, parum casta es: *Nempe,* es deprensa: negabis?

Preigerus.

Ver. 1167. Vulgo scribitur, *turpi:* quum vero liqueret, omnia antiqua exemplaria præbere *turpis,* conjeceram legendum esse:

— eadem facit, *ut* scimus facere omnia *turpeis:*

et postea illud *ut* offendi in Π. codice. Σ. etiam luculenter præstat *turpes.* Interea, certissimum est τὸ *turpis* velle casum quartum pluralis numeri, et locum castissime procedere ad scripturam membranarum sine vel levissimæ mutationis ope; nam *eadem et* Lucretianam esse formulam usu discimus, pro vulgari *eadem ac,* vel *eadem atque:* alicubi supra, et ad iii. 8. Sensus est: "Eadem omnia facit, "quæ scimus turpes et immundas fa-"cere." Nempe, rem indecoram honestis verbis obvolvit noster; quam si curiosus velit aliquis apertiorem, ille interpretem adhibeat Swiftium nostratem, in fine poëmatii *Cassinus et Petrus* pro titulo habentis: istam etenim turpitudinem potissimum innui existimo, aliis insuper non exclusis. Cæterum, Creechius, qui me pene fugerat, opportunissime quidem laudat Ovid. remed. amor. 437.

Ver. 1168. *miseram tetris:* Ω. *misera in terris.*—*subfit:* Π. *fondit;* pro *fundit.*

Ibid. *tetris odoribus:* i. e. *potentibus* potius atque efficacibus, quam injucundis; nam naturales immunditiæ suffimentis bonis erant devincendæ. Ne dicam verbum ipsum *suffire* vix *odoribus* vitabilibus competere. Cicero, epist. famil. viii. 15.—"nostri milites, qui durissimis et frigi-"dissimis locis, *teterrimâ hyeme,* bellum "ambulando confecerunt—:" i. e. *sævissimâ* hyeme, ac severissimâ: conferas Virg. Æn. vii. 84. Noster, ad iii. 580. pervagatam vocis significationem tenuit.

Ver. 1169. *longe:* L. M. *longi;* sub quâ varietate, propter antiquitatem et puritatem codicum, delitescere suspicor vetustam vocem, *longim,* i. e. *longi,* pro longe vel longiter; cujus alibi nulla vestigia potui deprehendere.—*fugitant:* V. ed. Π. *fugiant;* B. *fugiunt.*—*furtim:* Π. *furtum;* haud illepide, ac forsan elegantius.

Ibid. *famulæ fugitant:* vel ob acres odores suffimentorum, vel, quia ne tunc quidem tolerare valeant, etiam tanto opere medicatam.

Ver. 1170. *lacrumans:* Π. *lacrumas.*—*limina:* V. ed. *lumine;* usitatissimo errore: et illa mox omittit *que.*

Ibid. *limina Floribus et sertis operit.* Propertius, i. 16. 7. *Janua* loquitur:

Quem si, jam inmissùm, veniens obfenderit aura
Una modo, caussas abeundi quærat honestas;
Et meditata diu cadat, alte sumpta, querela:
Stultitiâque ibi se damnet, tribuisse quod illi

Et mihi non desunt turpes pendere *corollæ*.

Amator ad Januam, ver. 42.

*Oscula*que impressis nixa dedi *gradibus*.

Tibullus etiam, i. 2. 14.

——— cum *posti florida serta* darem.

BENTLEIUS.

Ver. 1171. *Floribus et sertis.* Per hendyaden, pro *floridis*, vel *floreis*, *sertis*; quod Tibullo magis placuit, et Catullo, lxiii. 66.

Mihi *floridis corollis* redimita domus erat.

Ibid. *operit.* Rem aggravat noster, et accendit, quò vividius amatoris stuporem declaret, quasi tantam vim florum congereret, ut limen obstrueret transire cupientibus. Ovidius, fast. ii. 563.

Dii quoque templorum *foribus* celentur *opertis*.

Ibid. *posteis superbos.* Maro, Æn. ii. 504.

Barbarico *postes* auro, *spoliisque*, *superbi*.

Ver. 1172. *amaracino:* Vind. V. ed. Ω. *amaracina*; Π. *amarathina*; Σ. *amaraca*.—*foribus:* O. Σ. Ω. *floribus*.—*figit:* V. ed. *fugit*.

Ibid. *foribus oscula figit.* Similiter Virgilius, Æn. ii. 490.

Amplexæque tenent *postes*, atque *oscula figunt*.

Post Apollonium, monente Servio, iv. 26.

ΚΥΣΣΕ δ' ἰὸν τε λεχος, και ΔΙΚΛΙΔΑΣ αμφοτερωθε
ΣΤΑΘΜΟΥΣ, και τοιχων εναφησατο———.

Ver. 1173. *inmissum:* sic optime P. reliqui omnes, *missum*; sed illud *in*, vel *i*, inter tot consimilia literarum elementa facillime potuit excidere. De suo dederunt editores, *admissum*; minus probabiliter.—*veniens:* ita P. Bentleio etiam probante, et nos ad vi. 265. An scribendum denique?

—— si jam, *missa in* venientem, obfenderit aura:

nam omnia alia exemplaria *venientem* habent. Sic noster in superioribus, ii. 834. "*mittere* odorem." Lectores decernant. Denique, pro *obfenderit*, O. *ostenderit*; quod fluxerit forte a veteris scripturæ formâ, *obtenderit*, vel *obstenderit*.—Statim porro Π. *quærit*.

Ibid. *aura.* Martialis, xi. 8. 2. sic scribendus:

Lapsa quod externis spirant opobalsama truncis;
Ultima *quod fulvo* quæ cadit *aura* croco—.

Vulgo, *Corycio*; sed nonnulli codices, *quod curvo*. Nempe, genuinum *fulvo* facile abierat in *furvo*; unde ineptissimum illud *curvo* natum est. De permutationibus autem nominum *furvus*, *curvus*, et *fulvus*, videas Drakenborchium, ad Sil. It. vi. 149. vii. 683. et var. lectt. ad Ovid. art. am. ii. 373.—Porro, in illustrationem vocis *auræ*, consulas me in vi. 220.

Ver. 1175. *cadat:* ita Vind. Σ. reliqui omnes, *cadet*, perturbate, contra manifestam temporum rationem; præter Π. qui *cedat*.

Ibid. Sensus est: "Et illæ de crudelitate ejus querelæ, ex imo pectore petitæ," (vel longius accersitæ, quasi de professo, et magno cum molimine, dequesturus esset omnia singillatim) "ac multis meditationibus maturatæ, conticescent, atque in æternum abjicientur, pariter cum amicâ."

Ibid. *cadat querela.* Non minus eleganter Virgilius vocem adhibuit, in geo. iii. 138.

Rursus, *cura* patrum *cadere*, et succedere matrum,
Incipit——.

Plus videat, quam mortali concedere par est.
Nec Veneres nostras hoc fallit; quo magis ipsæ
Omnia summo opere hos vitæ postscenia celant,
Quos retinere volunt, adscriptosque esse in amore;
Nequidquam: quoniam tu animo tamen omnia posses
Protrahere in lucem, atque omneis inquirere risus:

Ita nos accuratius in editione nostrâ distinximus, ut vera vis dictionis *Rursus*, *αν*, *αυθι*, melius elucesceret, a verbo *cadere* disjunctæ.

Ver. 1176. *Stultitiâ:* sic Vind. V. ed. B. O. Δ. Π. Σ. Ω. regimine minus trito, atque adeo importunitati scribarum magis obnoxio. Exemplaria reliqua, *Stultitiæ*. —*ibi:* V. ed. B. Σ. *sibi;* unde nescio an non exsurgat versûs longe elegantior scriptura, ad hunc modum utique:

Stultitiâ *et sibi* se damnet——.

Et ex *Stultitia ē*, an venerit illud *Stultitiæ?*

Ver. 1177. Π. codex inserit *quod* post *quam*, quasi vellet:

Plus videat, quam *quod* mortali *cedere* par est.

Cæterum, Popius meus hunc *τοπον* amatorium divinitus exornavit, in Eloïsâ suâ:

My fancy form'd thee of angelic kind;
Some emanation of the all-beauteous mind:

et, quæ sequuntur; verbis magnificentissimis, et sententiis longe *παθητικωταταις*, concepta.

Ver. 1178. *Nec:* Π. *Et.*—*ipsæ:* V. ed. *ipse.*

Ver. 1179. *postcenia:* sic restituit Lambinus, corruptelis librorum manu facili ducentibus; et sic Vind. si sit collatori fidendum: P. V. ed. B. *post tenia; t* literâ pro more cum *c* mutatâ: L. M. Δ. *postcænia;* O. Ω. *post cenia;* Σ. *proscenia;* Π. ad hanc normam:

Omnia *summopere et post* vitæ *tenia* celant.

Elegans autem nomen est in primis *postscenia*, et solertissime translatum; nec alio quovis, quantum intelligam, usurpatum.

Ver. 1180. *adscriptos:* hæc est lectio longe doctior exquisitiorque exemplarium P. V. ed. B. Π. reliqui, *adstrictos.* Metaphora est, vel a civibus in album relatis, vel a consuetudine militum cogendorum, derivata. Hinc pendet scriptor politissimus ad Hebræos, cap. xii. comm. 22. 23. vere sublimi loco, et sic haud dubie constituendo: *Αλλα προσεληλυθατε Σιων ορει, και πολει Θεου ζωντος, Ιερουσαλημ επουρανιῳ· και* ΜΥΡΙΑΔΩΝ *αγγελων πανηγυρει· και εκκλησιᾳ πρωτοτοκων, εν ουρανοις* ΑΠΟΓΕΓΡΑΜΜΕΝΩΝ·—*κτλ.* cœlesti calamo exarata. Sic autem legunt Clemens Alexandrinus, Origenes, Syrus, Copta, Arabs, et vulgatæ versionis auctor. Conferas Cic. nat. deor. iii. 15. fin. Virg. Æn. v. 750. Nec prætereundus est Ovidius, amor. i. 9. 1.

Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido:
Attice! crede mihi, *militat omnis amans:*

cum quibus committas etiam Horat. od. iii. 26. 2.

Ver. 1181. *posses:* *δυναιο αν* scilicet, quocunque demum tempore, si celare vellet. Sic scribitur in libris omnibus antiquis; editores tamen nobis obtrudere suum *possis* non erubuerunt: V. ed. insuper, usitatissimo errore, *cum*, pro *quoniam*.

Ver. 1182. *risus:* V. ed. B. Δ. Σ. *usus.* Multi legunt, *anquirere nisus*, ineptissime et audacissime; Lambinum secuti.

Ibid. *Protrahere in lucem:* e tenebris nimirum, quæ post scenam caligant, in apertam theatri lucem; ut canes feram trahunt cæcis ex latibulis: vide sis i. 410.

Ibid. *omnes risus:* i. e. " omnia, quæ " feminas faciunt ridiculas et odiosas;— " omnes ridendi caussas;—omnia, quæ

Et, si bello animo est et non odiosa vicissim,
Prætermittêre humanis concedere rebus.
Nec mulier semper ficto subspirat amore;
Quæ conplexa viri corpus cum corpore jungit,
Et tenet adsuctis humectans oscula labris.
Nam facit ex animo sæpe; et, conmunia quærens

"reverentiam minuunt:" nam *risus* optime *reverentiæ* opponitur; quum, qui deridendi sunt, nunquam revereamur: ac vicissim. His ita expositis, et quæ præcesserint in Lucretio, probe conveniunt Aristoteli definita, in poëticis, sect. 5. *Το γαρ γελοιον ιστιν ἁμαρτημα τι και αισχος ανωδυνον, και ȣ φθαρτικον.* Admissis igitur lectionibus de testimoniis optimorum exemplarium, libenter, et confidenter etiam, acquiescimus; atque ad immutationes arbitrarias nullo modo decurrendum esse in præsenti re perpense dijudicamus.

Ver. 1183. *odiosa:* quoniam ea turpicula, quæ Lucretius modo subnotaverit, dum risus movent, ad odium etiam pariendum sunt nimis comparata. Hinc autem nostra loci interpretatio multam lucem, et stabilitatem, mutuatur.

Ver. 1184. *Prætermittêre:* P. *Prætermittite;* O. *Prætermitteret;* Π. *Prætermitto:* reliqui omnes id exhibent, quod nos edidimus; egregio sensu et prorsus manifesto: "Et nihil te persuadeat æquo "animo ac benigno vitia amicæ tuæ con"templari: quantumvis animi dotibus "sit elegantioribus instructa, quantumvis "iis omnibus, quæ creant odium, dili"genter se abstineat; constanter tamen "recuses, vel omittas, illis etiam rebus "concedere, et veniam dare, quas huma"na natura cavere nequeat." Ad literam: "Prætermittêre *το* concedere hu"manis rebus:" i. e. *Te mittes* præter concessionem humanis rebus: ut, qui locum præterit, vel prætervehitur, quasi, quem adeat et inspiciat, indignum. Jam vero futurum tempus, ex laudatissimorum scriptorum usu, non minus præceptis dandis inservire, quam imperativus ipse, et subjunctivus præsens, adeo protritum est, ut huic indocti cujusdam fortassis objectioni pene nos pudeat occurrere. Horatius, ad epist. i. 18. 37.

Arcanum neque tu *scrutaberis* illius unquam,
Commissumque *teges*, et vino tortus, et irâ.

Nos, hinc progressi, S. Lucam, evang. vi. 40. et alios in Fœderis Novi libris locos, rectius reddidimus, in vernaculâ nostrâ versione.

Ver. 1185. *subspirat:* Π. *respirat.*

Ibid. *ficto subspirat amore.* Broukhusius, ad Tibull. i. 7. 41. legendum proponit, *fictos amores:* oppido inscite, et vulgaria saltem exquisitis præferens. Probabilius fuisset *fictum amorem:* i. e. *fictō amorē;* sed, nisi fallor, aliud est *fictos amores suspirare*, et aliud *ficto amore suspirare.* Nempe, *suspirare amores*, est "cum desiderio cupere:" rursus *suspirare amore*, valet "præ violentiâ amoris "ducere suspiria." Claudianus, rapt. Pros. iii. 343.

Et rigidæ multo *suspirant fulmine* pelles.

Et Silius Italicus, xii. 135.

——— tellus, atro exundante *vapore*
Suspirans——.

Ovidius præpositionem interposuit, fast. i. 417.

Hanc cupit, hanc optat; solâ *suspirat in illâ:*

i. e. *ιν, cum;* ut instrumento scilicet.

Ver. 1187. *adsuctis:* P. Vind. V. ed. B. O. Δ. *assuetis; e* literâ cum *c*, quod sæpiuscule fit, mutatâ: Π. *assuetisque.*—*humectans:* Δ. *injectans;* Σ. *humetans;* Ω. *humectens.*

Gaudia, solicitat spatium decurrere amoris.
Nec ratione aliâ volucres, armenta, feræque,
Et pecudes, et equæ, maribus subsidere possent,
Si non, ipsa quod illorum subat, ardet abundans

Ibid. *tenet adsuctis humectans oscula labris.* Vividis coloribus mehercule, neque ad gustum hominis hac palæstrâ inexercitati, rem, quam proscribit, depictam esse nostro, fatebuntur omnes Divæ sacris initiati. Similiter Tibullus, i. 8. 37.

Et dare *anhelatim* pugnantibus *humida labris*
Oscula, et in collo figere dente notas.

Sic omnino scribendum ex libris: vide me ad i. 45. Vulgo, *anhelanti*. Reposivi cujusdam carmen, in Anthol. Lat. Burm. i. 72. 20. leni medicinâ adjutum dabo:

Ite, precor, Musæ! dum Mars, dum blanda Cythere,
Imis ducta trahunt suspiria crebra medullis;
Dumque intermixti captatur spiritus oris;
Carmine *dulciloquo* Vulcani vincla parate.

Libri, *doctiloquo;* minus apposite: et consulas animadversiones meas in Bion. idyll. i. 44. Similiter idem scriptor, ibid. ver. 107.

——————— Proh! sancte Cupido,
Quas blandas voces, quæ tunc ibi murmura, fundunt!
Oscula permixtis quæ tunc fixere labellis!
Quam bene consertis hæserunt artubus artus!

Ita corrigo: vulgo, "*Quam blandas.*" Interpres non videtur Philostratum cepisse, in icon. i. 20.—*ὁ μεν τι στερνῳ θιγειν δεομενος, ὁ δε εμφυναι τῃ δερῃ, ὁ δε* ΣΠΑΣΑΙ *τι επιθυμων φιλημα:* i. e. *sugere*, bibere, osculum. Unde emendes Petronium, apud eandem Anthologiam, iii. 226. 2. certo conatu:

Qualis nox fuit illa, di deæque!
Quam mollis torus! *Hausimus* calentis,
Et transfudimus hinc et hinc, labellis
Errantes, animas:

i. e. "Ebibimus et transfudimus calentes "animas utrobique, labella errantia jaculantes." Sic scribendi sunt, sic interpungendi, atque capiendi, versus lepidissimi. Vulgo, *hæsimus*. Apuleium insuper, ibid. 229. 11. multo cum successu, ni fallor, sum integritati suæ redditurus:

Pro implexis sertis, complexum corpore redde;
Proque rosis, oris savia purpurei.
Quod, si *animam* inspires *dono*, jam carmina nostra
Cedent victa tuo dulciloquo calamo.

Vulgo, *dona et;* quæ doctos viros prorsus ludificata sunt. Consulas autem Burmannum utrobique.—Sed manus continendum.

Ibid. *oscula labris:* i. e. comprimit *os tenerum* amatoris ore proprio; vide notata ad ver. 1162.

Ver. 1188. *Nam:* V. ed. B. O. *Non;* et Ω. *facere.*

Ver. 1189. *solicitat:* Π. *solicitant.*—*decurrere:* V. ed. *decurre.*

Ibid. *solicitat:* nempe, mulier virum. Interpretes non ceperunt constructionem: et hinc varietas *solicitant* exorta est; quam lectionem sane vulgatæ prætulissem, si *τo quærens* non obstaret. Quid autem cum illo faciendum? Elegans sane fuerit, sed audax nimium, divinatio:

Nam facit ex animo sæpe; et conmunia *quondam*
Gaudia solicitant spatium decurrere amoris.

Ibid. *spatium decurrere.* Naso, trist. iii. 4. 33.

—— pede inoffenso *spatium decurrere* vitæ:

i. e. pede *se non offendente;* nullis asperitatibus per viam prostantibus impingente. Vide sis autem Burmannum. Et miror Lucretium non scripsisse:

——— solicitat *stadium* decurrere amoris:

ut Suetonius, vi. 24. de Nerone:—"sed, "excussus curru,—destitit ante *decursum*—;" i. e. *stadii:* quod magis affine poëticæ videri possit *εναργως:* nihil ta-

Natura, et venerem salientum læta retractant.
Nonne vides, Memmi! quos mutua sæpe voluptas
Vinxit, ut in vinclis conmunibus excrucientur?
In triviis quom sæpe canes, discedere aventes,

men hoc loco, libris abnegantibus, mutandum; quamvis nomina *spatium* et *stadium* facile confundi quivis speret, et re verâ confusa sint ad Liv. xxv. 39. 1.

Ver. 1190. *ratione aliâ:* quam per mutuam gaudii cupiditatem scilicet.

Ver. 1191. *equæ:* O. Π. *quæ; e* nempe elisâ propter præcedentem *ē;* si recte video. Hinc exorsus, loco Flori pessime affecto medicinam efficacem afferre possis, ad ii. 15. 14. " Illi alterum ibi portum " ab aliâ urbis parte foderunt: *sed* nec " ut fugerent; quia nemo illos *nece* eva- " dere posse credebat." Vulgo, *nec;* et *sed* perturbate venit post fugerent. His emendationibus nihil verius.

Ibid. *subsidere:* i. e. succumbere. Venusinus vates vocem arripuit, in epod. xvi. 31.

> Novâque monstra junxerit libidine
> *Dirus* amor: juvet ut tigres *subsidere* cervis,
> Adulteretur et columba milvio.

Sic emendandum puto: libri, *Mirus;* satis profecto frigide. Ovidius, met. x. 426.

> Multaque, ut excuteret *diros*, si posset, *amores*,
> Addidit——.

Ver. 1192. *subat ardet:* P. *subito ardet;* V. ed. *subatardet;* O. Σ. *subtardet;* Δ. *si tardet;* Ω. *suba tardet.*

Ibid. *subat:* i. e. οργᾳ, καπρᾳ· Aristoph. Plut. 1025. καπραινει· ut Hesychius in Αφροδισια αγρα, qui omnino consulendus: vel etiam καπριζει· ut Aristotel. hist. animm. vi. 18. Cruquianus item vetus commentator dignus est, qui inspiciatur, ad Horat. epod. xii. 11. Quod ad ipsam dictionem spectat, exemplorum affatim tibi lexica præbebunt. Nec intempestivus aderit Oppianus de hac ferâ, cyneg. iii. 367.

> Θηλυτερῃ δ' αλιαστος εφορμαινων αλαληται,
> Και μαλ' ερωμανεων σφριγᾳ—.

Ibid. *subat, ardet:* ασυνδετως· quale illud apud Homerum, Il. Λ. 119.

> Καρπαλιμως δ' ηϊξε δια δρυμα πυκνα και ὑλην,
> Σπευδουσ', ἱδρωουσα, κραταιου θηρος ὑφ' ὁρμης.

Lambinus: qui Festum etiam in vocibus *Suillum genus* prolixius adscripsit, multum lucis Lucretiano verbo injicientem.

Ibid. *abundans Natura:* confer Aristotelem, l. c. et Virg. geo. iii. 281. ut discas unde translata sit Lucretii locutio.

Ver. 1193. *salientum:* Vind. V. ed. B. L. Σ. Ω. *fallentum;* O. Δ. *fallentem;* Π. *falentum.*—*læta retractant:* P. *nectere tractat;* O. Δ. Σ. *læta retraetent.* Vulgari solet, *læta retractat;* sed has varietates constructionis poëta noster studiosissime consectatur, et optimis libris obtemperandum est. Sic, in versu superiore, *illorum* maluit, ut ad *animalia* vox referretur, præ *illarum*, quod præcedentia exposcere videbantur.

Ibid. *salientum læta.* Ovidius, art. am. ii. 485. nostrum forte an respexerit:

> *Læta salitur* ovis; tauro quoque læta juvenca est:
> Sustinet immundum sima capella marem.
> In furias agitantur equæ; spatioque remota
> Per loca, dividuos amne, sequuntur equos.

Posterius distichon apposui, quum me latuerit ad ii. 316. cum quo loco pulchre committi poterat:

> Præsertim, quom, quæ possimus cernere, celent
> Sæpe tamen motus, *spatio diducta locorum.*

Ibid. *retractant:* i. e. *rursus*, αυ, vel vicissim, pro suâ parte, *tractant;* de rariore scilicet dictionis usu, nec lexicographis memorato: vide mox, ad ver. 1262.

Ver. 1194. *Memmi:* sic rescribendum putavi ad fidem librorum O. Δ. quum

Divorsei, cupide summis ex viribus tendunt;
Quom interea validis Veneris conpagibus hærent?
Quod facerent numquam, nisi mutua gaudia nossent;
Quæ jacere in fraudem possent, vinctosque tenere.
Quâ re etiam atque etiam, ut dico, est conmunis voluptas.
Et conmiscendo quom semine forte virili

valde suspicer, testimonium codd. L. M. non esse fideliter renunciatum: P. *etiam*, ut communes editiones; Aldina et Juntina, *subito;* Σ. *illos;* Vind. V. ed. Π. Ω. vox deest. Observavimus autem ad ii. 416. aberrationes scribarum in propriis nominibus esse frequentiores; ut supra, ver. 1123.—Et vice *quos*, Π. habet *quod*.

Ver. 1195. *Vinxit:* Δ. *Vincit.*—*ut* deest V. ed.—*vinclis:* Vind. Δ. Ω. *vinciis;* *i* nempe longiore pro *l* facile fallente; de quo errore, consulas Drakenborchium, ad Liv. ii. 23. 3. V. ed. *vicis:* O. *viciis;* Σ. *vitis:* quæ sunt aberrationes vel ex eodem peccato, vel similitudine literarum *c* et *t*, vel compendio scripturæ.—*excrucienter:* Vind. *excruentur;* V. ed. Π. Ω. τῷ *c* in *t* mutato, *extruentur.*

Ibid. *excrucientur.* Tam violens nimirum est hic ardor naturæ, tanta hæc mutuæ voluptatis sitis, ut per cruciatus etiam appetatur.

Ver. 1196. *In triviis:* Σ. *Interius.*—*quom:* Vind. *non;* ut in editis, contra omnia alia exemplaria; sed fide malâ collatoris.

Ibid. *canes.* Ovidius, art. am. ii. 484.

Hæret adulterio cum cane nexa canis.

Ver. 1197. Hic versus in universis libris antiquis sequitur ver. 1203. sed videtur huc recte retractus editoribus hodiernis.

Ibid. *Divorsei:* i. e. " *se*, alius in ali- " am partem, *vertentes;*" ad mediæ vocis potestatem.

Ver. 1198. *Quom* deest P. cui fraudi constructio minime perspecta præbuit originem.

Ibid. *Veneris conpagibus.* Apuleius similiter, met. ii. p. 101.—" a *nexu* qui- " dem *Venereo* hospitis tuæ tempera—."

Ver. 1200. *jacere:* Lambinus, et editores plures, eum secuti, *facere;* audacissime, contra libros universos veteres. Redeas autem ad ver. 1139. superius.

Ibid. *in fraudem:* i. e. in decipulam; quasi in *laqueos*, vel *rete;* translatione, quam per totum locum poëta persecutus est, nondum omissâ. Ad eundem modum omnino Virgilius, Æn. vi. 609. locutus est:

Pulsatusve parens, et *fraus innexa* clienti:

i. e. dolosa vincula, quibus incideret, implicareturque; unde pro minus accuratâ Servii interpretatio habenda est, ad Æn. x. 72. et Heynii quoque glossæ, grammatici vestigiis insistentes: quibus adjungas licet Donatum, ad Terent. Heaut. iii. 1. 33. Enarrator Cruquianus, in Horat. epist. ii. 1. 122. " fraudem incogitat," per " fraudem *intendit*," optime exposuit; quasi rete scilicet. Cæterum, phrasi Lucretianæ Plautinum illud congruit, Trin. ii. 1. 11.

Amoris artes eloquar, quemadmodum expediant.
Numquam
Amor quemquam, nisi cupidum hominem, postulat se *in plagas*
Conjicere—.

Ver. 1201. *communis voluptas.* Sponte divinaveram, *commune;* quod postea inveni in codice Δ. et verum puto.

Ver. 1202. *quom:* M. *quo in;* vetustam nimirum servans orthographiam, sed abstractâ solummodo postremâ dictionis literâ *m*, vel *in.*—*semine:* P. Vind. Σ. *semen;* V. ed. *semino.*—*virili:* Vind. B. L. Π. *virilli;* V. ed. O. Δ. Σ. Ω. *vir illi.*

Femina vim vicit subitâ vi, conripuitque;
Tum similes matrum materno semine fiunt:
Ut patribus patrio: sed, quos utriusque figuræ
Esse vides juxtim, miscenteis volta parentum,
Corpore de patrio ac materno sanguine crescunt,
Semina quom, Veneris stimulis excita per artus,

Vulgo scribunt ex arbitrio, *virile:* sed nomen post verbum sequens facile potest subaudiri, et tantam temeritatem lucrifacere.

Ibid. *conmiscendo semine.* Huc referri debet Virgilius, geo. ii. 327.

Magnus alit, *magno conmixtus corpore*, fetus.

Hæc autem ad Epicuri mentem dicta sunt. Plutarchus, plac. phil. v. 5. Πυθαγορας, Επικουρος, Δημοκριτος, και το θηλυ προϊεσθαι σπερμα—

Ver. 1203. *Femina:* P. *Fœmineum.*—*vi vicit.* Amplector acutissimam Salmasii emendationem, auctoris scopo prorsus necessariam, neque magis librorum purissimorum ac veterrimorum scripturæ discrepantem, quam literæ *l* in *i* facili conversione: vide nos supra, ad ver. 1195. P. *mulsit;* Vind. M. Π. Σ. Ω. *vi mulcit;* et, quod idem est, V. ed. *inmulcit:* nec dubito, quin hæc sit B. codicis etiam lectio, quamvis collator *inmulsit* scriptum dederit: O. *vi mulcet;* Δ. *vi mulxit;* uti liber L. etiam, si verum egerit Havercampus.

Ibid. *vim:* i. e. virilis seminis. Sed mallem equidem *virilem* legere, et ad *vim* referre, nisi codices abnuerent.

Ibid. *vi conripuit.* Maro, Æn. v. 641.

——— prima infensum *vi conripit* ignem.

Ver. 1204. *fiunt:* Π. *fulcit.*—Mox insuper Vind. *partibus.*

Ibid. *similes matrum*, et similes *patribus.* Nimirum, Latini sermonis usus frequentior te docebit, *externæ figuræ* similitudinem tam secundo, quam tertio, casu substantivi cum nomine *similis* consociati posse significari; similitudinem vero *morum* tertio casu designari nunquam.

Et ad hunc nostri poëtæ locum illa Plutarchi, plac. phil. v. 7. multum faciunt, divinationemque Salmasianam firmant: Δημοκριτος, τα μεν κοινα μερη, εξ ὁποτερου αν τυχῃ· τα δ' ιδιαζοντα, ΑΕΙ κατ' επικρατειαν. Ita forsitan scribendum, pro και. Idem, ibid. cap. 12. Εμπεδοκλης, ὁμοιοτητας γινεσθαι κατ' επικρατειαν των σπερματικων γονων. Quæ verba quâ de caussâ Reiskius solicitaverit, non valeo dispicere.

Ver. 1205. *patrio quos:* Nonius, iii. 260. scribit, *patri quod.*

Ver. 1206. *juxtim:* P. V. ed. B. O. Δ. et, pro variâ lectione, Ω. *mixtim;* Π. *vix tum.*—*volta:* P. V. ed. Δ. *multa;* O. Σ. *vulta:* ut Nonius Marcellus, l. c. qui neutrius generis aliud exemplum protulit, ex Ennio.

Ver. 1207. *ac:* ita Π. et deamat hanc voculam Lucretius, ideoque restitutam poëtæ volui. Vulgo, *et.*

Ver. 1208. *Veneris stimulis.* Ad eundem modum Virgilius, geo. iii. 210.

Quam *Venerem*, et cæci *stimulos* avertere *amoris:*

ut alii etiam Latinorum, æmulati Græcos. Sic Euripides, Hippol. 38.

Ενταυθα δη στενουσα, κἀκπεπληγμενη
ΚΕΝΤΡΟΙΣ ΕΡΩΤΟΣ—:

et similiter ibid. ver. 1317. ad quem locum præferam equidem Brunckii judicium consilio Egertoni, valde suspiciosam, et minime necessariam, Valckenaëri conjecturam, Πληγεισα scilicet, pro Δηχθεισα, in contextum admittentis. Cæterum, ne gratis videar culpare, probabiliorem, nisi fallor, partibus multis conjecturam in medium proferam, lectoribus dijudicandam:

Obvia conflixit conspirans mutuus ardor;
Et neque utrum superavit eorum, nec superatum est.
  Fit quoque, ut interdum similes exsistere avorum
Possint, et referant proavorum sæpe figuras;
Propterea, quia multa modis primordia multis
Mixta suo celant in corpore sæpe parentes,
Quæ patribus patres tradunt a stirpe profecta.
Inde Venus variâ producit sorte figuras;
Majorumque refert voltus, vocesque, comasque:
Quandoquidem nihilo minus hæc de semine certo

——— της γαρ εχθιστης θεων
Ἡμιν, ἑκουσι παρθενιος ἡδονη,
ΔΜΗΘΕΙΣΑ κεντροις, παιδος ηρασθη σεθεν.

Hoc verum. Ipse tragicus, Herc. fur. 21.

——— Ἡρας ὑπο
ΚΕΝΤΡΟΙΣ ΔΑΜΑΣΘΕΙΣ—.

Nobis Oppiani locus multum favet, cyn. ii. 31.

Πολλους δ' αυ μετοπισθεν ΕΡΩΣ ΕΔΑΜΑΣΣΑΤΟ δριμυς·
Ου γαρ τις, ΚΕΝΤΡΟΙΣΙ ΔΑΜΕΙΣ αγρης ερατεινης,
Αυθις ἑκων λειψειν· εχει δε μιν ΑΣΧΕΤΑ δεσμα.

Ita castigandus est: vulgo, ασπετα.

Ver. 1209. *conspirans:* proprie, "in "unam *spiram* se congregans." Hujus primariæ significationis Aurelium Victorem specimen egregium edidisse video, de vir. illust. xxii. 2. ubi anguis Epidaurii denarrat fabulam:—"per mediam urbem "cum admiratione omnium ad navem "Romanam perrexit, et se in Ogulnii ta"bernaculo *conspiravit.*" Conferas Virg. geo. ii. 154. cujus meminit Arntzenius ad Aurelii locum, omnino consulendus. Pulchre Justinus, iii. 5. 3. "Lacedæmonii "quoque eo *conspiratius* ad arma concur"runt, quod adversus servos dimicandum "videbatur:" i. e. globis densioribus, agmine magis conferto. Sic Græci *συσπειραω.* Si quis autem cum glossatore vetere volet aliam derivationem, nos minime repugnabimus: "*Conspiro, συμ"πνεω.*"

Ver. 1210. *neque utrum:* i. e. ουδ' ἑτερον, *neutrum;* exemplo rariore.

Ver. 1212. *referant proavorum figuras.* Similiter Virgilius, Æn. xii. 348.

Nomine *avom referens;* animo manibusque *parentem:*

atque geo. iii. 128. ubi vide Servium.

Ver. 1214. *multa modis:* omnes libri veteres, quâ MSS. quâ typis impressi, *multimodis*, præter Vind. collatore haud dubie altum dormiente. Legendum puto:

Propterea, quia *multimodis* primordia *multei*
Mixta suo celant in corpore sæpe *parentes.*

Committas i. 814. 894. ac plures locos similes; et ad hunc modum postea vidi Juntinam edidisse: verissime omnino, et quod in contextu comparere debuisset. Mox, O. Π. Σ. habent *parentis.*

Ver. 1216. *variâ:* Vind. V. ed. B. O. Δ. Σ. Ω. *varie;* M. *varias;* sed a secundâ manu: Π. *varieque.* Pro scripturâ vetere *τε varie* nos habemus.—*sorte:* Vind. *forte;* operarum, opinor, vitio.

Ver. 1218. *nihilo:* Δ. *nihil.*—*minus:* ita Vind. Δ. Σ. cæteri, *magis;* quod videtur indoli sermonis et argumenti rationibus repugnare: illud *magis* tamen vetustissimam depravationem existimo, et alteram trium codicum scripturam hodiernis correctoribus, membranas archetypas deserentibus, imputandam esse.—*de:* P. *a;*

Fiunt, quam facies, et corpora, membraque, nobis.
Et muliebre oritur patrio de semine seclum;
Maternoque mares exsistunt corpore cretei.
Semper enim partus duplici de semine constat:
Atque, utri simile est magis id, quodquomque creatur,
Ejus habet plus parte æquâ, quod cernere possis,
Sive virûm suboles, sive est muliebris origo.
  Nec divina satum genitalem numina quoiquam
Absterrent, pater a gnatis ne dulcibus umquam
Adpelletur, et ut sterili Venere exigat ævom;

O. *e;* abest omnino V. ed. Δ. Π. Σ. Ω. et aliis fortasse, si testes oculati membranarum non cessavissent in officio. Nimirum, suspicor ita Lucretium scripsisse:

> Quandoquidem nihilo *magis* hæc *haud* semine certo
> Fiunt, quam facies, et corpora, membraque nobis.

Ver. 1219. *quam:* Σ. *cum;* ex veteri scripturâ breviore.

Ver. 1223. *Atque utri simile:* P. *At verisimile;* V. ed. B. *Atque verisimile;* O. Ω. *Atque viri simile;* Π. *Atque uti semine.* —*quodquomque:* Vind. Σ. *quocunque.*— *creatur:* Vind. B. L. Ω. *creator;* unde putem Lucretio scriptum esse, *creatom:* Δ. *teratur.*

Ibid. Huc facit opere maximo fragmentum in Stobæi ecl. phys. lib. i. p. 87. 'Οτ' αν καθυπερτερισῃ το ῥυειν απο τȣ ανδρος, και αθικτον γενηται, το πατρι ὁμοιȣμενον το βρεφος αποδειχθησεται· ὡς, το ανα παλιν, τον αὑτον τροπον, τῃ μητερι. Εαν τινος μερȣς καθυπερθεσις γενηται, προς εκεινο το μερος αφομοιȣται. Εσθ' ὁτε δε, και εις μακρας γενεας παραβαλλειν τα βρεφος τῃ μορφῃ τȣ γεννησαντος—. Confer nostrum supra, ver. 1212.

Ver. 1225. *muliebris origo.* Naso, met. i. 352.

> Quam commune mihi genus, et *patruelis origo,*
> Deinde torus, junxit—.

Ver. 1226. *quoiquam:* P. *quemquam;* B. Π. *quicquam;* non invenuste, sed simplicior est profecto vulgata lectio.

Ibid. *divina numina:* i. e. deorum *nutus;* videas animadversa ad ii. 632. Ita locutus est Manilius in versibus quibusdam nitidissimis, qui philosophiæ Lucretianæ rationes breviter, ornate, luculenterque, sunt complexi; adeoque coram positi jucundam moram lectoribus lautis facient. Exstant in i. 483. ubi de constantibus mundi legibus disputat non ignobilis poëta:

> Ac mihi tam præsens ratio non ulla videtur,
> Quâ pateat mundum *divino numine* verti,
> Atque ipsum esse Deum; nec Forte coisse magistrâ:
> Ut voluit credi, qui primus mœnia mundi
> Seminibus struxit minimis, inque illa resolvit:
> E queis et maria, et terras, et sidera cœli,
> Ætheraque, immensis fabricantem finibus orbes
> Solventemque alios, constare; et cuncta reverti
> In sua principia, et rerum mutare figuras.

Ibid. *satum.* Nonius Marcellus, ii. 806. " *Satu* positum pro *semine.* Accius, Pe- " lopidis:

> " Nam me hæredem ex tuo esse conceptum " *satu,*
> " *Tua* argumenta redigunt animum, et conmo- " vent."

Sic forte scribendum: vulgo, " *Ut* argu- " menta." Confer eundem grammaticum ad iii. 238. et vulgares lexicographos. Glossator vetus: " *Satus,* satio, σπορα."

Ver. 1227. *pater:* B. L. M. *præter.*— *a gnatis:* M. *ac natis;* edi solet, *a natis;*

Quod plerumque putant, et multo sanguine mœstei
Conspargunt aras; adolentque altaria donis,
Ut gravidas reddant uxores semine largo.
Nequidquam divôm numen, sorteisque, fatigant:
Nam steriles nimium crasso sunt semine partim,
Et liquido præter justum, tenuique vicissim.
Tenue, locis quia non potis est adfigere adhæsum,
Liquitur extemplo, et revocatum cedit abortu.
Crassius heic porro, quoniam concretius æquo

contra libros universos.—Totus versus deest V. ed.

Ibid. *pater a gnatis Adpelletur.* Sic princeps poëtarum, Il. E. 408. longe suavissime:

Ουδε τι μιν ΠΑΙΔΕΣ ποτι γουνασι ΠΑΠΠΑΖΟΥΣΙΝ,
Ελθοντ' εκ πολεμοιο, και αινης δηϊοτητος.

Ibid. *gnatis dulcibus:* ut Euripides, Med. 1098. τεκνων γλυκερον βλαστημα· atque Virgilius, ad Æn. iv. 33.

Nec *dulcis gnatos*, Veneris nec præmia, noris.

Ver. 1228. *exigat ævom.* Idem, Æn. x. 53.

——————— Positis inglorius armis
Exigat heic *ævom*—:

uti ad antiquiorem orthographiam recte legitur in uno libro.

Ver. 1229. *plerumque:* de suo editores, *plerique;* audacter nimis et inscite, contra libros universos. Constructio vera est, "*plerum*que hominum *putant:*" consulas doctos commentatores ad Sallust. Jug. xxi. 2. ed. Cort. Liv. xlv. 9. 2.—*multo:* P. V. ed. B. *multas;* sed exemplaria Pii prisca receptæ lectioni suffragantur, et sæpiuscule Virgilius, eâdem usus locutione. Nimirum, post quam finalis litera vocis sequentis adhæsisset, librarius confestim *multos* verteret in *multas*, ut leges grammaticæ constarent.

Ver. 1230. *aras, altaria:* conferas Virg. Æn. ii. 514. 515. viii. 284. 285. Sic Arnobius, lib. vii. p. 222.—"*aræ* istæ, quas "dicitis, *altaria*que hæc pulchra—."

Ibid. *adolent altaria donis.* Idem Mantuanus, ibid. v. 54. "strueremque "suis *altaria donis:*" et vii. 71. "castis "*adolet* dum *altaria* tedis:" ne totam phrasim Lucretii non insumeret. Et notanda est Virgiliana interpretatio vocis *adolet*, ad Æn. xi. 50.

Fors et vota facit, *cumulat*que altaria donis:

i. e. *crescere* facit, vel *adolescere;* struit, auget, *adolet:* cave dicas, cum interpretum vulgo, τo *adolere* idem esse cum *incendere.* Nos videndi ad v. 798.

Ver. 1232. *divôm numen fatigant.* Similiter Silius, Pun. vi. 573.

Oscula vulneribus figunt, *superos*que *fatigant:*

ubi Drakenborchius hanc phrasim et docte et eleganter illustravit; quem consulas.

Ver. 1235. *adfigere adhæsum:* quasi "affigere particulas, aptas adhæsioni;" insolito dicendi genere: redi sis autem ad iii. 382. Mantuanus, geo. ii. 318.

——————— nec, semine jacto,
Concretam patitur *radicem adfigere* terræ.

Adeo ut vera Virgiliani versiculi interpretatio non Lucretio minus indicetur, quam Prudentio, cont. Symm. ii. 981. in loco Venerum poëticarum refertissimo:

Seminis aut teneri turgens dum germinat herba,
Continuis nimiisque perit constricta pruinis,
Nec potis est tenuem *telluri affigere fibram.*

Heynius igitur non audiendus est.—De sensu verbi *locis* in hoc versu, dictum alibi.

**Mittitur, aut non tam prolixo provolat ictu,
Aut penetrare locos æque nequit, aut penetratum
Ægre admiscetur muliebri semine semen:
Nam multum harmoniæ Veneris differre videntur;
Atque alias aliei conplent magis, ex aliisque
Subscipiunt aliæ pondus magis, inque gravescunt:
Quom multæ steriles Hymenæis ante fuerunt
Pluribus, et nactæ post sunt tamen, unde puellos
Subscipere, et partu possent ditescere dulci;**

Ver. 1236. *Liquitur:* V. ed. *Lignitur.* —*cedit:* Vind. V. ed. Π. Σ. Ω. *credit;* B. L. M. *redit;* quod ferri posset, nec usui poëtæ in similibus contradiceret, nisi displiceret ambiguitas: nam sic etiam habet inscriptio in Gruter. i. p. 150.—" et " eidem prætor in Siciliâ fugiteivos Ita- " licorum conquæsivei, *redideique*."—*abortu:* i. e. *cum* abortu, per abortionem: sic enim junctim scribitur in B. L. M. Ω. reliqui, ut vulgari solet, *ab ortu*, disjunctis vocibus: quod non capio, neque editores declaraverunt.

Ver. 1237. *heic*, vel *hic:* ita V. ed. L. M. O. Ω. elegantius; nam rei progressum denotat hæc particula, nec scriptoribus optimis ad eandem potestatem non passim adhibetur.—*quoniam:* V. ed. B. *cum;* Δ. *quando;* Π. Σ. *quom:* quas commutationes sæpenumero offendimus. —*concretius:* V. ed. B. Π. *concretus;* unde duo priores libri *magis* inferciunt post *concretus*, ne justam mensuram versiculus non attingat. Haud male tamen ad has varietates sic constitui locus poterat:

Crassius heic porro, *quom concretust* magis æquo,
Mittitur, *at* non tam prolixo provolat ictu——.

Sed tutiora sunt vulgata, atque faciliora. Sane pro *aut*, in versu sequente, V. ed. *ut* exhibet.

Ver. 1239. *penetratum:* i. e. *quum se penetraverit;* ad veram scilicet Græcorum mediæ vocis potestatem.

Ver. 1240. *muliebri:* Vind. L. M. Π. Σ. *mulieri.*

Ver. 1242. Desunt voces inter *magis* et *inque* codici Π. oculo scribæ, quæ utrumque *magis* interjacent, transiliente.

Ibid. *alias aliei conplent.* Ita Græci loquuntur. Aristoteles, hist. animm. vi. 24. init. ʼΟ δε ορνις αναβαινει μεν, και οχευει, μετα τον πρωτον βολον· ισταισης δ' αν, και ΠΛΗΡΟΙ—. Vetus onomasticon: " Πλη- " ρης, *feta.*" Ovidius, fast. v. 617.

Taurus init cœlum; te, Sidoni, Jupiter, *implet.*

Ubi an lusum voluerit per verbum *init* lascivus vates, dicant alii. Sic etiam Lucanus, viii. 409. et, quos supervacanei esset operis in re pervagatâ coram sistere.—Cæterum, ad vetustam nostram orthographiæ normam, *aliei*, inscriptio apud Gruterum facit, vol. i. p. 43.

M. Turpilius. M. F. L. Turpilius. P. I.
Duomvirei. de. senatus. sententia
Aedem. Herculi
Faciendam. coeravere. eidem. q.
probavere.

Sic legendum: quidam volunt, *iidem;* sed male; *eidem*, nempe *senatui:* videas ibid. p. 128. insc. 7. Similem hujusce scripturæ specimen exhibetur etiam ad p. 149. insc. 1.

Ver. 1243. *Subscipiunt pondus.* Arnobius, lib. iii. p. 105. im. " Avet, inquam, " videre deas gravidas, deas fetas, glis- " centibusque per dies alvis, *intestini* " *ponderis* morositate cunctari—." Por-

Et, quibus ante domi fecundæ sæpe nequissent
Uxores parere, inventa est illis quoque conpar
Natura, ut possent gnatis munire senectam.
Usque adeo magni refert, ut semina possint
Seminibus conmisceri genitaliter apta,

ro, scribi maluimus, *Subscipiunt:* et huc fortasse dissimilitudines exemplorum V. ed. et Σ. *Susccipiunt*, *Succipiunt*, referendæ sunt.

Ibid. *ingravescunt*. Pulchre Maro, geo. ii. 429.

Nec minus interea *fetu* nemus omne *gravescit*.

Ver. 1244. *Quom*, vel *Cum:* sic L. et placet, utpote rationibus constructionis haud paullo convenientius. Vulgo, *Et*.—*multæ:* Π. *multum*.—*Hymenæis:* Δ. *hymenæos* pro var. lect. Ω. *hymenæisque*.

Ver. 1245. *et nactæ:* P. *et natæ;* O. *et noctu;* Δ. *amotæ*.—*post sunt:* hæc est admirabilis emendatio Lambini, pro librorum vitio *possunt*.—*unde:* P. Vind. V. ed. Δ. Π. Σ. Ω. *inde;* O. *ille*. Nonius etiam in his corruptelis societatem habet, ad ii. 688. *natæ*, *possunt*, et *inde*, exhibens, in voce *Puellos*, pro pueros; cujus exempla protulit ex Ennio, Lucilio, ac Varrone. Videas insuper Festum. Glossator vetus: "*Puellus*, παις, αρχαιως· "παιδιον." Priscianus, lib. vi. p. 697. ex pluribus locis veterum vocis usum probat; ubi Lucilii versiculus ita transpositione corrigendus est:

Inde venit Romam tener ipse *etiam*, *atque* puellus.

Vulgo, *atque etiam*. Nescio quis apud Gellium, noctt. Att. xix. 11. usus est vocabulo:

Dum semihiulco savio
Meum *puellum* savior——.

Ver. 1246. *possent:* P. Σ. codices dant, *possunt*.

Ibid. *Subscipere puellos*. Similiter Virgilius, Æn. iv. 327.

Saltem, si qua mihi de te *suscepta* fuisset
Ante fugam *suboles*——.

Ibid. *partu ditescere*. Non abludit illud Maronianum, Æn. x. 201.

Mantua, *dives avis*——:

ubi miror Heinsium, proponentem *agri*. Vulgatam lectionem Burmannus eleganter tuitus est, atque erudite.

Ver. 1247. *ante fecundæ:* i. e. in prioribus Hymenæis; ut hoc exemplum undequaque consentiat priori, in ver. 1244. proposito. Lambinum hæ dictiones valde cruciatum habuerunt, neque intellectæ sunt interpretibus.

Ver. 1249. *gnatis:* sic P. Vind. V. ed. O. Δ. Π. Σ. Ω. et fortasse reliqui. Vulgo, *natis*.

Ibid. *gnatis munire:* quasi præsidium sint nati parentum senescentium, et fulcimen domûs inclinatæ: vide nobis olim animadversa super hac re, ad ii. 642. Hinc perleganter Leonidas Tarentinus, epig. lxiv.

ΠΑΙΔΩΝ τις μνησαιτο, και ἱδρυσαιτο γυναικα·
Ει και μιν δακνει δυςβιοτος πενιη,
Ζωην ΣΤΥΛΩΣΑΙΤΟ· κακον δ' ΑΣΤΥΛΟΣ ιδεσθαι
Οικος——:

i. e. liberorum *columnis* vitam *suffulciat*. Quæ sequuntur in illo poëmatio depravata sunt. Sic autem erat distinguendum, ne constructio dehisceret, sine calcis ferrumento. Huc spectant Homerei versus, Il. I. 490.

—— αλλα σε παιδα, θεοις επιεικελ' Αχιλλευ,
Ποιευμην, ἱνα μοι ποτ' αεικεα λοιγον αμυνῃς:

i. e. "ut me senectute fessum protegeres "et vindicares." Conferas Stat. silv. iv. 8. 43. Theb. iii. 154. et, quem imitatus est, Virg. Æn. i. 664. Hic autem sermonis tenor barbaros mores resipit; et

Crassaque conveniant liquidis, et liquida crassis.
Atque in eo refert, quo victu vita colatur:
Namque aliis rebus concrescunt semina membris,
Atque aliis extenuantur, tabentque, vicissim.
Et quibus ipsa modis tractetur blanda voluptas,

formam societatis innuit parum pacatæ, neque legibus æquis probe constitutæ. Plus etenim significatur quam θρεπτηρια pueritiæ solummodo persolvere.

Ibid. *gnatis munire senectam.* Cum hoc loco, nec minus cum ii. 642. pulchri versus Sophoclis, Antig. 641. pulchre committentur:

> Τουτου γαρ οὑνεκ' ανδρες ευχονται γονας
> κατηκοους, φυσαντες, εν δομοις εχειν,
> ὡς και τον εχθρον ανταμυνωνται κακοις,
> και τον φιλον τιμωσιν εξ ισου πατρι.

Ver. 1250. *ut possint:* Π. *in possit.* M. *possent.*

Ibid. *semina genitaliter apta:* quæ Virgilius, ad geo. ii. 324. *genitalia semina* nuncupavit: i. e. Servio interprete, "semina, quibus aliquid procreatur, et "gignitur:" vel Plutarcho, plac. phil. v. 9. σπερμα, εν ᾧ το ζωοποιητικον εστιν.

Ver. 1252. *conveniant:* sic P. Δ. Π. at reliqui omnes, *conveniunt;* quam legitima structura sermonis respuit.—*et liquida:* Δ. *liquidantia.* Metro scilicet mederi librarius volebat. Jam vero in maxime tritis sunt Homereum illud, Αρες, Αρες· Il. E. 31. et Theocriteum, μη καλα καλα· idyll. vi. 19. quem sequitur Callimachus, hymn. Jov. 55. Wartono ad τον Βουκολον citatus. Minus pervagatum est simile specimen in Leonidæ Tarentini epig. lxxviii. ver. ult. et compar Rhiani, epig. x. sic, nisi fallimur, scribendi:

> Παις Ασκληπιαδεω, καλῳ ΚΑΛΟΣ, εισατο Φοιβῳ
> Γοργος αφ' ἱμερτας τουτο γερας κεφαλας.

Libri, καλον: sed illepidum est hercle, et indignum, cum *deo* ista *cincinni* comparatio. Sic etiam Oppianus, cyneg. iii. 220.

> Ανερ, ανερ, τι νυ σειο προσωπατα τρηχυνονται;

Ver. 1253. *aliis:* Σ. Ω. *alii;* quorum hic subjicit *item* τῳ *extenuantur:* unde non male sic reponas, ut quidam fecerunt:

> Atque aliis *tenuantur item*, tabentque, vicissim.

Versus hoc modo scribitur in Δ.

> Atque aliis *tenuantur tabescunt*que vicissim.

Hæ varietates autem sunt arbitrarii correctorum fetus, numeris incompositis tantummodo progeniti: quod Lambinus etiam observavit.

Ver. 1256. *tractetur:* Vind. Π. Σ. *distractetur;* arreptâ præeuntis dictionis posteriore syllabâ.—Mox Π. *permagnum.*

Ibid. *blanda voluptas.* Similiter usus est phrasi Naso, art. am. ii. 477.

> *Blanda* truces animos fertur mollisse *voluptas.*

Ver. 1258. *Quadrupedum ritu:* ut Ovid. art. am. iii. 786. haud admovendus.

Ver. 1260. *lumbis:* Vind. V. ed. *lumbris.*

Ibid. *positis:* i. e. planis prostratisque. Nescio, an huic discrepet illud Virgilianum, Æn. vii. 27.

> Quum venti *posuere*——.

Ver. 1261. *Nec:* Σ. *Ne;* Ω. *Non.*—*opus sunt:* P. Σ. *prosunt;* ex interpretatione: Vind. V. ed. Ω. *opes sunt;* O. Δ. Π. *apes sunt.*

Ibid. *molles:* i. e. agiles; vide ver. 790. hoc libro: et de hoc regimine, quod sæpenumero attigimus, *motus opus sunt,* Nonium, ix. 5. exempla proferentem, consulas.

Ver. 1263. *Clunibus:* Faber, *Crissans;* ex Donati commentariis ad Terent. Eun.

Id quoque permagni refert; nam more ferarum,
Quadrupedumque magis ritu, plerumque putantur
Concipere uxores, quia sic loca sumere possunt,
Pectoribus positis, sublatis semina lumbis.
Nec molles opus sunt motus uxoribus hilum:
Nam mulier prohibet se concipere, atque repugnat,
Clunibus ipsa viri Venerem si læta retractet;
Atque exossato ciet omni pectore fluctus:

iii. 1. 34. " A parte ergo sui meretrices " *scorta* dicuntur; vel ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, " quod Græce *palpitare* intelligitur: quod " illæ faciunt saltando assidue, vel potius " crissando; ut Lucretius ait, lib. iv. ob " eam caussam, ut concinniorem Vene- " rem exhibeant viris, aut sibi abigant " conceptum—." Ex quibus tamen mihi saltem satisfaciam, si dicam, *rem* tantum Lucretio descriptam, non ipsissima poëtæ verba, in animo grammatici fuisse.—*læta:* O. Π. *lenta.*—*retractet:* M. O. *retractat.*

Ibid. *retractet:* i. e. vicissim tractet cum nimio voluptatis sensu; redi ad ver. 1193.

Ver. 1264. *exossata:* Pii codices antiqui, *exossatim;* et hujusce formæ adverbia Lucretius frequentavit sane, (vide nos ad i. 45.) sed vulgata lectio venustior est: Δ. O. *exossatos.*

Ibid. *exossato ciet pectore fluctus:* i. e. " pectore, ita mobili et tortuoso, ac si " privaretur ossibus." Sed, si venustates exquisitas harum locutionum accuratius velis percipere, redeas ad iii. 721. et ibidem animadversiones meas. Accedat Apuleius, cujus etiam Lambinus meminit, met. i. p. 21. ed. Oud. " — inque " flexibus tortuosis enervam et *exossam* " saltationem explicat, cum omnium, qui " aderamus, admiratione." Quæ ad illustrandum Lucretium sunt egregie comparata; neque velim negligas ibi doctissimis animadversoribus collata. Arnobius, ut adsolet, Lucretium respexit, lib. vii. p. 239. " — quid cessatis, quin et ipsos dicatis " deos ludere, lascivire, saltare,—et *clu-* " *nibus fluctuare crispatis?*" Idem hanc flexibilem corporis mollitudinem verbis, usque ad affectationem conquisitis, sic descripsit, lib. vi. p. 197.—" Liber membris " cum mollibus, et liquoris feminei dis- " solutissimus laxitate." Germana scriptura Juvenalis hinc innotescit, sat. vi. 322.

Ipsa Medullinæ *fluctum* crissantis adorat.

Nonnulla exemplaria dant, *frictum:* male. Scholiastes ita legendus est atque constituendus: " *Adorat:* i. e. habet po- " tiorem in obscœnis motibus. *Fluctum:* " motum, sive sinum." In versu, quem Faber protulit ex Ithyphallicis, et alii:

Crissabit tibi fluctuante lumbo:

Bentleius putat reponendum, *Crispabit;* atque ad locos Arnobianos provocat, nobis hic citatos, et ad iii. 721. cum Copæ ver. 2.

Crispum sub crotalo docta movere latus:

atque isto Priapeiorum versiculo:

Quinctia, vibratas docta movere nates:

i. e. interprete viro magno, *crispatas.*

Ver. 1265. *Eicit:* P. Vind. V. ed. Ω. *Ejicit;* B. *Icit.*—*sulcum:* P. V. ed. *sultum;* ineptissime.—*viâque:* V. ed. Π. *viatque.*

Ibid. *Eicit sulcum rectâ viâ Vomeris;* adeo ut ille vomer, quum necesse sit ager curvus varos sulcos habeat, nullo modo valeat ὀρθοτομεῖν: vide nostram Silv. Crit.

Eicit enim sulcum rectâ regione viâque
Vomeris, atque locis avortit seminis ictum:
Idque, suâ caussâ consuerunt scorta moveri,
Ne conplerentur crebro, gravidæque jacerent;
Et simul ipsa viris Venus ut concinnior esset:
Conjugibus quod nihil nostris opus esse videtur.
Nec divinitus interdum, Venerisque sagittis,
Deteriore fit ut formâ muliercula ametur:

tom. iv. pp. 58. 59. Hinc pendet Plutarchus, plac. phil. v. 9. ita distinguendus; nam locus, uti vulgo constituitur, probabili sensu caret:—*η κατα παραλυσιν των μοριων, οἱ δε Στωϊκοι, κατα λοξοτητα· (των μοριων* scilicet) *το καυλε μη δυναμενε τον γονον εκβαλλειν.*

Ibid. *sulcum.* Virgilius ejusdem metaphoræ involucro rem velavit inverecundam, geo. iii. 135.

Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior usus
Sit genitali *arvo*, et *sulcos* oblimet inertis.

Et Apuleius, in Anthol. Lat. Burm. iii. 231. 16.

Arentque *sulcos* molles arvo Venerio.

Notum est illud Euripideum, Phœn. 18.

Μη ΣΠΕΙΡΕ τεκνων ΑΛΟΚΑ δαιμονων βια.

Confer Soph. Antig. 569. ut alii plures.

Ibid. *rectâ regione, viâque.* Per hendyaden hoc dicitur pro *rectâ regione viæ;* quam formam posuit superius, ii. 249. et Virgilius, Æn. vii. 215.

Nec sidus *regione viæ*, litusve, fefellit.

Ibid. et 1266. *sulcum Vomeris.* De his involutis obscœnitatibus Gatakerus egit copiose, in opp. p. 70. et seqq.

Ver. 1266. *Vomeris:* P. *Volneris;* quas ineptias ille editor suaviore commentario, quam qui *pium* deceat, exornavit.

Ibid. *Vomeris:* ut, post alios bene multos, *αροτρων* Nonnus, Dionys. xviii. 228. in loco sic emendando, atque in ordinem suum redigendo:

Ασσυριος ποτε Βηλος, εμης πολιυχος αρυρης,
Τιτηνων προκελευθος, εμαρνατο σειο τεκηϊ,
'Οππυτε, μητροπηισιν ΕΠΕΣΣΥΜΕΝΟΙΟ *χαμευναις,*
Κυφιζων Κρονος 'ΥΜΟΣ *αμερσιγαμων γονον ἁρπης*
Ταμνεν ασυμφυτων σταχυν αρσενα πατρος ΑΡΟΤΡΩΝ.

His decoris obscœnitatibus profecto scatent veterum poëtarum monimenta.

Ibid. Lego, *semini' jactum,* inquit Faber; cui sic responsum dedit BENTLEIUS:

Quid ergo fiet de vers. 1238? An hic homo ineptus suum *jactu* substituet? Pariter Plinius dixit *ictum salivæ,* lib. vii. c. 2. "Ferunt serpentes *ictum salivæ,* tan-"quam aquæ ferventis contactum, fu-"gere."—Juvenalis, vi. 126. de Messalinâ:

Et resupina jacens multorum absorbuit *ictus.*

Hactenus subiracunde, sed recto judicio, vir doctissimus; qui tamen locum posteriorem videtur minus bene interpretatus: conferas enim ibidem Grangæum, et ver. 378. ejusdem satyræ.—Porro, *vomer* non *jacit,* sed *icit* scilicet: ut ex abundanti Fabri commentum refellatur.

Jam vero Lambinus, egregiam per inscitiam, atque temeritatem, sobriis omnibus intemeratæ antiquitatis cultoribus damnandam, sic edidit ex arbitrio, probantibus id multis:

Eicit enim *sulci* rectâ regione viâque
Vomerem; atque locis——.

Ver. 1267. *Idque:* II. *Atque.* Nempe exquisitiorem constructionem, ad quam centies habuimus *hoc* et *quod* in Lucretio,

Nam facit ipsa suis interdum femina factis,
Morigerisque modis, et mundo corpore culta,
Ut facile insuescat secum vir degere vitam.
Quod super est, consuetudo concinnat amorem:

librarius inscitior, nec usu doctus, minime percalluit. Doleo Lambinum, Fabrumque, se nihilo sagaciores præstitisse.

Ibid. *moveri:* i. e. *se movere*, ad mediam Græcorum vocem; ut alii Latinorum multi in hoc ipso vocabulo.

Ver. 1268. *gravidæ:* i. e. feminæ; quæ dictio in *scorta* comprehenditur, ad formulam dicendi pervagatam, et nobis sæpenumero illustratam: nec librarii tamen tenuerunt; ideoque in V. ed. L. M. Π. Ω. *gravida* scripserunt, indoctissime. Poteras nimirum cum Vossio versiculum tentare ad hunc morem:

> Ne conplerentur crebro, *gravida atque* jacerent:

quæ cogitatio mihi quoque se insinuaverat, sed statim repudiavi; nec receptam lectionem ullâ de caussâ solicitari vellem.

Ibid. *Ne conplerentur.* Ælianus, de ann. ii. 46.—*το πνευμα ευρειον* ΠΛΗΡΟΙ *αυτας, και κυουσι*—. Sic alii.

Ver. 1271. *Nec divinitus.* Epicuri effatum poëta interpretatur, quod legitur in Diog. Laërt. x. 118. *Ουδε* ΘΕΟΠΕΜΠΤΟΝ *ειναι τον* ΕΡΩΤΑ· *ὡς Διογενης εν τῳ ιβ' φησιν.*

Ibid. *Veneris:* nempe, *deæ* cujuspiam, suo numine res amatorias hominum administrantis.
Cæterum, pro *Nec*, pius *Nam;* unde mens scriptoris prorsus corrumpitur ac subvertitur: ille tamen editor interpretationem commentus est lectionis, cum totis etiam philosophiæ Lucretianæ rationibus ex opposito pugnantis.

Ver. 1272. *Deteriore*—. Noster Euripidem videtur in animo habuisse, ad Androm. 204.

> *ουκ εξ εμων σε φαρμακων στυγει ποσις,*
> *αλλ' ει ξυνειναι μη 'πιτηδεια κυρεις·*
> *φιλτρον δε και τοδ'· ου το καλλος, ω γυναι,*
> *αλλ' αἱ 'ρεται τερπουσι τους ξυνευνετας.*

Ibid. *ametur:* Π. *amentior.* Volebat, opinor, librarius:

> Deteriore fit ut formâ *mulierculæ amentur:*

quæ, nullus dubitem egomet, quin sit ipsissima Lucretii scriptura, passim tales structuræ varietates consultissimo cum studio exhibentis.

Ver. 1273. Afranius, Vopisco:

> Ætas, et corpus tenerum, et morigeratio,
> Hæc sunt venena formosarum mulierum.

Et Propertius, ii. 16. 19.

> Quod, si nec nomen, nec me tua forma teneret,
> Posset servitium mite tenere tuum.

BENTLEIUS.

Ver. 1274. *modis:* ita Σ. et codex priscus Pii; Δ. *maris;* cæteri omnes, *moris.* —*mundo culta:* sic P. Vind. V. ed. B. O. Σ. Ω. sed L. M. *munde culto;* gustui meo minus eleganter: Π. etiam *munde;* Δ. autem, *multo:* et *corporis;* ut editi quidam.

Ver. 1275. *insuescat:* B. L. M. *suescat.*—*secum vir:* O. Ω. *vir secum;* me volente: Δ. *secum quoque:* et abest *vir* V. ed. B. L. M. Π. Σ. *degere:* M. *degerere.* Ex his autem varietatibus nihil exsculpo, quod receptis anteponi debeat, undequaque, quantum video, sinceris.

Ver. 1276. *consuetudo concinnat amorem.* Hinc scite moratus est Terentii locus, And. i. 5. 44. atque committi debet:

> Adeon' porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum,
> Ut neque me *consuetudo*, neque *amor*, neque pudor,
> Conmoveat?—

Ver. 1278. *labascit:* V. ed. Π. *labescit.*

Ibid. *labascit:* i. e. cedit, *titubat*que,

Nam, leviter quam vis, quod crebro tunditur ictu,
Vincitur id longo spatio tamen, atque labascit.
Nonne vides, etiam guttas, in saxa cadenteis,
Humoris longo in spatio pertundere saxa?

ut jam jam *casurum*. Philoxenus: "*Labasco, ὑποφέρομαι.*" Plautus, Rud. v. 3. 38.

> Salvos sum: leno *labascit:* libertas portenditur.

Unde Terentius, Eun. i. 2. 98.

> *Labascit*, victus uno verbo.

Passivam verbi formam dant Accius et Varro in Nonii collectaneis. Videas etiam Virg. Cir. 450. Scite videtur et enucleate declaravisse proprietatem dictionis Donatus ad Terent. Adelph. ii. 2. 31. "Est metaphora ab arbore facta; quæ, "multis succisa ictibus ferri, tandem incipit in *casum* pendere, ruinamque minitari."

Ver. 1279. *guttas in saxa cadenteis.* Super hac *ῥῆσει* omnia jam vulgata: me videas ad i. 314. et ad Bion. xiv. 2. Addam nihilo minus Propertium, ii. 19. 55.

> Sed tamen obsistam: *teritur* rubigine mucro
> Ferreus, et *parvo* sæpe *liquore silex.*

Nec non Ovidium, ut accuratius distinguatur, ex Pont. ii. 7. 39.

> Jam dolor in morem venit meus: utque, *caducis*
> *Percussu crebro, saxa cavantur aquis;*
> Sic ego continuo Fortunæ vulneror ictu——.

i. e. "cadentibus ictu crebro:" unde lux et ordo constructioni valde confusæ ad vulgarem scribendi modum, et obscuræ, Sulpicius denique, in Anth. Lat. Burm. iii. 97. 9.

> Decidens scabrum cavat unda tophum.

Excud. And. Duncan }
Acad. Glasg. Typog. }

BOOKS

PRINTED AT THE

Glasgow University Press.

JOANNIS SCAPULÆ LEXICON GRÆCA-LATINUM, ex probatis auctoribus locupletatum, cum Indicibus et Græco et Latino, auctis et correctis. Additum Auctarium Dialectorum, in tabulas compendiose redactarum. Accedunt Lexicon Etymologicum, cum thematibus investigatu difficilioribus et anomalis. Et JOANNIS MEURSII Glossarium contractum hactenus desideratum. Editio nova, in qua, nunc primum vocabula ex Appendice ASKEVIANA secundum literarum seriem iuseruntur.

Beautifully printed in 2 Volumes 4to, from the Elzevir edition of 1652. L.7. 7s. boards.

SCHLEUSNERI LEXICON GRÆCO-LATINUM in Novum Testamentum. Recensuerunt J. SMITH, J. STRAUCHON et A. DICKINSON, Editio quinta.

Handsomely printed in octavo, in Two thick Volumes. In this Edition the Syriac and Hebrew quotations have been carefully revised, and many errors of the former Edition corrected, price L.3 : 0:0.

HOMERI OPERA OMNIA, ex recensione, et cum Notis SAM. CLARKII, S. T. P. accessit varietas lectionum MS. Lips. et Edd. Veterum, cura Jo. AUGUSTI ERNESTI, qui et suas notas adspersit.

Elegantly printed in five volumes, octavo, with the Greek, Latin, and Notes, on the same page, demy paper, L. 4, 10s. boards. A few copies executed in the finest manner on large paper, L.9. boards.

T. LUCRETII CARI DE RERUM NATURA, Libri Sex; ad Exemplar GILBERTI WAKEFIELD, A. B. cum ejusdem Notis, Commentariis, Indicibus fideliter excusi. Adjectæ sunt, Editionum quinque, in quibus Principis, Ferrandi, Lectiones Variantes omnes; ut et integræ RICHARDI BENTLEII Annotationes, Illustrationes, Conjecturæ, ex ipsius Autographo, in Musæo Britannico conservato.

Elegantly printed in octavo, in four volumes, price L.3, 3s. boards. A few copies remain of the large paper, price L.6, 6s boards.

HENRICI HOOGEVEEN, DOCTRINA PARTICULARUM LIN-

GUÆ GRÆCÆ; in epitomen redegit, CHRISTIANUS GODOFREDUS SCHÜTZ.
Neatly printed in one volume octavo, price 15s. boards.

LAMBERTI BOS ELLIPSES GRÆCÆ, cum priorum Editorum suisque Observationibus. Edidit GODOFREDUS HENRICUS SCHÆFER.
Neatly printed, uniformly with Hoogeveen and Vigerus, price 18s. boards.

FRANCISCI VIGERI Rotomagensis, de præcipuis GRÆCÆ DICTIONIS IDIOTISMIS, Liber, cum Animadversionibus HENRICI HOOGEVEENI et JOANNIS CAROLI ZEUNII, edidit et Annotationes addidit GODOFREDUS HERMANNUS.
Neatly printed in one volume octavo, uniform with Hoogeveen and Bos, price 18s. boards.

GODOFREDI HERMANNI ELEMENTA DOCTRINÆ METRICÆ. Editio Nova.
Neatly printed from the Leipsic Edition of 1816, *uniform with the Editions of Hoogeveen, Bos, and Vigerus, price 15s. boards.*

HERODOTI HALICARNASSEI Historiarum Libri IX. Ex Editione et cum Præfatione JOHANNIS SCHWEIGHÆUSER.
Handsomely printed in two volumes, octavo.

XENOPHONTIS DE CYRI INSTITUTIONE, Libri Octo, ex recensione et cum notis THOMÆ HUTCHINSON, A. M. Græce et Latine.
Neatly printed, in octavo, uniformly with the Anabasis, 10s. 6d. boards.

XENOPHONTIS DE CYRI EXPEDITIONE, Libri Septem, ex recensione et cum Notis THOMÆ HUTCHINSON, A. M. Græce et Latine.
Neatly printed in one volume octavo, price 12s. boards. A few copies printed in the finest manner, on large paper, price, L. 1, 1s. boards.

M. ANNÆI LUCANI PHARSALIA, cum notis HUGONIS GROTII et RICHARDI BENTLEII.
Beautifully printed in one vol. 8vo. 12s. boards. A few copies on large Paper. 18s. boards.

EURIPIDIS MEDEA, Græce et Latine, ex recensione PORSONIANA.
Neatly printed on a small type in a 24mo pocket size, price, 4s. boards. A common copy for Schools, price 2s. 6d. boards.

ARISTOPHANIS NUBES, Græce et Latine, ex editione Hermanni.
Neatly printed on a small type, in a 24mo pocket size, uniformly with Euripidis Medea, 2s. 6d. common; 4s. 6d. fine.

ÆSCHYLI CHOËPHORŒ, ex recensione Porsoniana adjecta sunt Choëphoron Chorici Cantus, sicut dispositi sunt in Tentamine V. R. Caroli Burneii S. T. P.
Neatly printed, on a small type, in a 24mo pocket size, uniformly with Aristophanis Nubes. Common; 3s. 6d. fine, 5s. boards.

4

SOPHOCLIS ŒDIPUS TYRANNUS, ex recensione, R. P. F. Brunck.

Neatly printed in 18mo. Fine, 4s. boards; common, 2s. 6d. boards.

NOVUM TESTAMENTUM GRÆCE, cum Versione Latina; secundum curam Leusdenii et Griesbachii. Editum ab Henrico Arnoldo Aiton, V. D. M. Zwollano.

Neatly printed in two vols. 24mo, 6s.fine paper, 9s. boards.

NOVUM TESTAMENTUM GRÆCE, cura Leusdenii et Griesbachii.

Handsomely printed in crown 18mo, uniformly with the Regent's Classics, Price 6s. boards.

——— *A common copy, 24mo, 4s. 6d. boards.*

SELECTIONS FROM LUCIAN, with a Latin Translation and English Notes; to which are subjoined, Mythological Index, and a Lexicon adapted to the Work. Compiled for the use of Schools, by John Walker, formerly Fellow of Dublin College.

Neatly printed in 12mo, price 10s. 6d. boards.

CAII JULII CÆSARIS Opera Omnia, ad optimorum exemplarium fidem recensita, notulis sermone Anglicano exaratis illustrata, et indice nominum propriorum uberrimo instructa. In usum Scholæ Glasguensis. Studio Joannis Dymock.

Price bound, 4s.

DECERPTA ex P. OVIDII NASONI METAMORPHOSEON Libri; ad optimorum exemplarium fidem, recensita, notulis sermone Anglicano exaratis illustrata, et indice nominum propriorum uberrimo instructa, in usum Scholæ Glasguensis. Studio Joannis Dymock.

Price 2s. 6d.

P. VIRGILII MARONIS Opera, ad Lectiones probatiore diligenter emendata.

Neatly printed on fine paper, 4s. 6d. boards. A common copy for Schools, price 2s. 6d. bound.

MOOR'S GREEK GRAMMAR, with Dalzel's Fragmenta, 12mo, price 3s. 6d. bound.

EXCERPTA EX LUCIANI OPERIBUS in usum Juventutis Academiæ Glasguensis. Price stitched, 2s.; bound, 2s. 6d.

TACITUS DE SITU, MORIBUS ET POPULIS GERMANIÆ. Price 1s. stitched.

TACITI VITA AGRICOLÆ. Price 1s. stitched.

CORNELII NEPOTIS Vitæ excellentium imperatorum; or, Cornelius Nepos's Lives of the excellent Commanders: with an English Translation, as literal as possible: and large explanatory notes, by W. Arrol.

Price 3s. 6d. bound.